Benziger Brothers
Booksellers
New York, Cincinnati & St. Louis.

BIBLIOTHECA
FF. PRÆDICATORUM.
BENITIÆ.
280-b No. C.

PRESENTED

AT

ST. CATHERINE'S, BENICIA,

APRIL 5, 1879,

TO

Very Rev. Vincent Pinges, O. P.

FOR HIS PERSONAL USE,

BY THE

CLASS OF 1880.

TRACTATUS

DE PAPA

I

PARISIIS. — EX TYPIS SIMONIS RAÇON, VIA DICTA ERFURTH, 1.

TRACTATUS

DE PAPA

UBI ET

DE CONCILIO OECUMENICO

AUCTORE

D. BOUIX

THEOLOGIÆ ET UTRIUSQUE JURIS DOCTORE

TOMUS PRIMUS

APUD JACOBUM LECOFFRE, BIBLIOPOLAM

LECOFFRE FILIO ET SOCIIS SUCCESSORIBUS

PARISIIS, VIA DICTA BONAPARTE, 90

LUGDUNI, VIA MERCATORIA, 47, IN VETERI PERISSE FRATRUM DOMO.

—

1869

Ac. 4909

APPROBATIO

Tractatum de Papa, auctore D. Bouix, approbamus et commendamus.

Datum Versaliis die 20 mensis augusti, anno 1868

† Petrus, Episcopus Versaliensis.

TOTIUS TRACTATUS DISTRIBUTIO

In partes octo commode distingui visa est tota præsens tractatio, videlicet : 1° De primatu Romani Pontificis, seu de ipsius monarchica in universam Christi Ecclesiam potestate; 2° De ipsius infallibilitate; 3° De ipsius superioritate ac potestate relative ad concilium œcumenicum; 4° De ipsius potestate in temporalia regum; 5° De ipsius potestate supra canones, necnon reliquis ejus prærogativis e jure divino manantibus; 6° De ipsius principatu temporali; 7° De forma canonica Romanum Pontificem eligendi ac constituendi, 8° De concilio œcumenico.

TRACTATUS

DE PAPA

PARS I

DE PRIMATU ROMANI PONTIFICIS

Sectione *prima* nonnullas expendemus quæstiones prævias; sectione *secunda* disseremus de primatu sancti Petri; sectione *tertia* de primatu Romani Pontificis exquiremus *an sit*, seu an revera Romano Pontifici jure divino competat primatus jurisdictionis in universalem Ecclesiam; sectione *quarta* expendemus *qualis sit* ejusmodi primatus, et quem in finem a Christo institutus.

SECTIO I

PROŒMIALIA SEU QUÆSTIONES PRÆVIÆ

Triplici capite dicemus: 1° de erroribus tum hæreticorum, tum Gallicani systematis; 2° de statu quæstionis, seu qua-

lem Romani Pontificis primatum intelligamus et tanquam dogma catholicum propugnemus ; 3° de connexione inter quæstionem de primatu sancti Petri et quæstionem de primatu Romani Pontificis.

CAPUT I

EXPONUNTUR ERRORES.

Duplex in hac materia errantium classis, hæreticorum scilicet et nonnullorum catholicorum.

I. *Errores hæreticorum.* — Quadruplex distingui potest acatholicorum error.

Primus, quo negatur quilibet primatus Romani Pontificis, id est, tum primatus jurisdictionis, tum primatus ordinis, tum etiam primatus meri honoris. Est autem is error incredulorum dumtaxat et impiorum hominum, qui nec ipsam christianæ religionis divinam institutionem admittunt. Cæterum schismatici græci, necnon e protestantibus graviores quilibet, libenter Romano Pontifici concedunt honoris vel etiam ordinis primatum. Ei nempe solum denegant primatum jurisdictionis, saltem quatenus a Christo derivatum.

Secundus error eorum est, qui negant primatum jurisdictionis et ordinis, solumque concedunt primatum meri honoris. Ita protestantes multi, ac multi etiam schismatici græci.

Tertius error in eo est quod concedatur primatus, non tantum meri honoris, sed etiam *ordinis ;* at simul denegetur primatus jurisdictionis. Quid autem sit primatus *ordinis*, et quomodo differat a primatu meri honoris, sic explicari potest : Primatus *meri honoris* in eo consistit, ut qui eo insignitur in digniori loco sedeat, primus nominetur, primus sententiam dicat, et potiatur aliis ejusmodi prærogativis quæ ad merum honorem pertinent. *Ordinis* autem primatus quædam insuper jura tribuit, quæ ad rectam negotiorum expeditionem

opportuna sunt; prout est jus senatum indicendi, referendi de negotiis, rogandi sententias, monendi, totamque actionem hortando regendi. Ejusmodi primatu *ordinis* in omni republica præses insigniri solet. Tunc nempe, quamvis tota jurisdictio penes senatum resideat, nec in ferendis decretis plus possit præses quam cæterorum quilibet, in dirigenda tamen negotiorum tractatione, nonnulla præcipere ac exigere valet quæ ad rectum ordinem opportuna sunt. Hinc ejus primatus, qui nec *meri honoris*, nec *jurisdictionis* est, *ordinis* primatus dicitur. Et hunc quidem primatum *ordinis* Romano Pontifici libenter tribuunt ipsi etiam e protestantium hæresi insigniores. Sit in exemplum Claudius Salmasius: In præfatione operis sui *de Primatu Papæ* sic habet : *Ut in omni ordine primatus est, quia et primus semper aliquis datur ordinis, ut secundus et tertius, ita in ordine Episcoporum.* Atque ibidem asserit, *reformatos primatum tantum ordinis in Papa agnoscere.* Et subjungit id unum eos indignari quod *Papæ potestas non primas in ordine partes aut sedes tenere contenta, suprema omnium qui in aliqua sunt potestate aut dignitate haberi vult.* Et in apparatu ejusdem operis, pagina 172, Papam recipi posse affirmat, si redire *sustineret ad primatum ordinis.* Idem autem Salmasius, in epistola 27 (libri I epistolarum gallice scriptarum anno 1630) sic habet : *De penser aussi que cette primauté ne soit autre chose qu'une préséance et l'honneur d'aller devant, c'est se mécompter. La pratique de la primitive Église est contraire, qui lui a toujours donné davantage; et ce mot* primatus *en toute la hiérarchie ecclésiastique n'a jamais été sans quelque fonction supérieure ou juridiction avec l'honneur.*

Item schismatici græci hunc primatum *ordinis* haud ægre in Romano Pontifice agnoscunt, prout Barlaami et Nili testimoniis probari posset.

Quartus error eorum est qui *jurisdictionis* etiam primatum Romano Episcopo adscribunt, ast non a Christo ipso, sed ab Ecclesia acceptum. Tenent scilicet ejusmodi primatum Romano Pontifici non competere *jure divino*, sed dumtaxat *jure*

ecclesiastico; id est, quia placuit ab antiquo Episcopis hanc ipsi potestatem conferre. Cæterum posse ab iisdem Episcopis ejusmodi jurisdictionem restringi ac etiam in totum revocari.

Cum autem de fide sit, ut mox videbimus, primatum jurisdictionis Romano Pontifici jure divino seu ex ipsamet Christi institutione competere, remanet quatuor exposita systemata inter hæreses merito computari. Aliter dicendum de posteriori adversariorum classe. Hi nempe, licet primatum jurisdictionis erronee intelligant, nondum tamen tanquam hæretici ab Ecclesia damnati sunt.

II. *Errores Gallicani systematis.* — Systematis illius sequaces *jurisdictionis* primatum, et quidem a Christo Domino Romanis Pontificibus collatum, confitentur et strenue adversus hæreticos defendunt. Ast ejusmodi primatum, non plenum et integrum, sed multipliciter truncatum et mutilum intelligunt. Nimirum,

Primus ejusmodi systematis error in eo est quod Romano Pontifici primatum jurisdictionis tribuat solummodo in universam Ecclesiam *distributive sumptam*, non autem in universam Ecclesiam *collective sumptam.* Hac autem distinctione utuntur Gallicanæ opinionis patroni, ut absque contradictione propugnare valeant Romanum Pontificem concilio œcumenico *inferiorem* esse; quam inferioritatem declaravit conventus cleri anno 1682. Igitur relative ad Ecclesiam *collective sumptam*, seu, prout ipsi intelligunt, relative ad Episcoporum collegium, nullum agnoscunt in Romano Pontifice jurisdictionis primatum, superioritatem nullam; sed econtra subjectum et inferiorem Papam contendunt.

Secundus error in eo est quod fallibilem contendant Romanum Pontificem in edendis fidei definitionibus; infallibilitatis vero prærogativam residere dumtaxat penes Ecclesiam, sive congregatam, sive dispersam. Ex quo rigorose colligitur, fideles non teneri ad credendum propositionibus a Papa definitis, cum repugnet obligatio credendi doctrinæ, quæ erronea esse

potest. Hinc quoad dirimendas fidei quæstiones et imponendam credendi legem, jurisdictionis primatus seu suprema potestas penes Episcoporum collegium residet, non in Romano Pontifice. Et sic Gallicanum systema jurisdictionis primatum Romano Pontifici non concedit integrum, sed præcipua sui parte truncatum; cum ipsi deneget regulandæ fidei potestatem.

Tertius error in eo est, quod Primatum jurisdictionis ad rem temporalem societatum civilium nullatenus extendi contendant. Ex quo sequitur penes Romanum Pontificem non residere potestatem ea prohibendi et efficacibus mediis impediendi, quæ in civilibus Christianorum societatibus æternæ animarum saluti et fidei incolumitati adversantur. Quam cæteroquin potestatem ipsi etiam Ecclesiæ collective sumptæ Gallicanum systema denegat.

Quartus error in eo est, quod Romanus Pontifex dicatur subjectus canonibus, id est, disciplinæ legibus ab universali Ecclesia receptis. Unde, quoad ejusmodi canones, nedum Papa jurisdictionis primatum habeat, et possit tanquam supremus legislator canones illos mutare vel revocare, iisdem tanquam inferior subjicitur; ac supra se habet superiorem, videlicet collegium Episcoporum, a quo leges istæ, invito Papa, in suo robore conservari possunt; imo ita ut ipse Papa eis subjaceat et obedire teneatur. Qui quartus error tanquam corollarium e primo sequitur. Si enim Papa inferior sit relative ad Ecclesiam collective sumptam, consequens est ut obedire teneatur disciplinæ legibus ab Ecclesia universali sancitis ac retentis; nec possit eas, nisi de consensu episcoporum, immutare.

Ex recensitis autem erroribus alii plures tanquam consectaria necessario dimanant. Ex eo quod, verbi gratia, Romanus Pontifex relative ad Ecclesiam collective sumptam primatum jurisdictionis non habeat, sed inferior sit, sequitur legitime dari appellationem ab ipso ad futurum concilium œcumenicum, ac etiam ad Ecclesiam dispersam. Et hoc quidem consectarium hodierni gallicani respuunt, utpote pluries

a sede apostolica damnatum. Sed in hoc aperte sibi contradicunt. Licet enim semperque licebit ab inferiore judice appellare ad superiorem. Proinde cum ipsi Romanum Pontificem supremum judicem non habeant, sed supra ipsum agnoscant alium judicem superiorem, nempe concilium œcumenicum seu collegium Episcoporum, absone refugiunt ab ejusmodi appellatione; et deberent e contra jansenistas, qui ad hanc appellationem confugerunt, laudibus extollere. Item ex eo quod Romanum Pontificem canonibus inferiorem faciant, sequitur episcopos obsistere posse novis legibus, quibus sedes apostolica priscam disciplinam immutat; verbi gratia, legi qua sibi reservavit Episcoporum electionem et confirmationem. Et sic alii atque alii errores consequuntur, quos omnes hic exponere supervacaneum foret. Primarios indigitasse satis sit.

CAPUT II

DE STATU QUÆSTIONIS, SEU QUALEM ROMANI PONTIFICIS PRIMATUM INTELLIGAMUS ET TANQUAM DOGMA CATHOLICUM PROPUGNATURI SIMUS.

1° Non intelligimus primatum meri honoris, nec etiam primatum meri ordinis, sed primatum jurisdictionis.

2° Intelligimus primatum jurisdictionis, non jure ecclesiastico seu ab Ecclesia, sed jure divino seu a Christo ipso Romanis Pontificibus collatum.

3° Intelligimus primatum jurisdictionis, non improprie dictum, ad sensum Gallicani systematis, id est, quo Papa sit superior relative ad universalem Ecclesiam distributive sumptam, non autem collective sumptam; sed primatum jurisdictionis proprie dictum, seu monarchicum; vi cujus scilicet penes Papam sit potestas ecclesiam universalem, tum distributive tum collective sumptam, gubernandi.

4° Intelligimus primatum, non quoad aliquas partes potes-

tatis ecclesiasticæ, sed quoad totum hujusce potestatis objectum. Nimirum potestatem omnem quæ in Ecclesia est et ecclesiastica dici potest, dicimus totam quantam penes Romanum Pontificem residere. Ita ut jure divino valeat summus Pontifex, et obligatoriam legem credendi imponere, et decretis disciplinaribus omnes Christi fideles ligare.

5° Igitur primatum summi Pontificis intelligimus potestatem *monarchicam*, cui subjaceant fideles omnes, sive distributive sive collective sumpti, quoad omnes materias quæ sunt objectum potestatis ecclesiasticæ. Unde breviter primatus ille definiri potest : *Potestas regendi universalis quoad personas et quoad materias Ecclesiæ subjectas;* seu brevius : *Monarchica in universalem Ecclesiam potestas.*

Hoc sensu Romanis Pontificibus collatum a Christo fuisse primatum, est dogma catholicum omnino certum et tenendum, prout hæc præsens disceptatio demonstrabit.

CAPUT III

DE CONNEXIONE INTER QUÆSTIONEM DE PRIMATU SANCTI PETRI ET QUÆSTIONEM DE PRIMATU ROMANI PONTIFICIS.

Primatus jurisdictionis, seu monarchica in universalem Ecclesiam potestas, non alio ex titulo Romanis Pontificibus competit, quam quod sancto Petro apostolo quoad ejusmodi principatum successerint. Perpetua scilicet Ecclesiæ traditio et fides hoc solum *successionis* jus allegat ad vindicandum Romanæ sedi jurisdictionis primatum. Hinc negare primatum sancti Petri, est simul hoc ipso negare Romani Pontificis primatum. Item, licet admittatur primatus sancti Petri, negatur nihilominus Romanorum Pontificum primatus, si contendatur quoad ejusmodi primatum eos sancto Petro non successisse. Porro quod primatu aliquo sanctus Petrus fuerit a Christo

ipso insignitus, facile concedunt ipsi etiam hæretici et schismatici. Nituntur dumtaxat primatum istum falsis sacrorum textuum interpretationibus imminuere ac restringere, ut iisdem postea restrictionibus primatum Romani Pontificis subjiciant. Alii vero acatholici, ut primatum hunc Romanis Pontificibus omnino eriperent, negaverunt sanctum Petrum ipsos successores habuisse. Quod erroris monstrum hac duplici assertione persuadere conati sunt : 1° sanctus Petrus nunquam Romam ivit : 2° si concedendum sit sanctum Petrum Romam ivisse, nunquam tamen fuit Romanus Episcopus ; ac proinde ruit jus successionis Romani Pontificis quoad primatum ; cum jus illud nequeant Romani Pontifices sibi alio titulo vindicare, quam quod sancto Petro in Romana episcopali sede successerint.

Igitur dogma de Romani Pontificis primatu connexum hæret cum dogmate de primatu sancti Petri. Quapropter exponenda primum ac firmanda visa est doctrina catholica de sancti Petri principatu. Pro quo sequentem sectionem instituimus.

SECTIO II

DE PRIMATU SANCTI PETRI

Quæ de primatu sancti Petri expendenda veniunt octo capitibus complectemur, videlicet : 1° Sanctus Petrus jure divino seu ex institutione Christi habuit jurisdictionis primatum in universam Ecclesiam ; 2° Dictum primatum habuit etiam in reliquos Apostolos ; 3° Ilic primatus non fuit ipsi cum sancto Paulo communis ; 4° Sanctus Petrus Romam ivit : 5° Fuit vere Romanorum Episcopus ; 6° Retinenda est sententia quæ propugnat S. Petrum bis Romam ivisse, et per 25 annos Romanum episcopatum tenuisse ; 7° An et quatenus ad fidem pertineant facta sancti Petri quæ connexionem habent cum Romani Pontificis primatu ; 8° Sanctus Petrus ex jure divino seu ex institutione Christi habere debuit et habuit primatus sui successorem.

CAPUT I

SANCTUS PETRUS JURE DIVINO SEU EX INSTITUTIONE CHRISTI HABUIT HONORIS AC JURISDICTIONIS PRIMATUM IN UNIVERSAM ECCLESIAM (EST DE FIDE).

Probatur scriptura sacra, sanctorum Patrum traditione, conciliorum œcumenicorum definitionibus, et definitionibus Romanorum Pontificum a tota Ecclesia receptis.

§ 1. — Argumentum ex Scriptura sacra.

I. *Ex verbis Christi*, SUPER HANC PETRAM ÆDIFICABO ECCLESIAM MEAM. — Legitur apud Joannem (I, 42) : « Intuitus eum Jesus

dixit: Tu es Simon filius Jona; tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus. » Postquam autem Petrus Christum confessus est Dei vivi filium, hæc audivit ad se directa divina verba: « Beatus es...; et ego dico tibi quia tu es Petrus et *super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam » (Matth. VI, 16). Ex quo textu sic arguimus: ille primatum habuit honoris et jurisdictionis qui 1° constitutus est Ecclesiæ fundamentum, et qui 2° constitutus hoc ipso fuit auctoritate superior quibuslibet aliis ex quibus coalescit Ecclesia. Atqui hæc duo ex prædicto textu constant.

1° *Petrus constitutus est personaliter Ecclesiæ fundamentum.* — Ita necessario admittendum est, si voces istæ, *super hanc petram*, etc., dirigantur personaliter ad Petrum, id est, ad ipsammet personam Petri. Atqui revera verba hæc ad personam Petri diriguntur.

Primo, id constat ex promissione nominis *Cephas*. Nam promissio hæc aliquid speciale, excellens et eximium Petro determinate concedendum exhibet ac complectitur. Porro nihil speciale præ se ferret, nisi voces istæ, *super hanc petram*, dirigantur ad personam illius cui dictum fuerat, *tu vocaberis Cephas*, et cui hic et nunc dicitur *tu es Petrus*. Ergo petra supra quam fundatur Ecclesia, est ipse Petrus seu persona Petri.

Secundo, idem constat ex voce *hanc*, quæ grammaticaliter seu ex sermonis conditione nonnisi ad Petrum modo nominatum referri potest. Nec obstat quod sit fœminini generis, vox autem *Petrus* masculini. Nam in lingua hebraica, chaldaica, et syriaca, ac proinde in lingua qua Christus usus est, non exstat illa generis diversitas; ita ut perinde sit ac si latine diceretur, *tu es Petrus et super hunc Petrum*; vel, *tu es petra et super hanc petram*. Præterea quod vocabulum *hanc* ibi ad personam Petri referenda sit, patet ex eo quod absone ad aliam personam, vel ad aliquid aliud referretur. Nam ibi Christus Petrum distincte ac determinate alloquitur, cum di-

cat *tu es Petrus ;* et eum alloquitur ut præmio aliquo remuneret ejus confessionem, qua Christum declaraverat esse *Dei vivi filium*. Igitur hypothesis quod Christus post verba hæc, *tu es Petrus*, statim sermonem converterit ad aliam personam, vel ad aliquid aliud a Petro diversum, stultitiam atque apertam amentiam in Christo argueret. Ergo revera voces istæ *super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, ad ipsammet Petri apostoli personam directa sunt. Ergo Petrus vere a Christo Ecclesiæ fundamentum constitutus est.

Tertio, idem constat ex eo quod præfatæ voces, *super hanc petram*, constanter a sanctis Patribus de persona Petri intellectæ fuerint. Nonnulla eorum hac de re dicta subjicimus : — sanctus Ambrosius in hymno : *Hoc* (præcone diei, seu gallo) *ipsa petra Ecclesiæ canente culpam diluit*. — Sanctus Basilius : *Petrus, propter fidei excellentiam Ecclesiæ ædificationem in se suscepit*. — Chrysostomus : *Dominus dicit : Tu es Petrus et super te ædificabo*. —Tertullianus : *Super Petrum ædificavit Ecclesiam suam*. — Sanctus Hieronymus : *Recte dicitur ei (Petro) : ædificabo Ecclesiam meam super te*. — Sanctus Augustinus : *Petri sedes, ipsa est petra quam non vincunt superbæ inferorum portæ*. Quem sancti Augustini textum, cum multis aliis referens Pius Papa VI, in Brevi *Super soliditate*, ita subjungit : « Quo « alia refellitur scriptoris (Eybel) calumnia, dum petræ no- « mine super quam Christus ædificavit Ecclesiam suam, non « personam, sed fidem aut confessionem Petri vult potius « esse intelligendam. Quasi Patres ii qui, pro mira fœcundi- « tate scripturæ, petræ vocabulum eo quoque retulerunt, lit- « teralem illum sensum, quo ad Petrum ipsum directe re- « fertur, deseruerint, ac non etiam apertissime retinuerint. « Sic et magister Augustini Ambrosius : *Ipse est Petrus, cui « dixit : Tu es Petrus et super hanc petram... Ubi ergo Petrus, « ibi Ecclesia*. Hæc una vox Patrum, hæc doctorum perpetua « traditio. »

Quarto, idem constat ex eo quod œcumenica concilia definierint super Petrum fundatam fuisse Ecclesiam, seu, quod

idem est, ipsum a Christo constitutum cum plena Ecclesiam universalem pascendi ac regendi potestate. — Concilium Chalcedonense Petrum appellat *petram et crepidinem Ecclesiæ catholicæ*. — Concilium Lugdunense II declarat Romanam Ecclesiam, *in beato Petro Apostolorum principe sive vertice primatum cum potestatis plenitudine recepisse*. — Concilium Florentinum sic definivit : *Ipsi* (Romano Pontifici) *in beato Petro pascendi, regendi et gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse* (sessione 25, in definitione).

Concilium VIII, seu Constantinopolitanum IV, sub Adriano Papa II, approbavit formulam fidei, quam subscribi ab Orientalibus Episcopis jusserant summi Pontifices Hormisdas et Adrianus I. In ea vero formula sic habetur : « Prima salus « est rectæ fidei regulam custodire ; deinde a constitutis Dei « et Patrum nullatenus deviare... Et quia non potest Domini « nostri Jesu Christi prætermitti sententia dicentis : *Tu es* « *Petrus et super hanc petram...*, hæc quæ dicta sunt, rerum « probantur effectibus ; quia in Sede Apostolica immaculata « est semper catholica reservata religio. »

Quinto, idem constat ex definitionibus Romanorum Pontificum in tota Ecclesia receptis. Quod nempe Apostolus Petrus a Christo positus sit *Ecclesiæ fundamentum*, sæpissime recurrit in Romanorum Pontificum constitutionibus ac definitionibus in tota Ecclesia receptis, inculcatum. Quarum veluti compendium exhibens Pius VI dixit : *Super soliditate petræ fundatam a Christo Ecclesiam... dogma catholicum est* (in Brevi *Super soliditate*). Igitur certum est 1° per verba ista, *super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, Petrum Apostolum constitutum a Christo fuisse fundamentum Ecclesiæ.

2° *Hoc ipso quod Petrus personaliter constitutus sit Ecclesiæ fundamentum, accepit primatum auctoritatis seu jurisdictionis.* — Ædificium enim de quo agitur, est Ecclesia, id est Christi fidelium societas. Porro non potest quis constitui fundamentum alicujus societatis, nisi in eo sensu quod constituatur

illius societatis rector ac gubernator, ut eam regendo et gubernando, in ratione societatis seu moralis ædificii sustentet ac contineat. Igitur esse fundamentum alicujus societatis, et habere supremam in ea societate auctoritatem, unum et idem est. Si plures simul supremam illam auctoritatem obtineant, plures simul fundamentum sunt. Si unus fundamentum sit, ille solus supremam regendi auctoritatem possidet. Cum ergo Petrus a Christo fundamentum constitutus sit, collata ei fuit suprema jurisdictio ac regendi auctoritas; — præterea hoc sensu sancti Patres, Romani Pontifices et concilia intellexere hanc fundamenti nuncupationem ut allati textus demonstrant. Ergo revera ex eo quod sanctus Petrus Ecclesiæ fundamentum constitutus sit, sequitur ipsi a Christo collatum esse primatum jurisdictionis, seu supremam auctoritatem. Aliunde certum est constitutum eum a Christo fuisse Ecclesiæ fundamentum, ut probat textus de quo disserimus, *super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam;* ergo textus ille probat collatum Apostolo Petro fuisse primatum jurisdictionis.

II. *Ex verbis Christi*, TIBI DABO CLAVES REGNI CŒLORUM. — Nam *primo* claves istæ directe Petro promittuntur, cum dicat Christus *tibi dabo*. Et cum absque effectu remanere nequeat Christi promissio, certum est datas esse Petro claves istas, prout ipsi promissum fuerat. Et quod promissio clavium vere ipsi Petro facta sit, patet insuper ex verbis immediate præcedentibus, *et ego dico tibi quia tu es Petrus;* et insuper ex eo quod promissio ista clavium fiat in remunerationem confessionis divinitatis Christi a Petro prolatæ. *Secundo*, claves istæ, Petro promissæ ac datæ, primatum jurisdictionis seu auctoritatis designant. Nam apud populos omnes ac in tota retro antiquitate, claves semper fuere auctoritatis ac dominii symbolum. Unde qui habet claves domus alicujus, ejus dominus est; et qui domum vendidit, eam censetur tradidisse cum claves ejus tradidit. Et pariter claves urbis in subjectionis testimonium traduntur. Et tandem qui claves regni cœlorum habet, potest illud claudere ac aperire; neque ullus

potest absque ipsius auctoritate ingredi. Ergo hoc ipso quod claves regni cœlorum Petro datæ sint, nullus regnum illud introire potest, nisi sese Petro seu Petri auctoritati subjiciat. Ergo textus iste probat Petro collatam a Christo fuisse auctoritatem super omnes, seu primatum jurisdictionis.

III. *Ex verbis Christi*, QUODCUMQUE LIGAVERIS SUPER TERRAM.— Nam verbis istis personæ Petri confertur absolute, universaliter et sine ulla exceptione potestas ligandi atque solvendi, ut patet ex verbo *quodcumque*. Unde Petrus ligare potuit ea quæ ab aliis essent soluta, et solvere quæ fuissent ab aliis quibuscumque ligata. Et hinc damnata est a Leone X, in bulla *Exurge Domine*, hæc vigesima sexta Lutheri propositio : *Verbum Christi ad Petrum : Quodcumque solveris super terram, etc., extenditur duntaxat ad ligata ab ipso Petro*. Jam vero hæc plena ligandi et solvendi potestas, involvit auctoritatem superiorem cui omnes subjacere debeant, et quæ possit omnium aliorum statuta confirmare aut infringere. Arguit proinde auctoritatem qua possit Petrus, quascumque leges de fide, moribus et universali disciplina edicere. Ergo verba hæc primatum jurisdictionis exprimunt.

Objicies. — Similia verba direxit Christus ad alios etiam Apostolos : *Quæcumque ligaveritis*, etc. (Matth. XVIII, 18). Ergo sicut verba hæc non probant primatum jurisdictionis quoad alios, nec probant quoad Petrum.

Respondeo. — Quando verba hæc ad Apostolos Christus direxit, aderat Petrus cum eis. Unde verba hæc interpretari possunt hoc sensu, quod Apostoli potestatem receperint quodcumque ligandi et solvendi, quatenus agerent collegialiter cum capite suo Petro, id est, ipsomet Petro cum eis ligante ac solvente : non autem si agerent quatenus singuli, vel dissentiente capite suo Petro. Ista, inquam, interpretatio, nedum repugnet, suadetur e contra ex circumstantia illa, quod tunc Apostoli congregati existerent cum Petro. Aliunde autem veram esse interpretationem istam rigorose demonstratur ex aliis verbis soli Petro directis. Nam falsum esse nequit quod

dixit Christus Petro. Porro falsum omnino foret. Ei quippe dixit: *Quodcumque solveris erit solutum, quodcumque ligaveris erit ligatum;* quod verum esse nequit, si quilibet ex aliis Apostolis, aut etiam Collegium Apostolorum independenter ab ipso hanc eamdem potestatem quodcumque solvendi et ligandi habeat. Nam si possint alii Apostoli independenter ab ipso *quodcumque* ligare et solvere, poterunt etiam id quod ligavit Petrus solvere, et quod solvit ligare. Ergo jam falsum erit posse Petrum *quodcumque* ligare et solvere. Igitur verba Christi ad Petrum rigorose arguunt primatum jurisdictionis Petro collatum, nec possunt alio sensu intelligi. Econtra verba Christi ad Apostolos simul congregatos, per se admittunt interpretationem quæ primatum excludit; et necessario admittenda est interpretatio hæc, quia secus evidenter sequeretur Christum falsa pronuntiasse. Unde brevius sic objectio solvi potest: similia dixit Christus aliis Apostolis, distinguo: et verba hæc primatum jurisdictionis quoad alios Apostolos, quatenus a Petro dissentientes non exprimunt, concedo: et verba hæc primatum arguunt in aliis quatenus a Petro dissentientibus, nego.

IV. *Ex verbis Christi*, ROGAVI PRO TE UT NON DEFICIAT FIDES TUA... CONFIRMA FRATRES TUOS. — Sic nempe legitur apud Lucam (XXII, 31): « Simon, Simon, ecce Satanas expetivit vos ut cribraret sicut triticum; ego autem rogavi pro te ut non deficiat fides tua: et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos. » Quamvis omnes Apostoli expetiti fuissent a satana et cribrandi essent, Christus pro Petro specialiter rogavit ut non deficeret fides ejus; et Petrus officium mandatumque accepit confirmandi, vi fidei suæ non defecturæ, fratres suos, id est, Apostolos ac fideles omnes. Unde fides Petri per solam Christi orationem solidatur et a cribro Satanæ eripitur. Cæteri autem hunc effectum orationis Christi non recepturi sunt, nisi quatenus a Petro in fide confirmabuntur et quatenus confirmanti Petro obsequentur. Igitur Petro confertur potestas fidem tenendam ac profitendam cæteris omnibus edicendi ac præs-

cribendi ; ac tenentur cæteri omnes, ne a recta fide aberrent, Petro sic præcipienti obsequi. Porro ejusmodi potestas, est primatus jurisdictionis ac supremæ auctoritatis circa fidem, et circa ea quæ ad fidem pertinent. Et cum ad fidem pertineant etiam mores ac generalis disciplina, sequitur Petro, per citata verba, collatum revera fuisse primatum jurisdictionis, seu supremam gubernandæ universalis Ecclesiæ auctoritatem.

V. *Ex verbis Christi*, PASCE AGNOS MEOS... PASCE OVES MEAS. — Sic nempe habet textus ille (apud Joannem, XXI, 15-17) : « Simon Joannis, diligis me plus his? Dicit ei : Etiam, Domine, tu scis quia amo te. Dicit ei : Pasce agnos meos. » Post secundam amoris protestationem, Petro iterum dicitur : « Pasce agnos meos. » Et post tertiam protestationem, ei dicit Christus : « Pasce oves meas. » Ibi scilicet agnos et oves pascendi potestas, in præmium amoris, Petro confertur. Jam vero 1° potestas illa quoad *omnes* oves et agnos intelligenda est. Nam propositio universalis est, cum dicatur simpliciter *pasce agnos*, *pasce oves*, non autem, *pasce aliquos agnos*, *aliquas oves*. Insuper hæ voces eamdem extensionem habent ac istæ : « Pono animam meam pro ovibus meis » (Joann. x, 15), quæ profecto de *omnibus* ovibus intelligendæ sunt. Insuper verba hæc eumdem sensum habent ac si dictum Petro fuisset : Ovilis mei curam habe. Præterea cum dicitur in testamento : Bona mea tali hæredi relinquo, id de bonis *omnibus* testatoris intelligitur. Et tandem dictæ voces absone intelligerentur de *aliquibus* duntaxat ovibus et agnis. Christus enim non determinasset quænam essent istæ *aliquæ* oves, quas Petro commisisset. Proinde non posset Petrus eas discernere. Unde nullas de facto pascendas recepisset, cum nullas pascere posset. Igitur certum est 1° voces istas, *pasce agnos*, *pasce oves*, de omnibus ovibus et agnis esse intelligendas.

2° Sic intellectæ voces istæ primatum jurisdictionis seu supremam regendi auctoritatem arguunt. Nam pastor relative ad oves suas, hoc ipso quod sit pastor, potestatem regi-

minis habet. Quod si oves independenter ab ipso sese regere, vel ab alio regi valerent, ipse nullatenus pastor esset. Unde metaphora illa plenam arguit Petro collatam regiminis potestatem quoad omnes Christi fideles. Insuper ipsa vox *pascere*, in tota retro antiquitate, idem sonat ac *regere;* ita ut etiam reges hoc pastorum nomine designari soleant. Homerus, verbi gratia, Agamemnonem vocat *pastorem populorum*, ποίμενα λαῶν. Cum ergo Petro Christus commiserit potestatem pascendi, id est, regendi, et quidem quoad *omnes* oves ac agnos suos, sequitur Petro collatum fuisse jurisdictionis primatum seu supremam Ecclesiæ universalis gubernandæ auctoritatem.

VI. *Confirmatur ex variis prærogativis quæ in sacra Scriptura Petro tribuuntur.* — Ejusmodi prærogativæ, saltem simul sumptæ, supponunt et evincunt Petro collatum fuisse primatum, non meri honoris duntaxat, sed et jurisdictionis. Hasce prærogativas recenseamus : 1° ipsius nomen mutavit Christus, et vocavit *Petrum;* cujus vocabuli significatio excellentiam quamdam denotat; præsertim cum ipse Christus manifestum fecerit hujusce mutationis scopum, videlicet ut vel nomine hujus Apostoli denotaretur quid futurus esset in Ecclesia, id est, fundamentalis rupes totam structuram sustinens : *Tu es Petrus et super hanc petram ædificabo;* 2° Petrus primo loco semper nominatur, et aliorum Apostolorum nomine loquitur; 3° solus Petrus cum Domino ambulat super aquas; 4° revelatio divinitatis Christi Petro soli fit a Deo Patre (Matth. VI); et Petrus solus hanc divinitatem confitetur; 5° promissionem perpetuæ stabilitatis solius Petri sedes recepit; nam ubi dicitur, *et portæ inferi non prævalebunt adversus eam*, vox *eam* refertur etiam ad *petram*, ut ex ipso textu patet, et intellexerunt sancti Patres, imprimis Origenes, necnon sanctus Augustinus, qui sic habet : *Ipsa est Petra quam non vincunt superbæ inferorum portæ;* 6° Christus pro se et Petro solo tributum solvi jubet; quæ solutio per miraculum peragitur (Matth. XVII, 23); 7° Christus Petri naviculam ingredi-

tur, aliis relictis, et solus Petrus jubetur piscari (Luc. v, — Joann. xxi) ; 8° Orat Christus pro Petro ne deficiat fides ejus (Luc. xxii) ; 9° Christus resurgens sese Petro ostendit, antequam cæteris Apostolis appareat ; 10° Primus etiam Petrus cujus pedes Christus lavat, ut exponit S. Augustinus ; 11° Soli Petro Christus mortem et quidem mortem crucis prædicit (Joann. xxi) ; 12° Petrus discipulos colligit ut eligatur Judæ successor ; 13° Petrus, post acceptum Spiritum sanctum, primus loquitur et prædicat Evangelium ; et prima concione tria hominum millia Christo lucratur ; 14° Petrus primum miraculum operatur in nomine Christi et in testimonium fidei ; 15° Petrus *pertransibat omnes* (Act. ix) ; id est, juxta sanctum Chrysostomum, omnes visitabat sicut dux exercituum ; 16° Petrus Ananiæ et Saphiræ fraudem ac hypocrisim noscit, eosque verbo et miraculo morte plectit (Act. v) ; 17° Petrus primus prædicat gentibus, uti judæis primus prædicaverat, et ipsi soli ostenditur visio animalium quæ figurabat gentes jam convertendas (Act. x) ; 18° pro Petro in carcere constituto « oratio fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad Deum » (Act. xii), quod factum non legitur pro Stephano et Jacobo ; 19° Petrus in concilio Apostolorum primus loquitur ejusque sententiam alii sequuntur (Act. xv) ; 20° Dicit sanctus Paulus : « Post annos tres ascendi Ierosolymam videre Petrum » (Ad Galat. i).

Præter ejusmodi prærogativas, in sacra Scriptura memoratas, aliæ plures ex traditione noscuntur Petro concessæ, videlicet : ipse solus a Christo fertur baptizatus ; solus a Christo Episcopus ordinatus ; primus Simonem Magum, primum hæresiarcham, detexit, damnavit, et extinxit ; Romæ sedem suam divino jussu collocavit ; Ecclesiæ ab ipso fundatæ, nimirum Antiochena et Romana, solæ habitæ sunt patriarchales et aliis superiores ; et tandem festo speciali celebratur cathedra sancti Petri, qua primum Antiochiæ et postmodum Romæ sedit.

Etsi autem unaquæque ex recensitis prærogativis seorsim

perpensa jurisdictionis primatum rigorose non probet, omnes tamen simul collectæ aperte denotant, constitutum a Christo Petrum cum suprema Ecclesiam regendi auctoritate.

§ 2. — Argumentum e Patrum traditione.

Quotquot Patres voces illas Christi Domini *super hanc Petram* intellexerunt de Petro dictas, hoc ipso censendi sunt, fatentibus adversariis, primatum jurisdictionalem Petro asseruisse. Hinc merito in testimonium agniti dicti primatus adducemus illos etiam textus, qui Petrum memorant tanquam Petram super quam ædificata fuit Ecclesia.

I. *Series Patrum Græcorum.*

Origenes. — « Vide magno illi Ecclesiæ fundamento, et petræ solidissimæ, super quam Christus fundavit Ecclesiam, quid dicatur a Domino : Modicæ, inquit, fidei, quare dubitasti? » (Homilia 6, in Exodi capita XII, XIII, XIV, tomo I, pag. 45, editionis Gilberti Genebrardi, Parisiis 1619). — « Et Petro, cum summa rerum de pascendis ovibus traderetur, et super ipsum velut super terram fundaretur Ecclesia, nullius confessio virtutis alterius ab eo nisi charitas exigitur. » (In epist. *ad Romanos* capite VI, lib. V, citatæ editionis tomo II, pag. 354). Indubitatum nempe Origeni ædificatam a Christo fuisse Ecclesiam *super Petrum*, et ipsi traditam *summam rerum* in Ecclesiæ regimine. Indubitatus proinde eidem Origeni honorificus et jurisdictionalis Petri primatus. (Alios Origenis textus idem evincentes, citatos vide apud Mamacchi, *Origines christianæ*, l. IV, parte 2, cap. I, § 3, pag. 134, tomi V, edit. Romæ 1755.)

S. Athanasius. — « Πέτρος ὁ Κορυφαῖος, Petrus Corypheus » (in Psalm. XV, v. 8).

Eusebius. — « Petrus Apostolus natione Galilæus et christianorum Pontifex primus » (in Chronico anni 44 a Christo nato). « Ubi est observandum discrimen, quod Eusebius ponit inter Petrum et aliarum civitatum Episcopos. Nam de Petro non

dicit : *Romanorum Episcopus primus*, sicut ibidem dicit de Jacobo, *Ecclesiæ Hierosolymorum primus Episcopus ab Apostolis ordinatur Jacobus frater Domini ;* et de Evodio : *primus Antiochiæ Episcopus ordinatur Evodius.* Non ita de Petro loquitur, sed *christianorum Pontifex primus ;* nimirum ut intelligeremus Jacobum unius civitatis, Petrum totius orbis christiani Pontificem fuisse. Idem (libro II Hist., cap. 14) vocat Petrum, *omnium Apostolorum probatissimum et maximum*, *primorum principem et ducem*, *ac magistrum militiæ Dei.* Quid autem aliud esse ducem militiæ Dei, quam esse caput militantis Ecclesiæ? » (Bellarminus, *de Romano Pontifice*, l. I, cap. 25.)

S. Basilius. — « Ille (Petrus) beatus qui cæteris prælatus discipulis fuit, cui claves regni cœlestis commissæ » (Sermone de Judicio Dei).

S. Gregorius Nazianzenus. — « Vides quemadmodum ex Christi discipulis, magnis utique omnibus et excelsis, atque electione dignis, hic *petra* vocetur, atque Ecclesiæ fundamenta fidei suæ credita habeat, ac reliqui discipuli post haberi se tranquillo animo ferant » (Orat. de Moderatione in disputationibus servanda).

Cyrillus Hierosolymitanus. — Petrum vocat « principem Apostolorum excellentissimum » (Cath. 2).

Cyrillus Alexandrinus. — « Ut princeps caputque cæterorum primus exclamat : Tu es Christus filius Dei vivi » (libro XII in Joann. cap. 64). Sanctus Thomas (in opusculo contra Gentes) citat hunc alium Cyrilli textum, qui textus in operibus Cyrilli quæ hodie habentur non extat : « Christus accepit a Patre sceptrum Ecclesiæ gentium, dux ex Israel egrediens, super omnem principatum et potestatem super omne quodcumque est, ut ei cuncta curventur. Sic et Petro et ejus successoribus plenissime commisit ; et nulli alii quam Petro Christus quod suum est plenum, sed ipsi soli dedit. »

S. Chrysostomus. — « Petrum Ecclesiæ futuræ pastorem constituit... Deus concedere solus potest ut futura Ecclesia, tot tantisque fluctibus impetu irrumpentibus, immobilis per-

maneat, cujus pastor et caput homo piscator atque ignobilis... Jeremiam uni genti pater ; hunc autem universo terrarum orbi Christus, præposuit » (Homilia 59 in Matthæum). Et homilia ultima in Joannem, dicit, Petro fratrum, id est, apostolorum curam demandatam et orbem totum commissum.

S. Epiphanius. — « Qui negavit aliquando sanctus Petrus, et summus Apostolorum κορυφαιοτάτος τῶν ἀποστόλων, qui factus est nobis vere firma petra fundans Domini fidem, in qua ædificata est modis omnibus Ecclesia, εφ' ἡ ᾠκοδομετο ἡ ἐκκλησία κατὰ πάντα τρόπον » (Hæresi 59, pag. 500, tom. I, edit. Petav., Parisiis, 1622).

S. Gregorius Nyssenus. — « Dominus ait ad principem Apostolorum : Tu es Petrus » (De Adventu Domini, Operum t. I, pag. 994, edit. Paris. 1615). — In catechesi secunda Petrum vocat « summum et principem apostolorum : κορυφαιοτάτον και πρωτοστάτην τῶν ἀποστόλων. »

Euthymius. — Bis asserit Petrum accepisse præsidentiam super discipulos (ad caput ultimum Joannis). Et ibidem : « Si dicas : Quomodo Jacobus sedem Hierosolymis accepit ? respondeo : hunc (Petrum) totius orbis magistrum esse constitutum. » Quæ verba significant, sicut Jacobus Episcopus fuit Jerosolymorum, ita Petrum totius orbis Episcopum fuisse.

Theophylactus. — Explanans verba Evangelii, *confirma fratres tuos*, sic habet : « Planus hujus intellectus is est : quia te habeo ut principem discipulorum, postquam negato me fleveris, et ad pœnitentiam veneris, confirma cæteros. Hoc enim decet te, qui post me Ecclesiæ petra es, et fundamentum... Tu, Petre, conversus, bonum exemplum pœnitentiæ eris omnibus, qui cum Apostolus fueris et negaveris, iterum receperis primatum omnium et præfecturam orbis » (ad caput XXII sancti Lucæ).

Œcumenius. — « Surgit Petrus, non Jacobus, et velut ferventior, et velut is cui discipulorum præsidentia commissa erat » (ad cap. I Actuum).

Hugo Etherianus. — Is, etsi Latinus, scripsit græce circa annum 1160. Sic habet in opere de processione Sancti Spiritus, l. III, cap. 17 : « Ex ipsa rei evidentia liquido apparet, quod Petrum ejusque successorem Christus principem et caput, non modo Latinorum et Græcorum, Occidentis et Septentrionis universi, verum etiam Armenorum, Arabum, Judæorum, Madianitarum, et totius orientis et meridiani climatis in perpetuum constituit. »

II. *Series Latinorum Patrum :*

S. Cyprianus. — In libro *de Unitate Ecclesiæ*, capite 3 et 4, rationem patefaciens cur eveniant hæreses et schismata, sic habet : « Hoc eo fit, fratres dilectissimi, dum ad veritatis originem non reditur, nec caput quæritur, nec magistri cœlestis doctrina servatur. Quæ si quis consideret et examinet, tractatu longo atque argumentis opus non est. Probatio est ad fidem facilis compendio veritatis. Loquitur Dominus ad Petrum : *Ego tibi dico*, inquit, *quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferorum non vincent eam. Et tibi dabo claves regni cœlorum; et quæ ligaveris...* Et iterum eidem post resurrectionem suam dicit : *Pasce oves meas.* Super illum unum ædificat Ecclesiam suam et illi pascendas mandat oves suas. Et quamvis Apostolis omnibus post resurrectionem suam parem tribuat potestatem, unam tamen cathedram constituit et unitatis originem atque rationem sua auctoritate disposuit. Hoc erant utique et cæteri quod et Petrus ; sed primatus Petro datur, ut una Christi Ecclesia et cathedra una monstretur. » Igitur expresse docuit Cyprianus, *primatum Petro datum.* Quod autem intelligat primatum jurisdictionis, non meri honoris dumtaxat, evincit contextus. Nam inde colligit Cyprianus primatum Petri, quod *super illum unum* Christus *Ecclesiam suam ædificaverit*, et quod *illi pascendas mandaverit oves suas.* Quæ sane sustentandi totius ædificii ac oves pascendi officia jurisdictionem secum ferunt, nec absque jurisdictione stare ac expleri valent. Præterea, ideo docet Cyprianus *datum Petro primatum*,

ut esset *unitatis origo et ratio*. Porro primatus meri honoris unitatem producere non posset, nec proinde foret unitatis origo et ratio.

Tertullianus. — « Latuit aliquid Petrum, ædificandæ Ecclesiæ petram dictum, claves regni cœlorum consecutum, et solvendi et alligandi in cœlis et in terris potestatem? » (*De Præscriptionibus*, cap. 22, p. 209, edit. Venetæ 1748.) — « Quæ[1] super illum[2] ædificata » (de Monogamia, cap. 8). — In libro de Pudicitia, quem in hæresim jam lapsus scripsit, sic Romanum Pontificem redarguit, quod sibi tribueret potestatem peccata, post baptismum patrata, pœnitentibus dimittendi : « Exhibe nunc mihi, Apostolice, prophetica exempla et agnoscam divinitatem, et vindica tibi delictorum ejusmodi remittendorum potestatem... De tua nunc sententia quæro, unde hoc jus Ecclesiæ usurpes. Si quia dixerit Petro Dominus, *super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, tibi dedi claves*... idcirco præsumis et ad te derivasse solvendi et alligandi potestatem..., qualis et evertens atque commutans manifestam Domini intentionem, personaliter hoc Petro conferentem? *Super te*, inquit, *ædificabo Ecclesiam meam, et tibi dabo claves*, non Ecclesiæ. » (*De Pudicitia*, cap. 21.) — « Audio etiam edictum esse propositum et quidem peremptorium : *Pontifex* scilicet *Maximus*, quod est *Episcopus Episcoporum*[3] edicit : Ego et mechiæ et fornicationis delicta pœnitentia functis dimitto. » (*De Pudicitia*, cap. 1.) Cum asseruerit Tertullianus ædificatam super Petrum Ecclesiam, hoc ipso, fatentibus adversariis, asseruit jurisdictionalem ejus primatum.

S. Maximus. — « Quanti ergo meriti apud Dominum suum Petrus erat, ut ei post naviculæ parvæ remigium, totius Ecclesiæ gubernacula traderentur? » (Serm. 3, de Apost.)

(1) Id est, *Ecclesia*.

(2) Id est, *Petrum*, prout patet ex contextu.

(3) Irridet quidem ibi catholicos, at simul testatur solitum jam tunc temporis Romanum antistem ab ipsis designari hisce denominationibus, jurisdictionalem primatum manifeste arguentibus.

Optatus. — « Cathedra una est ; et negare non audes, scire te Petro primum in urbe Roma cathedram esse collatam, ubi sederit omnium Apostolorum *caput Petrus*, inde Cephas appellatus, *in quo uno cathedræ unitas ab omnibus servaretur*, nec cæteri Apostoli singulas sibi quisque defenderent ; ut jam schismaticus et peccator esset, qui contra singularem cathedram alteram collocaret. Ergo cathedra una est, quæ est prima de dotibus. In ea sedit primus Petrus ; succedit Linus, Lino Clemens... » (Contra Parm. libro II).

S. Ambrosius. — « Ipse est Petrus cui dixit : Tu es Petrus et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Ubi ergo Petrus, ibi Ecclesia. Ubi Ecclesia, ibi nulla mors, sed vita æterna. Et ideo addidit : Et portæ inferi non prævalebunt ei : et tibi dabo claves regni cœlorum. Beatus Petrus, cui non inferorum porta prævaluit.... » (In psalmum XL, n. 30.) Si hæc sit prærogativa Petri ut vera Ecclesia non alia sit quam illa cui ipse præest, sequitur in Petro primatus jurisdictionis ; cum omnes teneantur ipsi subjacere, ut sint in vera Ecclesia..

« Petrus Ecclesiæ præponitur... Eum pastorem elegit Dominici gregis : nam huic dixit : tu autem conversus confirma fratres tuos » (in Psalmum xliii, n. 40).

« Dominus... interrogat, non ut disceret, sed ut doceret, quem, elevandus in cœlum, amoris sui nobis velut *vicarium* relinquebat. Sic enim habes : Simon Joannis, diligis me?... Denique tertio Dominus, non jam *diligis me*, sed *amas me* interrogavit. Et jam non agnos, ut primo, quodam lacte vescendos, non oviculas ut secundo, sed oves pascere jubetur, *perfectiores ut perfectior gubernaret* » (Ad evangelium Lucæ, libro X, n. 175 et 176). Alios Ambrosii textus vide apud Mamachium (*Origines christianæ*, t. V, pag. 138, edit. Romæ 1755).

S. Hieronymus. — « Inter duodecim unus eligitur, ut *capite constituto*, schismatis tollerctur occasio. Sed cur non Joannes electus est virgo? ætati delatum est, quia Petrus senior

erat, ne adhuc adolescens ac pene puer progressæ ætatis hominibus præferretur » (In Jovin. lib. I). — « Petri largitus est nomen, ac secundum metaphoram petræ recte dicitur ei : Ædificabo Ecclesiam meam super te » (in evang. Matth. cap. 16). — « Quid Platoni et Petro? Ut ille enim princeps philosophorum, ita hic Apostolorum fuit, super quem Ecclesia... fundata est » (lib. I adversus Pelagianos).

S. Hilarius. — « O in nuncupatione novi nominis felix Ecclesiæ fundamentum, dignaque ædificatione illius Petra » (in Evang. Matth. cap. xv, n. 6). — « Petrum... Ecclesiæ fundamentum, cœlestis regni janitorem » (in Psal. cxxxi, n. 4).

Zeno Episcopus Veronensis. — « Non sine ratione Simoni, *super quem ædificavit Ecclesiam*, *Petrus* nomen imposuit » (apud Mamachi, *Origines christianæ*, t. V, p. 137, edit. Romæ 1755).

S. Augustinus. — « Quod etiam nos in Scripturis sanctis didicimus, Apostolum Petrum, in quo primatus Apostolorum tam excellenti gratia præeminet... » (de Baptismo, l. II, c. 1).

« Puto quod sine ulla sui contumelia Cyprianus Episcopus Petro apostolo comparatur, quantum attinet ad martyrii gloriam. Cæterum magis vereri debeo, ne in Petrum contumeliosus existam. Quis enim nescit, illum Apostolatus principatum cuilibet episcopatui præferendum? Sed etsi distat cathedrarum gratia, una est tamen martyrum gloria » (loco citato). « Observandum hoc loco, ait Bellarminus, multum omnino ex sententia Augustini Petri cathedram præstare particularium Episcoporum cathedris; cum veritus sit, ne contumeliam Petro videretur facere, si cum eo compararet Cyprianum; qui tamen non solum Episcopus, sed etiam primus erat totius Africæ. Notandum quoque, putasse Augustinum posse comparari martyrium Cypriani cum martyrio Petri, licet Petri esset multo nobilius, quia in eodem genere sunt martyrum palmæ; at Cypriani sedem non posse conferri cum sede Petri, quia non solum sedes Petri est nobilior sede

Cypriani, sed est quodammodo in alio genere; nam differunt ut totum et pars. Non solum enim Petrus erat Episcopus Romæ, ut Cyprianus Carthaginis, sed etiam erat Petrus Pontifex orbis terræ totius, cum tantum partis unius esset Pontifex Cyprianus » (De Romano Pontifice, l. I, cap. 25). — In *Psalmo contra partem Donati*, de Sede Romana dicit S. Augustinus : « Hæc est petra quam non vincunt superbæ inferorum portæ. »

S. Leo Magnus. — « Hujus muneris sacramentum ita Dominus ad omnium Apostolorum officium pertinere voluit, ut in beatissimo Petro Apostolorum omnium summo principaliter collocarit; ut ab ipso quasi quodam capite dona sua velut in corpus diffunderet; ut exsortem se mysterii intelligeret esse divini, qui ausus fuisset a Petri soliditate recedere » (Epist. X ad Episcopos per Viennensem provinciam constitutos).

« Inter beatissimos Apostolos in similitudine honoris fuit quædam discretio potestatis; at cum omnium par esset electio, uni tamen datum est ut cæteris præemineret » (Ep. XII, alias 84, ad Anast.).

« De toto mundo unus eligitur Petrus, qui et universarum gentium vocationi, et omnibus Apostolis cunctisque Ecclesiæ patribus præponatur; ut quamvis in populo Dei multi sacerdotes sint multique pastores, omnes tamen proprie regat Petrus, quos principaliter regit et Christus » (Serm. 3, de Assumptione sua ad Pontificatum). — « Magna dispositione provisum est ne omnes sibi omnia vindicarent, sed essent in singulis provinciis singuli, quorum inter fratres haberetur prima sententia : et rursus quidam in majoribus urbibus constituti sollicitudinem susciperent ampliorem; per quos ad unam Petri sedem universalis Ecclesiæ cura confluereet, et nihil unquam a suo capite dissideret » (Epistola 84, ad Anastasium, in fine).

S. Prosper. — « Sedes Roma Petri, quæ pastoralis honoris
Facta caput mundo, quidquid non possidet armis
Religione tenet. » (Libro de Ingr.)

Arator. — « . . . . . Cui tradidit Agnus
Quas passus salvavit oves, totumque per orbem
Hoc auget pastore gregem; quo munere summus
Surgit. » (Act. de Petro, cap. I.)

S. Gregorius. — « Cunctis Evangelium scientibus liquet, quod beatissimo et omnium Apostolorum principi Petro Dominica voce totius Ecclesiæ cura commissa est » (lib. IV, Epist. 32 ad Maurit.). — « Ecce claves regni cœlestis accepit, potestas ei ligandi atque solvendi tribuitur, cura ei totius Ecclesiæ et principatus tribuitur » (ibid.).

Beda. — « Vidit cordis ejus simplicitatem, vidit animi sublimitatem, cujus merito cunctæ esset præferendus Ecclesiæ » (in Vigil. S. Andreæ).

« Ideo beatus Petrus, qui Christum vera fide confessus vero est amore secutus, specialiter claves regni cœlorum et principatum judiciariæ potestatis accepit; ut omnes per Orbem credentes intelligant, quia quicumque ab unitate fidei vel societatis illius quolibet modo semetipsos segregant, tales nec vinculis peccatorum absolvi, nec januam possint regni cœlestis ingredi » (in Festo Petri et Pauli).

S. Bernardus. — « Locus in quo stas terra sancta est, locus Petri est, locus principis Apostolorum, ubi steterunt pedes ejus; locus illius est quem constituit Dominus dominum domus suæ et principem omnis possessionis suæ » (Epist. 237 ad Eugen.). — « Instar Domini gradiens supra mare, unicum se Christi vicarium designavit, qui non uni populo, sed cunctis præsse deberet, siquidem aquæ multæ, populi multi » (lib. II, de Consider.).

Venantius Fortunatus ita scripsit de Petro et Paulo (l. III, c. 7):

« Inter Apostolicas radianti luce coronas,
Doctior hic monitis, *celsior ille gradu.* »

Sacramentarium Gallicanum, a Mabillonio editum.—In introitu missæ pro festo Cathedræ S. Petri sic habetur: « Beatissimi Petri Apostoli solemnissimum diem, in quo *omne jus* gentium

Judæorumque sortitus est » (*Museum ital.*, t. I, pag. 29). — Multos alios Patrum textus reperies apud Mamachium (*Origines christ.* l. IV, tomo V, p. 134 et seq., edit. Romæ 1755).

§ 3. — Argumentum e conciliorum definitionibus.

Concilium Ephesinum, tertium ex œcumenicis. — Audivit et approbavit verba hæc a legato sancti Cœlestini Papæ prolata : « Sanctus Petrus, Apostolorum princeps et caput fideique columna, et Ecclesiæ catholicæ fundamentum, a Domino nostro Jesu Christo... claves regni accepit; solvendique ac ligandi peccata potestas ipsi data est, qui ad hoc usque tempus et semper in suis successoribus vivit et judicium exercet. »

Concilium septimum ex œcumenicis, Nicænum secundum. — « Beatus Petrus... ubique principatum obtinuit et obtinet. »

Concilium Constantiense, in ea parte quæ fuit a Martino V confirmata, damnavit hanc septimam Joannis Hus propositionem : « Petrus non est nec fuit caput Ecclesiæ sanctæ catholicæ. »

Concilium Florentinum. — « Definimus... ipsum Romanum Pontificem esse successorem beati Petri principis Apostolorum... ; et ipsi in beato Petro pascendi, regendi et gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse. »

§ 4. — Argumentum ex definitionibus Romanorum Pontificum ab universali Ecclesia receptis.

Pius VI. — In Brevi dogmatico *Super soliditate*, ita pronuntiat : « Super soliditate Petræ fundatam a Christo Ecclesiam, Petrumque singulari Christi munere præ cæteris electum, qui vicaria potestate Apostolici chori princeps existeret, totiusque adeo gregis pascendi, fratres confirmandi, totoque orbe ligandi ac solvendi summam curam auctoritatemque, in successores omni ævo prærogandam, susciperet, dogma catholicum est. »

« Dogma catholicum est Apostolos, tametsi extraordinaria præditos potestate, quæ data personis cum ipsis personis interiit, fuisse Petro subjectos, quem solum Apostolis præesse Christus jussit » (Responsio super Nuntiaturis, cap. 3, sect. 1, p. 300).

Innocentius X. — Anno 1647 damnavit sequentem propositionem : « Sanctus Petrus et sanctus Paulus sunt duo Ecclesiæ principes qui unicum efficiunt ; vel sunt duo Ecclesiæ catholicæ coryphæi ac supremi duces, summa inter se unitate conjuncti ; vel sunt geminus universalis Ecclesiæ vertex, qui in unum divinissime coaluerunt ; vel sunt duo Ecclesiæ summi pastores ac præsides, qui unicum caput constituunt. » Damnatur scilicet propositio illa tanquam *hæretica*, si explicetur ita ut ponat omnimodam æqualitatem inter S. Petrum et S. Paulum sine subordinatione S. Pauli ad S. Petrum in potestate suprema et regimine universalis Ecclesiæ.

Martinus V. — In concilio Constantiensi præscripsit ita interrogandos suspectos : « Utrum credant beatum Petrum fuisse vicarium Christi, habentem potestatem ligandi ac solvendi super terram. »

§ 5. — Solvuntur objectiones contra sancti Petri primatum proponi solitæ.

Objectio 1ª. — Probationem deductam e textu (Matthæi xvi) *et super hanc petram ædificabo*, hac misera cavillatione convellere tentarunt protestantes : ibi particula *et* adversativa est, idem significans ac *sed*. Frequenter quippe apud Septuaginta interpretes καὶ pro ἄλλα usurpatum reperitur. Unde sensus est : Tu es Petrus, *sed* super hanc petram, id est, meipsum, ædificabo Ecclesiam meam.

Respondeo. — 1° Non frequenter sed raro apud Septuaginta καὶ pro ἄλλα usurpatum occurrit, prout fatetur Joannes Camero, e secta protestantium doctor (vide Joseph Widmann, Instit. theol., t. I, § 117) ; — 2° quod in præsenti casu particula καὶ sensum copulativum habeat, non adversativum, ex

contextu evidentissime patet. Vult enim Christus pro confessa ipsius divinitate Petro aliquid præmii donare. Statim quippe post verba Petri, *tu es Christus filius Dei vivi*, reponit Christus : *Beatus es...; et ego dico tibi : Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Nisi verba *super hanc petram* intelligenda forent de Petro, nullum præmium conferretur, et Christi sermo ineptus et nonnisi ad decipiendum Petrum prolatus dicendus foret; — 3° pronomen *hanc* ex legibus grammaticis ad subjectum ultimo loco enuntiatum referri debet ; nec nisi absone referretur ad subjectum de quo nulla præcessit mentio. Ergo hic necessario ad Petrum referendum est ; — 4° cum antea Christus solum Petrum alloquatur, si statim per vocem *hanc* ad aliam personam, et præsertim ad seipsum, sermonem converteret, allocutio præ se ferret apertam amentiæ notam ; — 5° supra citatus e secta protestantium scriptor, Joannes Camero, fatetur particulam καὶ omnino hic accipiendam esse in sensu copulativo, id est, pro *et*, non pro *sed*.

Objectio 2ª. — Sanctus Augustinus voces istas, *super hanc petram*, interpretatus est de Christo ipso. Sic nempe habet (tractatu 123 in Joannem) : *Super hanc petram, quam confessus es, ædificabo Ecclesiam meam.*

Respondeo. — 1° Licet hoc loco sanctus doctor voces *hanc petram* interpretatus sit de Christo, in aliis tamen easdem interpretatus est de apostolo Petro. Sic, verbi gratia, habet in psalmum 69 : « Petrus, qui paulo ante eum confessus erat filium Dei, et in illa confessione appellatus erat *Petra supra quam fabricaretur Ecclesia.* » Quod cæteroquin ipsemet testatur (libro I Retractationum, cap. XXI) his verbis : « Dixi in quodam loco de apostolo Petro, quod in illo tanquam in Petra fundata sit Ecclesia. » Equidem addit, se postea pluries voces *hanc petram* exposuisse de Christo. Sed non ideo alteram interpretationem retractat ac deserendam pronuntiat, siquidem ita concludit : *Harum duarum sententiarum, quæ sit probabilior, eligat lector.* Cum igitur utramque interpretationem tra-

dat sanctus doctor, vel ex hoc solo perperam ad ejus auctoritatem provocatur ; — 2° pandit ipse Augustinus quibus rationibus inductus sit ad exponendas de Christo voces istas, *super hanc petram*. Proinde si manifestum sit rationes illas omni prorsus robore carere, deserenda erit interpretatio illa, et tenenda potius altera, quam æque tradit sanctus doctor. Porro inanes revera sunt duæ rationes, quæ S. Augustinum moverunt ad interpretandum etiam de Christo verbum *petram*. Prior ratio est textus Pauli (I Cor. x, v. 4), *Petra autem erat Christus*. Quæ sane ratio nihil probat. Nam ex eo quod in eo textu vox *petra* intelligenda sit de Christo, perperam colligeretur vocem istam, ubicumque adhibita reperitur, pariter de Christo esse intelligendam, ut patet. Posterior ratio est, quod non dixerit Christus, *tu es petra et super hanc petram*, sed, *tu es Petrus*. Quam generis mutationem perspiciens sanctus doctor, nec suspicatus eam non extare in lingua qua usus erat Christus, probabile existimavit mysterium ibi latere, et vocem quidem *Petrus* de apostolo, at *petram* de Christo ipso accipi debere. Quod linguam hebraicam ignoraverit Augustinus, testatur ipsemet (epistola 131, ad Memorium). Quam si novisset, ab illa procul dubio interpretatione, etiam ut probabili, abstinuisset ; — 3° non extare in lingua hebraica et syriaca dictum discrimen, norunt harum linguarum vel scioli ; atque id inter alios eruditos ita testatur sanctus Hieronymus : « Modo Cephas et modo Petrus scribitur ; non quod aliud significet Petrus, aliud Cephas, sed quod, quam nos latine et græce *petram* vocamus, hanc Hebræi et Syri, propter linguæ in se viciniam, *cepham* nuncupant » (in cap. II ad Galat.). Imo idipsum fatetur calvinistarum antesignanus Beza, his verbis : « Dominus syriace loquens, nulla usus est cognominatione, sed utrobique dixit Cepha. Quemadmodum et vernaculum nomen *pierre*, tam de proprio quam de appellativo dicitur. In græco quoque sermone πέτρος et πέτρα, non re, sed terminatione tantum differunt » (apud Cornelium a Lapide, ad caput II ad Galat.). Igitur sanctus

Augustinus verum litteralem sensum, quo voces *hanc petram* de Apostolo intelligendæ sunt, non rejecit ; sed dubitavit dumtaxat num æque admitti valeret altera expositio. Quæ dubitatio, cum fundetur rationibus omni robore carentibus, prorsus negligenda est.

Objectio 3ª. — Sancti Patres Hilarius, Chrysostomus, Cyrillus Alexandrinus, Ambrosius, et alii plures, per *petram* intelligunt *fidem* seu *confessionem Petri*. Ergo perperam ea vox exponitur de ipso Petro.

Respondeo. — Interpretari *petram* de fide Petri, idem est ac eam interpretari de Petro credente. Nimirum Patres sic loquentes pandere volunt sub quo respectu Petrus apostolus sit petra illa, quæ Ecclesia sustentatur. Est autem *petra* Petrus apostolus, *quatenus veram fidem profitens ac prædicans*. Quod sic inculcat sanctus Ambrosius : « Fides ergo est Ecclesiæ fundamentum ; non enim *de carne* Petri sed *de fide* dictum est, quia portæ mortis non prævalebunt » (de Incarn. cap. v, n. 34). Igitur Patres qui *petram* exponunt *de fide Petri*, nullatenus negant, sed econtra hoc ipso simul affirmant, eam petram intelligendam esse de *ipso Petro*, videlicet quatenus veram fidem nunquam defecturam prædicante. Sane non sibi contradicere voluit S. Chrysostomus, qui postquam dixit per *petram* significari *fidem Petri* (Homil. 55 in Matth.), postea tamen ita subjungit : « Dominus ait : Tu es Petrus, et ego *super te* ædificabo Ecclesiam meam. »

Nota. — Alias objectiunculas quæ argumento ex Scriptura sacra deducto a protestantibus opponuntur, solutas vide apud Weith (*de Primatu et Infallibilitate*, sectione I, prop. 3), et apud Bellarminum (*de Romano Pontifice*, l. I).

Objectio 4ª. — Admittendus non est primatus Petri, si Jacobus major Petro fuerit ; atqui major censendus est : nam Christus Hierosolymæ Episcopus fuit, et ipsi successit Jacobus apostolus. Præterea testatur Clemens (apud Eusebium, l. II Hist., cap. 1) Jacobum constitutum fuisse *Apostolorum Episcopum*, hisce verbis : « Petrus, Jacobus et Joannes post as-

sumptionem Salvatoris, quamvis ab ipso fuerint omnibus pene prælati, tamen non sibi vindicabant *primatus* gloriam, sed Jacobum, qui dicebatur justus, *Apostolorum Episcopum* statuunt. »

Respondeo. — 1° Christus non fuit illius particularis urbis Episcopus, sed totius Ecclesiæ; — 2° allegatus textus Clementis fuit certissime corruptus, quamvis legatur in codice Basiliensi versionis Ruffini. In codice Coloniensi, Vaticano et Parisiensi non occurrit vox *primatus*, et loco verborum *Apostolorum Episcopum*, habetur, *Hierosolymorum Episcopum*. Quæ lectio cohæret cum Nicephoro, qui (l. II, cap. III), hunc locum allegat juxta codicem Coloniensem. Item cohæret cum sententia ipsiusmet Eusebii, qui (l. II, cap. XIV) dicit Petrum fuisse *Apostolorum maximum et primorum principem*. Unde Clemens Alexandrinus, apud Eusebium, non dicit Jacobum constitutum fuisse *Apostolorum Episcopum*, quod absurdissimum est, sed *Hierosolymorum*. Fusius confutatam illam objectionem reperies apud Bellarminum (*de Romano Pontifice*, l. I, cap. XXVI).

Objectio 5ª. — Sanctus Paulus fuit Petro superior, aut saltem æqualis. Nam vocatur per antonomasiam *Apostolus*.

Respondeo. — Sanctus Paulus vocatur quidem per antonomasiam *Apostolus;* at ex eo quod pluribus epistolis notior sit et plus cæteris laboraverit, non ex eo quod Apostolorum rector seu caput extiterit. Unde perperam ex eo loquendi usu infertur ejus cum Petro æqualitas aut superioritas. Cæterum quod ex dictis rationibus *Apostoli* nomine per antonomasiam Paulus nuncupatus jam ab antiquo fuerit, sic testatur sanctus Augustinus, (lib. III, ad Bonifacium, cap. III) : « Apostolus cum dicitur, si non exprimatur quis Apostolus, non intelligitur nisi Paulus; quia pluribus est espistolis notus, et plus omnibus aliis laboravit. »

CAPUT II

SANCTUS PETRUS JURISDICTIONIS PRIMATUM HABUIT ETIAM IN RELIQUOS APOSTOLOS (EST DE FIDE).

Omitti potuisset hæc thesis, utpote quæ probata remanet ex præcedenti. Si enim in universalem Ecclesiam, id est, in omnes, ergo et in ipsos Apostolos auctoritatem seu jurisdictionis primatum Petrus a Christo accepit. Nihilominus, quia hæretici *æquales potestate* Apostolos persuadere tentarunt, visum est erroris illius specialem confutationem breviter subnectere.

I. *Argumentum e Scriptura sacra.* — Peremptorius potissimum textus Joannis, *pasce agnos meos, pasce oves meas.* Nullus agnus excipitur, ovis nulla ; propositio siquidem universalis est. Igitur totum ovile Petro pascendum traditur. At sane de hoc ovili fuerunt Apostoli ; ergo et ipsi Petro commissi sunt pascendi seu gubernandi.

II. *Argumentum e Patrum traditione.* — Jam superiori capite, § 2, verba citavimus quibus superioritatem Petri relative ad reliquos Apostolos exprimunt Patres quam plurimi (Vide etiam in *Tractatu de Episcopo*, t. I, p. 45, aliam ejusmodi testimoniorum seriem).

« Quam superioritatem, ait Bolgeni, tanto consensu firmat omnium Ecclesiæ sæculorum traditio, ut ne unus quidem e Patribus et scriptoribus ecclesiasticis reperiri queat, qui multiplex ac solemne de ea testimonium non exhibeat » *(L'Episcopato*, parte I, cap. II, pag. 20, edit. 1789).

III. *Ex Brevi* Super soliditate *Pii Papæ VI.* — Inter alias opiniones Eybeli quas ibi tanquam *damnatos errores* recenset laudatus pontifex, reperitur et ista : *Christum eamdem per sese Apostolis omnibus potestatem dedisse.*

Ibidem laudando ac approbando citat Pius VI Parisiensis Facultatis judicium, anni 1617, quo damnavit tanquam *schis-*

maticam et *hæreticam* propositionem hanc Marci Antonii de Dominis : *Disparitas potestatis inter Apostolos est humanum inventum, in sacris evangeliis et divini Novi Testamenti scripturis minime subsistens*. De qua propositione sic adnotat Pius VI : « Quam hæreticam et schismaticam declarat, de *jurisdictione Apostolica ordinaria*, quæ in *solo* divo Petro subsistebat, intellectam. »

IV. *Ex unanimi catholicorum doctorum consensu*. — Quoad jurisdictionem universalem, cæteris Apostolis superiorem fuisse sanctum Petrum, tanquam inconcussum *fidei* dogma tradit Suaresius : « Petrus Apostolus, inquit, fuit in hac jurisdictione cæteris superior, in eo præcipue quod illi soli sit data potestas *ordinaria* regendi et pascendi universam Christi Ecclesiam, ut in ea ipsi perpetuo succederetur, quod aliis Apostolis datum non est. Hæc conclusio *simpliciter est de fide* » (Tract. *de fide*, parte I, disp. 10, sect. I, n. 12). « Ex quibus intelligitur Petrum duplici titulo superasse, dignitate et potestate, cæteros Apostolos : *primo*, quia hæc dignitas fuit in eo ut in pastore *Ordinario* totius Ecclesiæ, cui succedendum erat : in aliis vero non ita ; sed eorum potestas quodammodo delegata erat, et ex privilegio. *Secundo*, quia jurisdictio Petri se extendebat ad ipsas personas Apostolorum directe; nimirum potestas illis præcipere, atque huc vel illuc mittere » (*ibid.*, n. 25). « Ex occasione autem resolutæ quæs- [illegible] itari poterat, an Apostoli, qui Petro supervixerant, fuerint vere subditi Episcopo Romano Petri successori. De qua re nihil apud auctores me legisse memini. Videtur tamen ex dictis sequi, inferiores exstitisse jurisdictione, atque adeo jurisdictioni Pontificis Romani subjectos, quamvis aliis prærogativis et excellentiis fuerint superiores » (*ibid.*, n. 28).

« Ut servetur Ecclesiæ unitas (inquit Habert) et primatus summi Pontificis, satis est quod Christus Apostolos et eorum successores (Episcopos) instituerit cum subordinatione, illos ad Petrum, istos ad summum Pontificem Petri successorem » (P. II, *de Hierarchia eccl.*, cap. v, § 5, quæst. 2).

« Est hæc, ait Zaccaria, quoad substantiam, doctrina catholicorum omnium. » (*Antifebronio*, tomo I, dissert. I, cap. VI, n. 3. Atque ibidem, necnon in *Antifebronio vindicato*, diss. III, cap. III, n. 2, plures citatos reperies doctores catholicos.)

CAPUT III

PRIMATUS IN UNIVERSAM ECCLESIAM NON FUIT COMMUNIS PETRO ET PAULO, SED SOLI PETRO PROPRIUS (EST DE FIDE).

I. Superioritas S. Petri relative ad S. Paulum, sequitur ex duobus præcedentibus capitibus; id est, ex eo quod de fide sit collatum Petro fuisse jurisdictionis primatum in universam Ecclesiam, et in ipsos etiam Apostolos.

II. Damnata fuit ab Innocentio X, anno 1647, propositio ista : « Sanctus Petrus et sanctus Paulus sunt duo Ecclesiæ principes, qui unicum efficiunt ; vel sunt duo Ecclesiæ catholicæ coryphæi ac supremi duces, summa inter se unitate conjuncti ; vel sunt geminus universalis Ecclesiæ vertex, qui in unum divinissime coaluerunt ; vel sunt duo Ecclesiæ summi Pastores ac præsides, qui unicum caput constituunt. » Tanquam *hæretica* damnata fuit propositio hæc, in eo sensu *explicata, ut ponat omnimodam æqualitatem inter S. Petrum et S. Paulum, sine subordinatione et subjectione S. Pauli ad S. Petrum in potestate suprema et regimine universalis Ecclesiæ*. Damnatam illam doctrinam de sanctorum Petri et Pauli æqualitate, tuebantur et variis scriptis in Gallia promovere tentaverant jansenistæ ; primusque eam obtrudisse fertur Arnaldus in præfatione libri sui *de Frequenti communione*.

Objectio 1ª. — Dicit S. Paulus (ad Gal. II, v. 7) : « Creditum est mihi evangelium præputii, sicut et Petro circumcisionis. » Ibi se parem facit Petro quoad jurisdictionem.

Respondeo. — His verbis asserit duntaxat S. Paulus, se

specialiter missum ad Gentes, *sicut* Petrus *specialem* quoad Judæos missionem a Christo acceperat. Et id quidem verum est. Sed nequaquam inde sequitur Petro collatum non fuisse primatum in universam Ecclesiam, aut simul et æqualiter collatum fuisse S. Paulo. Stante isto Primatu sancti Petri, revera *specialem* Petrus quoad Judæos, et Paulus quoad gentes missionem recipere potuerunt et revera receperunt.

Objectio 2ª. — S. Chrysostomus, citata S. Pauli verba commentans dicit : « Nec se reliquis illis (Apostolis), sed ipsi Coryphæo (Petro) comparat, declarans quod horum unusquisque *parem* sortitus sit dignitatem. » Ergo revera S. Paulus æqualem se fecit Petro, atque ita textum intellexit S. Chrysostomus.

Respondeo. — Admisit Chrysostomus æqualitatem omnium Apostolorum quoad dignitatem Apostolatus, et etiam æqualitatem Pauli cum Petro in sensu quod Paulus *specialem* missionem ad gentes, sicut Petrus ad Judæos, recepisset, concedo : admisit æqualitatem quoad primatum jurisdictionis, nego. Sane in hoc ipso textu S. Petrum designavit Chrysostomus *coryphæi* nomine ; quod prorsus absurdum foret, si omnimodam æqualitatem admisisset. Cæterum ex aliis pluribus S. Chrysostomi locis apertissime patet agnitum ab ipso fuisse sancti Petri quoad alios Apostolos principatum. Sic, verbi gratia, loquitur de sancto Petro, homilia 87 in Joannem : « Os erat Apostolorum et *princeps* : propterea et Paulus eum præter alios visurus ascenderat. »

Objectio 3ª. — Dicit S. Paulus, epistola ad Galatas, capite II, versiculo 11 : « Cum autem venisset Cephas Antiochiam, in faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat. » Non ita restitisset, si Petrum jurisdictione superiorem agnovisset.

Respondeo. — 1° Contendit Clemens Alexandrinus, apud Eusebium (l. I Histor., cap. XIV), istum *Cephas*, de quo loquitur S. Paulus, non fuisse S. Petrum, sed alium ; atque illam opinionem sequuntur recentiores multi. 2° Admissa hujus *Cephæ* cum S. Petro identitate, existimat S. Hiero-

nymus, cum aliis non paucis, simulatorie duntaxat Petrum a Paulo reprehensum fuisse. 3° Derelictis etiam duabus istis opinionibus, et stante hypothesi quod Paulus serio Petrum reprehenderit, facile diluitur objectio in hunc modum : licitum est inferiori reprehendere superiorem, modo id fiat reverenter et ex causa rationabili; prout docent unanimiter theologi. Distinguunt nempe correctionem *charitativam* a correctione *auctoritativa*. Et hanc quidem dicunt licite non procedere nisi a superiore in inferiorem. At correctio charitativa licite procedit ab æquali in æqualem, imo et ab inferiori in superiorem. Ergo ex eo quod Paulus Petrum reprehenderit, non sequitur non agnitam ab ipso fuisse Petri superioritatem, nisi simul probetur Paulum id præstitisse tanquam superiorem, seu auctoritative; quod sane non probatur. Imo id rejiciunt ipsimet adversarii, cum Paulo vindicare satagant, non *superioritatem*, sed *æqualitatem*.

Objectio 4ª. — Sancti Patres ambos Apostolos Petrum et Paulum vocant, *Ecclesiæ præfectos*, *Romanæ Ecclesiæ patres ac fundatores*, *Ecclesiarum* principes, et his similibus nominibus. Ergo eos æquales auctoritate reputarunt.

Respondeo. — Sancto Paulo tribuuntur ejusmodi honorificæ denominationes ratione *apostolatus*, non autem ratione *primatus* seu potestatis universalem regendi Ecclesiam. Et hunc esse Patrum sensum vel ex eo liquet plenissime, quod iidem Patres qui prædictis titulis Paulum insignunt expresse simul doceant sanctum Petrum cæteris omnibus Apostolis præfectum et principem a Christo constitutum fuisse.

Objectio 5ª. — S. Paulus fuit vere simul cum S. Petro *Episcopus Romanus*, prout docent passim sancti Patres, et ostendit Papebrochius (in Exhibitione errorum, parte I, art. VII) : atqui non potuit ei communis esse cum Petro episcopatus Romanus, nisi simul communis fuerit et primatus : ergo primatum habuit cum Petro, seu ipsi æqualis fuit in potestate gubernandi universalem Ecclesiam.

Respondeo. — Sanctus Paulus fuit vere Episcopus Romanus

extraordinarius, concedo : *ordinarius*, nego. « Nemini mirum videri debet, ait Veith, Paulum cum Petro eodem tempore Romanæ urbis episcopatum gessisse ; tum quia Apostoli ubique terrarum poterant exercere munus episcopale, licet cum subordinatione ad divum Petrum ; tum ac præcipue quia Petrus initio nascentis Ecclesiæ non incongruum, imo necessarium duxerat, plures pro sola urbe Romana consecrare Episcopos (*Linum* nempe, *Cletum* et *Clementem*, ut testantur S. Irenæus, libro III Adversus hæreses, capite III, et Tertullianus libro de Præscriptionibus, capite XXXII), qui ipso vivente, sed ad prædicandum Evangelium diutius abfuturo, episcopalia obirent munia intra Romanam urbem, extraque illam in vicinis locis. Cæterum etiam hodie Romanus Pontifex per Episcopum Cardinalem Vicarium Romanam Ecclesiam, ut particularis est, administrare solet » (Weith, *de Primatu et Infallibilitate*, sect. I, § 6, pag. 49, edit. Mechliniæ 1824). Porro universalem Ecclesiam regendi potestas alligata fuit *ordinario* Romanorum Episcopo, non autem extraordinariis aliis Episcopis, quos sibi Petrus adjutores adjunxit. Igitur ex eo quod Romanus episcopatus fuerit, in aliquo vero sensu, Paulo communis cum Petro, non sequitur communem ei fuisse quoque primatum seu supremam regendæ universalis Ecclesiæ potestatem.

Objectio 6ª. — Romani Pontifices seipsos vocant *sanctorum Apostolorum Petri et Pauli successores*, itemque sæpius dicunt sese fungi *Beatorum Apostolorum Petri et Pauli auctoritate*. Hisce autem locutionibus aperte denotant ambobus Apostolis communem fuisse primatum.

Respondeo. — Sese quidem utriusque successores vocant, at diverso sensu : successores scilicet utriusque quoad episcopatum Romanum ; solius autem Petri quoad prærogativam primatus, seu quoad potestatem universalis regiminis. Dum autem utriusque *auctoritate* nixos sese dictitant, intelligunt *auctoritatem patrocinii*, nec aliud hisce formulis intendunt quam amborum auxilium implorare. Nec desunt formulæ

quibus Romani Pontifices etiam *omnium sanctorum* auctoritatem sibi vindicant (prout Joannes VIII, epistola 262; S. Nicolaus I in sententia contra Photium; et Alexander II, epistola IX); e quibus sane perperam quis colligeret et uniuscujusque sancti eamdem fuisse cum Petro auctoritatem.

Objectio 7ª. — Antiqua Romanorum Pontificum sigilla, itemque antiquæ picturæ, imagines exhibent Petri et Pauli; et habetur imago Pauli ad dexteram posita, id est, honoratiori loco. Non igitur inferior auctoritate Paulus.

Respondeo. — Perperam inde sancti Pauli superioritatem, aut etiam cum Petro æqualitatem evinci posse quis contenderet; prout, inter alios, locupletissima cum eruditione demonstrat Mamachius (*Origines christianæ*, tomo V, pag. 403 et seq., edit. Romæ 1850); qui expensis variis eruditorum hac de re sententiis, ac monumentis quam plurimis, tandem concludit nequaquam ex imaginibus Petri a sinistris collocati inferri posse Apostoli Pauli superioritatem aut æqualitatem.

CAPUT IV

SANCTUS PETRUS ROMAM IVIT, IBIQUE DECESSIT.

Id ante Marsilium Patavinum, nemo unquam negaverat. Marsilio Patavino, quam hæreseos damnavit Joannes vigesimus secundus, assensum præbuisse fertur Joannes de Janduno. Hos secuti sunt hæretici plures; inter quos Joannes Aventinus, Udalricus Velenus e secta Lutheranorum, Joannes Calvinus, Magdeburgenses, etc.; non alii scilicet præter hæreticos[1]. In probationem autem adducemus duntaxat *quatuor priorum sæculorum* testimonia. Nam quod deinceps usque ad

(1) Huic tamen errori adhæsisse jesuitam Harduinum asserit Mamachius (*Origines christianæ*, lib. IV, cap. 4, § 1), negat Perrone (*San Pietro in Roma*, p. 24, Torino, Marietti, 1864). Etiamsi adhæsisset, nulla reputanda foret hujus scriptoris auctoritas, quem novas audacesque sententias defendendi prurigo in absona saepius ac ridicula propulit.

sæculum XIV rem pro certa constanter scriptores omnes habuerint, adversarii concedunt.

I. TESTIMONIA PRIMI ET SECUNDI SÆCULI. — Vel in iis paucis quæ ad nos pervenere hujus ævi monumentis, occurrunt de asserto facto testes, videlicet :

1° *Ipsemet sanctus Petrus.* — Sic enim scribit in priori epistola sua (capite ultimo, v. 13) : *Salutat vos Ecclesia quæ est in Babylone collecta.* Quod ibi sanctus Petrus urbem Romam Babylonis nomine designaverit pro certo habuerunt antiquissimi Patres, prout testatur Eusebius his verbis : « Quod cum Petrus per revelationem Sancti Spiritus cognovisset... librum illum (id est, evangelium a S. Marco scriptum) auctoritate sua comprobasse dicitur, ut deinceps in ecclesiis legeretur. Refertur id a Clemente in sexto *Institutionum* libro. Cui testis etiam accedit Papias, Hierapolitanus Episcopus. Porro Marci mentionem fieri *aiunt* a Petro in priore epistola, quam Romæ scriptam esse contendunt ; idque Petrum ipse innuere, *qui Romam figurate Babylonem* appellat his verbis : Salutat vos Babylonis Ecclesia a Deo perinde ac vos electa, et Marcus filius meus Του δε Μαρκου μνημονευειν τον Πετρον εν τη προτερα επιστολη, ην και συνταξαι φασιν επ' αυτης Ῥωμης, σημαινειντε τουτ' αυτον την πολιν τροπικωτερον Βαβυλωνα προσειποντα δια τουτων... » (Hist. lib. II, c. XV, translatio Valesii). Quinam sunt isti qui *aiunt* Romam a Petro figurate designatam fuisse Babylonis nomine ? Intelligendi procul dubio Clemens et Papias, de quibus præcedit mentio. Sed etiamsi vox *aiunt* de aliis intelligenda foret, certum semper remaneret, teste Eusebio, nomen *Babylonis*, in hoc sancti Petri textu ab antiquis Patribus de urbe Roma intellectum fuisse ; igitur scripsit sanctus Petrus ex urbe Roma priorem suam epistolam.

Eamdem interpretationem tanquam omnino certam sic tradit sanctus Hieronymus (libro *de Viris illustribus*, in Marco) : *Petrus in epistola prima sub nomine Babylonis figuraliter Romam significans : Salutat, inquit, vos Ecclesia, quæ in Babylone collecta.* Eodemque modo exponunt Æcumenius, Beda et quot-

quot ex antiquis in hanc epistolam commentaria ediderunt.

Confirmatur interpretatio, ex eo quod, in Apocalypsi, Roma pariter designetur nomine *Babylonis magnæ*, sedentis supra septem montes et habentis imperium super reges terræ. Item ex eo quod absone intelligeretur vel Babylon Assyriæ, vel Babylon Ægypti. De quo vide Mamachium (*Origines christianæ*, lib. IV, cap. III, § 2); ubi etiam explosas reperies miseras adversariorum artes ad eludendum hunc sancti Petri textum.

Nota. Jure in testes adduci possent sanctus Clemens Romanus, qui sancti Petri auditor fuit (n. 5 et 6 ipsius Epistolæ ad Corinthios, apud Coustant, p. 12), et sanctus Ignatius martyr (Epist. ad Romanos n. 4). Sed quia probatio ex contextu pendet, brevitatis causa, duplex illud testimonium prætermittimus. Cæterum utriusque testimonii valorem probat pater Perrone (*San Pietro in Roma*, p. 86 et 94).

2° *Papias.* — Fuit is Hierapoleos Episcopus, et Joannis presbyteri, Apostolorum contemporanei, discipulus. Nec ipsius testimonio hac in re officit quod ex simplicitate ac tarditate ingenii in nonnullis erraverit. Siquidem agitur de re facili, de adventu scilicet S. Petri Romam. Porro quod ipse, sicut et Clemens Alexandrinus, dixerint, priorem sancti Petri epistolam Romæ conscriptam fuisse, narrat Eusebius (supra citato capite XV libri II Historiæ). Nam ibi vox *aiunt* intelligenda est de Clemente et Papia, de quibus sermo præcesserat. Neque id inficiatur Valesius, sed e contra confirmat his verbis, in nota : « Nihil in tota historia ecclesiastica illustrius, nihil certius atque testatius, quam adventus Petri Apostoli in urbem Romam. Nam *præter Papiam et Clementem* Alexandrinum, *quorum testimonia hic* (id est, l. II, c. XV) *affert Eusebius*, idem scribit Dionysius Corinthiorum Episcopus..., Irenæus, Caius presbyter.., Origenes. »

3° *Dionysius Corinthiorum Episcopus.* — Vixit is sæculo secundo. Sic autem ejus testimonium refert Eusebius (lib II Hist., cap. XXIV) : « Porro ambos (Petrum et Paulum) uno eo-

demque tempore martyrium subiisse, Dionysius Corinthiorum Episcopus, ad Romanos scribens, testatur his verbis : *Ita et vos*, inquit, *tanta admonitione vestra, sementem quæ Petri ac Pauli satione succreverat, Romanos scilicet et Corinthios, simul commiscuistis. Ambo enim illi in urbem nostram Corinthum ingressi, sparso evangelicæ doctrinæ semine nos instituerunt; et in Italiam similiter* (ὁμοίως) *profecti, cum vos similiter instituissent, eodem tempore martyrium pertulerunt.* »

4° *S. Irenæus.* — De ipso sic Eusebius (Historiæ lib. V, cap. v) : « Hic in tertio *Adversus hæreses* libro, Romanæ urbis Episcoporum seriem recensens, in Eleuthero, cujus nunc tempora ac res gestas inquirimus, finem enumerandi facit. » Postea citat Eusebius hæc Irenæi verba : *Fundata jam et ædificata Ecclesia, beatissimi Apostoli episcopatus officium Lino tradiderunt... Huic successit Anacletus. Post quem tertio ab Apostolis loco Pontificatum sortitus est Clemens*, etc. Sic autem habetur in opere sancti Irenæi *Contra hæreses*, libro III, cap. III : « Habemus annumerare eos qui ab Apostolis instituti sunt Episcopi in Ecclesiis et successores eorum usque ad nos... Sed quoniam valde longum est in hoc tali volumine omnium Ecclesiarum enumerare successiones, maximæ et antiquissimæ et omnibus cognitæ, *a gloriosissimis duobus apostolis Petro et Paulo Romæ fundatæ et constitutæ* Ecclesiæ, eam quam habet ab Apostolis traditionem et annuntiatam hominibus fidem, per successiones Episcoporum pervenientem usque ad nos, indicantes, » etc. Igitur, teste Irenæo, Ecclesia Romana fundata est ab apostolis Petro et Paulo. Non autem ab ipsis fundata diceretur, nisi ipsi Romæ fidem prædicassent, ac proinde Romam aliquando incoluissent.

5° *Clemens Alexandrinus.* — Loquens de Clemente et Papia, dicit Eusebius (Historiæ lib. II, cap. 15) : « Porro Marci mentionem fieri aiunt a Petro in priore epistola, quam *Romæ scriptam* esse contendunt. » Et quo loco id asseruerit Clemens Alexandrinus indicatur ab Eusebio his verbis : « Refertur id a Clemente in sexto *Institutionum* libro. »

6° *Caius presbyter.* — Ejus testimonium allegat Eusebius (Hist. lib. II, c. XXIV) in hunc modum : « Sed et Caius quidam, vir catholicus, qui Zephirini Romanæ urbis Episcopi temporibus floruit, in eo libro quem scripsit *Adversus Proclum*, patronum sectæ cataphrygarum, de loco in quo prædictorum Apostolorum (Petri et Pauli) sacra corpora deposita sunt, ita loquitur : *Ego vero*, inquit, *apostolorum trophæa possum ostendere. Nam sive in Vaticanum, sive ad Ostiensem viam pergere libet, occurrent tibi tropæa eorum qui Ecclesiam illam fundaverunt.* »

7° *Tertullianus.* — « Si autem Italiæ adjaces, habes Romam, unde nobis quoque auctoritas præsto est. Ista quam felix Ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli suo sanguine profuderunt. Ubi Petrus passioni dominicæ adæquatur, ubi Paulus Joannis exitu coronatur » (Tertullianus, libro *de Præscriptionibus*, cap. XXVI).

8° *Auctor carminum contra Marcionem.* — « Hac cathedra, Petrus qua sederat ipse, locatum — Maxima Roma Linum primum considere jussit. » Et infra : « Constabat pietate vigens Ecclesia Romæ, — Composita a Petro, cujus successor et ipse. »

9° *S. Hippolytus, episcopus et martyr.* — Romanorum Pontificum *catalogus* qui dicitur quandoque *Bucherianus* (eo quod a Bucherio primum editus fuerit) et quandoque *Liberianus* (eo quod enumerationem ducat usque ad Liberium Pontificem), duabus partibus constat, quarum prior desinit cum S. Pontiano Papa, id est, anno 235 ; altera vero usque ad Liberii pontificatum protrahitur. Porro eruditi, inter quos Mommsen (e secta protestantium), pro explorato habent priorem dicti *catalogi* partem esse ipsissimum chronicon, quod a sancto Hippolyto compositum fuisse aliunde certum est. (Vide dicti Mommsen *Dissertationem historico-philologicam* Regiæ Societatis scientiarum, in Saxonia, t. I, p. 634. — Et citatum patris Perrone opusculum, *San Pietro in Roma*, p. 59.) Porro dictus catalogus primum Romanorum Episcopum ponit

sanctum Petrum Apostolum. Igitur, teste sancto Hippolyto, Romæ fuit sanctus Petrus.

Nota ultimos quinque testes secundo sæculo floruisse, licet tertio obierint.

II. Testimonia tertii sæculi. — 1° *Auctor operis recens vulgati, quod inscribitur* Philosophumena. — Manuscriptum istud, in monasterio Montis Athi repertum, edidit, in Anglia, Miller. Ejus auctor, qui medio sæculo tertio floruit, adhuc ignotus remanet. At certe ipsum furibundum schismaticum et hæreticum extitisse jam plane compertum est. De quo vide opus D. Cruice, Massiliensis Episcopi, *Études sur de nouveaux documents historiques, empruntés à l'ouvrage récemment découvert des* Philosophumena, *Paris*, 1853; necnon dissertationem patris Torquati Armellini, in collegio Romano historiæ ecclesiasticæ professoris, *de Prisca Refutatione hæreseon, Origenis nomine, ac* Philosophumenon *titulo, recens vulgata ; Romæ*, 1862.

Porro in dicto *Philosophumenon* opere, libro sexto, loquens auctor de celebri Simone Mago, sic habet : « Donec Romam secedens Apostolis sese opposuit. At cum magicis artibus multos deciperet, ei Petrus vehementer restitit. » Igitur Romæ tunc aderat S. Petrus.

2° *Origenes.*— Hæc ejus verba refert Eusebius (lib. III, c. 1, Histor.) : « At Petrus per Pontum, Galatiam, Bithyniam, Cappadociam atque Asiam Judæis qui in dispersione erant prædicasse existimatur. Qui ad extremum Romam veniens (εν Ῥώμῃ γενομενος), cruci suffixus est capite deorsum demisso.» Finita citatione subjungit Eusebius : « Hæc Origenes in tertio volumine *Expositionum in Genesim* disertis verbis commemorat. »

3° *S. Cyprianus.* — Libro I, Epistola 3 ad Cornelium : *Navigare audent ad Petri cathedram atque ad Ecclesiam principalem unde unitas sacerdotalis exorta est; a schismaticis et profanis litteras ferre; nec cogitare eos esse Romanos, ad quos perfidia habere non possit accessum.* Et libro IV, Epistola 2 ad Antonianum : *Factus est Cornelius Episcopus, cum Fabiani lo-*

cus, id est, locus Petri et gradus cathedræ sacerdotalis, vacaret.

Nota. Hic alleganda foret insuper Epistola Firmiliani, quæ inter Cyprianicas habetur, si genuina foret. At nos eam a Donatistis confictam existimamus.

III. Testimonia quarti sæculi. — 1° *Arnobius.* — Libro II *Adversus gentes* (pag. 64, edit. Paris, 1605), commemorat Petri adventum Romam, et ab eo Simonis Magi præstigias dissipatas.

2° *Lactantius.* — Sic habet, libro de *Vera Sapientia* (cap. xxi, p. 332, edit. Parisiis 1748) : « Petrus et Paulus Romæ prædicaverunt... »

Item auctor libri qui *de Mortibus persecutorum* inscribitur, quique solet cum Lactantii operibus edi, sic habet, capite II : « Cumque Nero imperaret, Petrus Romam advenit, et editis quibusdam miraculis, quæ virtute ipsius Dei, data sibi ab eo potestate, faciebat, convertit multos ad justitiam, Deoque templum fidele ac stabile collocavit. »

3° *S. Athanasius.* — « Primum, ne Liberio quidem Romano Episcopo pepercerunt, nulla reverentia moti, quod sedes illa Apostolica esset » (in Epistola ad solitar. vit. agen.). Et ibidem S. Athanasius sic loquentem inducit Liberium : « Nunquam talem a Patribus traditionem accepimus, qui a beato et magno Petro acceperunt. » Et in apologia pro fuga sua : « Petrus et Paulus cum audissent oportere se Romæ martyrium subire, non abjecerunt eam profectionem, sed cum gaudio abierunt. »

4° *Petrus Alexandrinus.* — « Ita Petrus, Apostolorum præpositus (ὁ προκριτος τῶν Ἀποστόλων), sæpe comprehensus et custodiæ traditus ignominiaque affectus, postremo Romæ crucifixus est. Similiter inclytus Paulus..., in eadem urbe ipse quoque gladio capite mulctatus est » (ex sermone de Pœnitentia, c. 9, apud Beveregium, tom. II *Synodici* sive *pandect. canonum*, pag. 14, edit. Oxon., 1672).

5° *Eusebius.* — « Petrus natione Galilæus, Christianorum Pontifex primus, cum primum Antiochenam Ecclesiam fun-

dasset, Romam proficiscitur ; ubi Evangelium prædicans viginti quinque annis ejusdem urbis Episcopus perseverat » (in Chronico anni 44). — « Primus Nero super omnia scelera sua etiam persecutionem in christianos facit, in qua Petrus et Paulus gloriose Romæ occubuerunt » (in Chronico anni 71).

6° *S. Julius I.* — « Nam quæ accepimus a beato Petro Apostolo, ea vobis significo » (Epist. 1 ad Eusebianos, apud Coustant, pag. 387, edit. Paris, 1721).

7° *Concilium Sardicense.* — « Petri Apostoli memoriam honoremus, et scribatur... Julio Episcopo Romæ » (Can. 3). Non ita de Petro locuti fuissent Patres Sardicenses, nisi persuasum habuissent Petrum Romæ fuisse ac Romanæ Ecclesiæ præfuisse.

8° *S. Gregorius Nazianzenus.* — « Romæ autem Paulus et Petrus victoriam obtinentes Ῥώμῃ δέ Παυλος καὶ Πέτρος νικηφόροι » (Iamb. I, *de præsidio adv. invidos*, Operum, tom. II, pag. 188, edit. Colon., 1690).

9° *S. Ambrosius.* — Libro III *de Sacramentis*, capite 1 : *Utique ipse auctor est nobis hujus assertionis Petrus Apostolus, qui sacerdos fuit Ecclesiæ Romanæ.* In sermone contra Auxentium (qui habetur post epistolam 20, classis primæ, juxta editionem Migne, tomo III Operum, col. 1010), sic habet Ambrosius : *Idem Petrus postea, victo Simone, cum præcepta Dei populo seminaret, doceret castimoniam, excitavit animos gentilium. Quibus eum quærentibus, christianæ animæ deprecatæ sunt, ut paulisper cederet. Et quamvis esset cupidus passionis, tamen contemplatione populi precantis inflexus est. Rogabatur enim ut ad instituendum et confirmandum populum se reservaret. Quid multa? Nocte muros egredi cœpit, et videns sibi in porta Christum occurrere, Urbemque ingredi, ait : Domine, quo vadis? Respondit Christus : Venio Romam iterum crucifigi. Intellexit Petrus ad suam crucem divinum pertinere responsum... Itaque sponte remeavit : interrogantibus christianis responsum reddidit, statimque correptus, per crucem suam honorificavit Dominum Jesum.* Equidem notat editor, quoad illam phrasim, *Venio Romam*

iterum crucifigi, deesse vocem *Romam* in plerisque antiquis manuscriptis. Ast etiamsi a textu genuino abesset illa vox, eam contextus et traditio abunde supplerent. Cæterum ita subjungit idem adnotator : « Quod vero ad Petri Romam adventum, ejusque de Simone Mago victoriam, utrumque tam multiplici patrum veterum testimonio celebratur, ut nos puderet vel recensendis eorum nominibus immorari ; cum tamen quosdam ex heterodoxis adhuc non pudeat rem a Calvino ipso et Blondello, evidentiæ vi coactis, agnitam et confessam inficiari. »

10° *Prudentius*. — In hymno sancti Laurentii : « Discede Jupiter..., relinque Romam... Hinc te sanguis exturbat Petri. »

IV. Testimonia quinti sæculi. — 1° *S. Hieronymus*.— « Simon Petrus ad expugnandum Simonem Magum Romam pergit, ibique 25 annis cathedram sacerdotalem tenuit, usque ad ultimum, id est, decimum quartum Neronis annum ; a quo et affixus cruci, martyrio coronatus est, capite ad terram verso » (De Viris illustribus, in Petro). « Cum successore piscatoris et discipulo crucis loquor. Ego Beatitudini Tuæ, id est cathedræ Petri, communione consocior » (Epist. 1 ad Damasum, de nomine *hypostasis*).

2° *S. Chrysostomus*. — « Non ita cœlum splendescit quando radios suos sol ex se dimittit, quemadmodum Romanorum Urbs duas illas lampadas ubique terrarum effundens. Hinc rapietur Paulus, hinc Petrus. Considerate et horrete quale spectaculum visura sit Roma : Paulum videlicet repente ex theca illa cum Petro resurgentem, in occursum Domini sursum ferri » (Homilia 32 in Epist. ad Rom.).

3° *S. Prosper*. — « Sedes Roma Petri, quæ pastoralis honoris facta caput mundo » (Poemate contra Ingrat.).

4° *S. Augustinus*. — Sermone 297 in natali Petri et Pauli, et alibi sæpe.

5° *Orosius*. — Libro VII histor., capite vi.

6° *Optatus Milev*. — « Negare non potes scire te in urbe Roma Petro primo cathedram... esse collatam, in qua sederit

omnium Apostolorum caput Petrus » (Libro II *contra Parmen.*, cap. III).

7° *Theodoretus.* — Habet (Roma) communium Patrum et veritatis doctorum Petri et Pauli sepulchra » (Epistola ad Leonem Papam.) « Illorum autem Deus nunc quoque sedem claram illustremque reddidit, cum vestram sanctitatem in ea collocavit. (*Ibid.*)

8° *S. Epiphanius.* — « Romæ fuerunt primi Petrus et Paulus Apostoli iidem et Episcopi : deinde Linus ; deinde Cletus ; deinde Clemens. ἐν Ῥώμῃ γεγόνασι πρώτοι Πέτρος καί Παῦλος » (Hæresi 27, Corpocratianorum, n. 6).

9° Paulinus. — « Inde Petrum et Paulum Romana fixit in Urbe,
Principibus quoniam medicis caput orbis egebat. »
(Natal. XI de S. Felice, v. 54.)

10° *S. Petrus Chrysologus* Episcopus Ravennæ. — In Epistola ad Eutichetem, quæ habetur inter præambulares ad concilium Chalcedonense : « Hortamur te, frater honorabilis, ut his quæ a beatissimo Papa Romanæ civitatis scripta sunt, obebedienter attendas. Quoniam Beatus Petrus, qui in propria sede et vivit et præsidet, præstat quærentibus fidei veritatem. »

11° *Sulpitius*, libro II Sacræ Historiæ : « Divina apud Urbem religio invaluerat, Petro ibi episcopatum gerente, et Paulo postea Romam adducto. » Et ibidem infra : « Paulus ac Petrus capitis damnati, quorum uni cervix gladio desecta, Petrus in crucem sublatus est. »

12° *S. Leo.*—« Hodierna festivitas præter illam reverentiam quam toto terrarum orbe promeruit, speciali et propria nostræ Urbis exultatione veneranda est, ut ubi præcipuorum Apostolorum glorificatus est exitus, ibi in die martyrii eorum sit lætitiæ principatus. » (Sermo 1 de Nat. Apost.)

Nota 1°. — *De objectionibus adversariorum.* — Iis ex professo confutandis immorandum nequaquam duximus. Cæterum explosas reperies apud Mamachium (*Origines christianæ*, libro IV, cap. IV, § 2). Ut tamen intelligat lector quam inanes sint, eas hic breviter indigitabimus.

Objectio prima. — Non probatur ex scriptura sacra, Babylonem a Petro memoratam esse urbem Romam.

Respondeo. — Licet hoc non probetur ex Scriptura sacra, probatur aliunde, nimirum ex antiquorum Patrum testimonio.

Objectio secunda. — Petrum Romam ivisse primum asseruit Papias, vir ineptus ; et subsecuti patres ejus testimonio decepti sunt.

Respondeo. — Quoad ejusmodi factum decipi non potuisse, nec Papiam, nec tot alios adeo proxime subsecutos ; qui Papiæ simplicitatem et errores varios non ignorarunt, sed e contra notarunt.

Objectio tertia. — Disputant eruditi, an Claudii, an Neronis tempore sanctus Petrus Romam petiverit : ergo nunquam Romæ fuit.

Respondeo. — Si valeret argumentatio, sequeretur Dominum nostrum Jesum Christum nunquam natum, nunquam cruci affixum fuisse ; cum de die ac anno ejus nativitatis ac mortis etiam nunc disputent eruditi.

Objectio quarta. — Si Petrus Romam venisset, id in suis scriptis non siluissent sanctus Paulus et sanctus Lucas.

Respondeo. — Nequaquam repugnat siluisse sanctum Lucam, quod vide fuse probatum a Mamachio (loco citato). In Epistola vero sancti Pauli ad Romanos mirum non est non fieri mentionem de sancto Petro, quia tunc sanctus Petrus Romæ non aderat, quamvis antea Romam venisset et postea redierit. De quo vide citatum Mamachium.

Nota 2°. — *De clarioribus e secta protestantium scriptoribus qui S. Petrum Romam venisse fateri coacti sunt.* Quamvis protestantium plures sanctum Petrum nunquam Romæ constitisse contenderent, alii tamen multi ac eruditione clariores, testimoniorum evidentia coacti, contrarium confessi sunt. Ita, inter alios :

1° Josephus Scaliger, in *Chronicon Eusebii*, pag. 197, edit. 1658 ; — 2° Sethus Calvis, in *Nerone*, *Chronolog.*, pag. 451,

edit. Francofurt., 1650 ; — 3° Daniel Chamierus, *Panstrat.*, t. II, l. XI, cap. XIX ; — 4° Balthasar Bebelius, *Antiq. Eccl.*, pag. 21, edit. 1669; — 5° Blondellus, *de Primatu Papæ*, sect. I, pag. 14 et seq. ; — 6° Hammondus, *dissert.* 5 *de Episcopis*, cap. I ; — 7° Pearsonus, *Oper. posth.*, pag. 27, 32 et 43, editionis 1688 ; — 8° Patricius Junius, in *Not. ad. epist. S. Clementis*, apud Labbe, tomo I Conciliorum, pag. 172, editionis Venetæ ; — 9° Joannes Pappus, *Epit. hist. Eccl.*, pag. 22, edit. 1661; — 10° Henricus Kippingus, in *notis ad Pappi epitomen;* — 11° Thomas Ittigius, *Hist. eccl. sæculi I*, cap. IV; — 12° Johannes Clericus, *Hist. eccl. duorum priorum sæc.*, ad annum 68; — 13° Samuel Basnagius, *Annal. polit. et eccl.*, ad annum 64 ; — 14° Guillelmus Caveus, *Hist. eccl. litt.*, parte I, pag. 4 ; et parte II, pag. 2, edit. 1699 ; — 15° Hugo Grotius, in I Petri, cap. V, v. 13 ; *Operum theol.* tomo II, vol. II, pag. 1112, edit. 1679; — 16° Usserius, ad annum Christi 67; — 17° Isaacus Newtonus, cap. I, *Observat. in Apocal.;* — 18° Johannes Henichius, *Hist. eccl. et civil.*, parte I, cap. V; — 19° Johannes Albertus Fabricius, *Bibl. græcæ* l. IV, cap. V; — 20° Laurentius Moshemius, *de Rebus christianorum ante Constantinum*, sæculo I, § 34; — 21° Christianus Matthæus Pfaffius, *Inst. Hist. eccl.*, sæculo I, cap. V, § 3 ; — 22° Johannes Hernestus Grabius, *Annot. in cap.* I *libri III S. Irenæi ;* — 23° ipse Calvinus, de sancto Petro loquens, sic asserit : *Propter scriptorum consensum non pugno quin illic* (Romæ) *mortuus sit* (lib. IV Instit., cap. IV, § 15) ; — 24° ex recentioribus adducit pater Perrone (*San Pietro in Roma*, pag. 32), hosce quatuor : Schrokh, Bertholdt, Neander, Collu.

Nota 3°. — Præter citatos scriptores, legendus etiam Schelstrate (*Antiquitas Ecclesiæ*, tomo II, pag. 148 et seq., edit. Romæ, 1697).

CAPUT V

SANCTUS PETRUS FUIT VERE AC PROPRIE ROMANORUM EPISCOPUS.

Sanctum Petrum Romam ivisse, atque ibi martyrio coronatum obiisse adeo, ut vidimus, inconcussis constat testimoniis, ut id negare ipsos etiam eruditione clariores protestantes puduerit. At ne Romanis Episcopis, quatenus sancti Petri successoribus, primatum concederent, ad aliud effugium sese converterunt. Concesso nempe sancti Petri adventu Romam, negarunt eum unquam Romanorum Episcopum egisse. Ita haud pauci, tum Lutheranæ, tum Calvinianæ sectæ (de quo vide apud Mamachium, *Origines chrisitanæ*, lib. IV, cap. v, § 1). Quorum error duplici sequenti paragrapho exploditur.

§ 1. — Argumentum e veterum Patrum testimoniis.

1° *Caius*. — Fuit is Ecclesiæ Romanæ addictus, ac ejus proinde origines apprime compertas habuit. Vocari solet *Caius presbyter*. Sed quidquid sit de vero ejus nomine, nos de eo loquimur qui contra Artemonem scripsit et quem citat Eusebius, quique floruit versus finem secundi sæculi. Sic autem habet de Victore Papa : *Tertius ac decimus a Petro fuit Romæ Episcopus*. Ἦν τρισκαιδέκατος ἀπό Πέτρου ἐν Ῥώμῃ ἐπίσκοπος (apud Eusebium, *Hist. eccl.*, lib. V, cap. xxviii). Dicere Victorem decimum tertium a Petro Episcopum Romanorum extitisse, idem est ac dicere primum fuisse Petrum.

2° *Auctor carminum contra Marcionem*. — Auctorem hunc eruditi Tertulliano haud recentiorem reputant ; ut proinde secundo jam sæculo floruisse censendus sit. Sic porro habetur libro tertio *Carminum contra Marcionem*, capite ix (Operum Tertulliani t. II, col. 1077, editionis Migne) : *Hac cathedra, Petrus qua sederat ipse, locatum maxima Roma Linum primum*

considere jussit. Et infra, ibidem : *Constabat pietate vigens Ecclesia Romæ, composita a Petro, cujus successor et ipse jamque loco nono cathedram suscepit Hyginus. Post hunc deinde Pius*, etc.

3° *Tertullianus.* — Libro de *Præscriptionibus*, capite XX : « Sicut Smyrnæorum Ecclesia Polycarpum ab Johanne conlocatum refert, sicut Romanorum Clementem *a Petro ordinatum itidem;* perinde utique et cæteræ exhibent, quos ab Apostolis in episcopatu constitutos Apostolici seminis traduces habeant. » Si Petrus, quem alibi Romæ passum dicit Tertullianus, Episcopum Romanorum constituit Clementem, sane ipse Romanam Ecclesiam constituerat ac rexerat, antequam Clementem sibi substitueret.

4° *S. Cyprianus.* — « Navigare audent ad *Petri cathedram* atque Ecclesiam Principalem » (Epist. 3, ad Cornelium). « Cum Fabiani locus, id est, *locus Petri* et gradus cathedræ sacerdotalis vacaret » (Libro IV, epist. 2, ad Antonianum). Nisi existimasset sanctum Petrum revera fuisse primum Romanæ urbis Episcopum, hujus urbis sedem non vocasset *Petri locum, Petri cathedram.*

5° *Eusebius.* — « Petrus, natione Galilæus, christianorum Pontifex primus, cum primum Antiochenam Ecclesiam fundasset, Romam proficiscitur, ubi Evangelium prædicans, viginti quinque annis *ejusdem urbis Episcopus* perseverat » (In chronico anni 44).

6° *Epiphanius.* — « Episcoporum in Roma successio hanc consequentiam habuit : Petrus et Paulus, Linus, Cletus, Clemens, Evaristus, etc. » (Hæresi, 27).

7° *S. Ambrosius.* — « Auctor est nobis hujus assertionis Petrus Apostolus, qui *sacerdos fuit Ecclesiæ Romanæ* » (Post epistolam 20, classis primæ, tomo III, pag. 1010, editionis Migne). Quod in antiquis scriptoribus idem sit *Sacerdos* ac Episcopus, eruditis explorata res est.

8° *Dorotheus.* — « Linus post Coryphæum Petrum Romæ Episcopus fuit » (*In synopsi*).

9° *Sozomenus*. — « Non sine divina Providentia factum est ut, mortuo Felice, solus Liberius Romanæ Ecclesiæ præesset, ne *Petri sedes* ulla infamiæ macula aspergeretur » (Lib. IV, c. XIV).

10° *Optatus*. — « Negare non potes, scire te, in urbe Roma Petro primum cathedram episcopalem esse collatam » (Lib. II, contra Parmenianum). « Sedit prior Petrus, cui successit Linus » (ibidem, lib. II, cap. III).

11° *S. Hieronymus*. — « Simon Petrus... Romam pergit, ibique 25 annis cathedram sacerdotalem tenuit » (*De Viris illust.*, in Petro). « Cum successore piscatoris et discipulo crucis loquor. Ego Beatitudini Tuæ, id est, cathedræ Petri, communione consocior » (Epist. 1, ad Damasum).

12° *S. Augustinus*. — « Petro enim successit Linus, Lino Clemens, etc. » (Epist. 53, alias 165, ad Generosum). « Cathedra tibi quid fecit Ecclesiæ Romanæ, *in qua Petrus sedit*, et in qua nunc Anasthasius sedet? » (Libro II, cap. LI, *Contra litteras Petiliani*, tomo IX, col. 300, editionis Migne.)

13° *Prosper*. — « Sedes Roma Petri » (Lib. de Ingrat.).

14° *Sulpitius*. — « Divina apud urbem religio invaluerat, Petro ibi episcopatum gerente » (Libro II *Historiæ sacræ*).

15° *Catalogi Romanorum Pontificum*. — Quam antiqui et quot numero extent et ab eruditis editi fuerint, vide apud Mamachium (*Origines christianæ*, libro IV, tomo V, pag. 328, edit. Romæ, 1850). Porro ii catalogi, in serie Romanorum Episcoporum, semper primum Petrum Apostolum exhibent. (Videatur etiam catalogus de quo Mamachius pagina 497 citati tomi.) De iisdem catalogis erudite disserit Schelstrate (*Antiquitas Ecclesiæ*).

§ 2. — Argumentum ex universali per octodecim sæcula testimonio et persuasione.

Advertat lector hocce argumento evinci, non tantum quod præsenti capite propugnatur, id est, sanctum Petrum gessisse

Urbis Romæ episcopatum, sed simul etiam eumdem Apostolum Romam ivisse atque ibidem summi Pontificatus sedem constituisse. Quod quidem argumentum transcribendum duxi ex patre Martin, societatis Jesu, magistro quondam meo, qui sic illud concinnavit in eximio suo tractatu *de Ecclesia* (non typis, sed per autographiam, paucis exemplaribus, edito, pag. 202) :

« Admittenda prædicta facta (id est sanctum Petrum Romam ivisse, et ibi sedem Pontificalem constituisse, ac Romanorum Episcopum fuisse), si probentur duo hæc : 1° facta prædicta, si vera fuerint, debuerunt constanti et universali testimonio, quale semper extitit, referri atque transmitti ; 2° testimonium quod per decem et octo sæcula de factis istis viguit, et fides qua constanter eadem facta credita sunt, non aliam causam et originem habere potuerunt, quam ipsorummet ejusmodi factorum veritatem. Atqui hæc duo facile constant.

« I° *Si facta hæc vera fuerint, transmitti debuerunt universali et constanti, quale extitit, testimonio.* — Probatur 1° ratione *generali :* nam factum omne sensibile, diuturnum, omnibus conspicuum, publicum, gravissimique momenti et gravissima trahens consectaria, nequaquam ignorari potest a coævis et sequentibus, quæ a prima illud acceperunt, generationibus, aut tanquam indifferens ex hominum memoria excidere ; sed est cum innumerorum hominum commodis aut incommodis connexum, et dat ortum aliis factis, quæ ipsa et narrantur et multorum hominum ore celebrantur, et quorum memoria non retinetur nisi cum memoria facti principalis. Atqui talia fuerunt hæc facta sancti Petri. Fuerunt enim per se maxime publica et conspicua, tum Christianis jam Romæ conversis, qui sanctum Petrum summa veneratione prosequi debuerunt, tum infidelibus, quorum præjudicia, errores, idololatria, etc., impugnabantur et prædicatione sancti Petri, et nova religione, cujus diffundendæ ipse erat præcipuus minister. Nec tantum Romæ civibus innotescere

debuerunt hæc facta, sed etiam omnibus gentibus quæ audiebant evangelii prædicationem et ipsum Christi nomen, quæque doctrinam Christi accipientes, ignorare nequibant sortem Principis Apostolorum a Christo missorum, nec circa ipsum remanere indifferentes et incuriosi; sed e contra quæ debebant missionem et dignitatem sancti Petri venerari et ipsi subjici, et ipsius principalem auctoritatem inter prima capita fidei quam amplexæ fuerant, profiteri. Item facta hæc gravissimi momenti fuerunt, tum Christianis, qui jam Petrum ut pastorem primum et ducem agnoscebant, tum infidelibus, quibus prædicabatur religio christiana et summa necessitas eam amplectendi, et Ecclesiam cui Petrus ex institutione Christi præerat ineundi. Et tandem facta hæc ortum dabant aliis factis æque conspicuis, nempe miraculis quibus Petrus et doctrinam quam prædicabat et missionem suam ac dignitatem specialem quam a Christo acceperat, probabat ac confirmabat; tum multis conversionibus quæ Romæ, ipso prædicante, publice fiebant, tum novæ societati religiosæ quæ, media in Urbe Roma, ex ipsius incolis ad Christum conversis, coalescebat, et a gentilibus, in his omnibus quæ ad religionem pertinent, maxime distincta atque divisa erat, et Petrum ut caput et ducem proprium agnoscebat et reverebatur. Ergo facta ista non potuerunt a coævis ignorari, nec taceri, nec subsequentibus generationibus (remanentibus semper iisdem causis, conditioni factorum istorum propriis, eademque ipsorum gravitate, et eadem cognoscendi necessitate) non transmitti. Ergo non potuerunt ista facta non constanter referri testimonio patenti et publico, quale semper extitit et existit; — 2° idem probatur ex ratione *speciali*. Etenim quod Petrus Romam venerit et ibi sedem suam fixerit, et Romæ Episcopus mortuus sit, fuerunt facta quæ ad religionis Christianæ fundamenta pertinuerunt, quatenus, si facta hæc vera fuerunt, sedes episcopalis Romana facta est sedes summi Pontificatus Ecclesiæ catholicæ, et urbs ipsa Roma facta est caput totius orbis catholici, et Ecclesia Ro-

mana facta est omnium aliarum Ecclesiarum princeps et magistra, et facta est omnibus Christi doctrinam et fidem amplectentibus et profitentibus necessitas inter fidei dogmata credendi ac profitendi Episcopum Romanorum esse ducem et principem totius Ecclesiæ, principem Episcoporum, doctrinæ Christi magistrum primarium, totius fidelium societatis supremum rectorem et pastorem, communionis et unitatis catholicæ centrum et principium, et cui omnes undique fideles subesse tenebantur. Atqui hujusmodi facta non potuerunt ignorari nec constanti testimonio non transmitti ; utpote ad ipsam Ecclesiæ catholicæ constitutionem pertinentia, inter religionis dogmata ab omnibus Christianis reposita et credita, et semper credenda et memoranda ; et ortum dabant gravissimis consectariis, nempe necessitati fidem Romani Episcopi profitendi, ipsi ut capiti cohærendi, ipsius leges accipiendi et servandi ; et pariter ortum dabant aliis factis conspicuis, nempe institutioni novarum Ecclesiarum ab ipso dependentium, communioni omnium cum ipso Episcoporum et fidelium, legibus quibus Ecclesiam informabat, missioni ministrorum ab ipso deputatorum ad gentes convertendas, etc. Ergo facta hæc sancti Petri non potuerunt non esse maxime conspicua et ubique cognita, nec unquam ignorari, nec constanti et universali testimonio non servari et transmitti ad sequentes generationes. Ergo I° si vera fuerint, procreare debuerunt testimonium quale semper extitit et existit.

« II° *Testimonium, quale a* 18 *sæculis extitit et etiam nunc existit de factis istis, non aliam habere potuit causam quam factorum istorum veritatem.* — Et 1° probatur *ratione generali :* etenim testimonium istud est constans, universale, maxime fixum atque determinatum ; scriptis innumeris consignatum ; orali traditione servatum ; monumentis etiam maxime publicis et solemnibus celebratum, verbi gratia, festo Cathedræ sancti Petri romanæ ; festo mortis quam per martyrium sanctus Petrus Romæ sub Nerone subiit, reliquia-

rum ipsius corporis Romæ extantium perpetua veneratione necnon templorum Romæ erectorum in memoriam sancti Petri Romæ Episcopi, confluxu fidelium undique Romam venientium ut venerentur et catenas quibus Romæ ligatus est Petrus et ipsius corporis sacras reliquias, et ut invisant urbem quam cathedra sua et morte illustravit et sanctificavit, præeminentia Sedis Romanæ, et solemni atque constanti professione, tum summorum Pontificum qui publice sese gerunt sedis et auctoritatis Petri Romæ mortui successores, tum omnium catholicorum qui Romanos Pontifices venerantur ut successores dignitatis et auctoritatis sancti Petri ; et insuper testimonium istud est de facto per se maxime sensibili, obvio, publico et innumeris testibus patente, gravissimique momenti. Atqui testimonium de tali facto non aliam habere potuit causam quam facti veritatem. Etenim testes istius facti tam multi et adeo omnibus rationibus diversi, nempe ingenio, moribus, conditione, indole, studiis, etc., nec decipi aut errare potuerunt, nec decipere voluerunt, nec etiam potuerunt; nec tot scriptores gravissimi, et quorum multi fuerunt facto propinqui, in errorem induci potuerunt, neque errorem transmittere ; nec tot et tam solemnia monumenta orta fuissent, si facta hæc non extitissent, et si eorum veritas perspecta non fuisset. Unde omnia media quibus factorum historicorum veritas ad generationes remotissimas certo pervenit, factis istis tota cum efficacia applicantur ; cum paucissima sint facta quæ tot veritatis indiciis et signis illustria sint. Ergo 1° *Ratione generali*, etc.— 2° Probatur etiam *ratione speciali :* nam facta hæc non fuerunt, sicuti pleraque facta historiæ profanæ, indifferentia ; sed fuerunt facta religiosa, nempe pertinentia ad ipsam fundamentalem constitutionem societatis christianæ et Ecclesiæ catholicæ, quæque admitti debebant vel tanquam religionis dogmata, vel tanquam conditiones necessariæ certorum dogmatum ; eorum scilicet quæ exprimunt Ecclesiæ constitutionem et apostolicam successionem a Christo ipso expressam et determinatam ; unde ex veri-

tate factorum istorum pendebat tota ratio successionis Romanorum Pontificum in dignitatem et auctoritatem sancti Petri; ac proinde etiam ex veritate factorum istorum pendere debebat regimen ecclesiasticum, forma ipsius atque vis tota, ipsius Ecclesiæ ratio socialis, unitas, catholicitas, et apostolicitas. Et insuper, testimonium de istis factis est etiam testimonium quasi dogmaticum, fide obligante perpetuo creditum, inter communia religionis documenta omnibus christianis traditum, quodque connexum est cum fide de Christi promissionibus, conferentis Petro legitimisque ipsius successoribus summam auctoritatem; et cum fide qua Romanus Pontifex credendus est et semper creditus est Petri successor, ipsius auctoritatem jure divino seu ex institutione Christi exercens, caput totius Ecclesiæ, centrum unitatis fidelium omnium, pastor supremus gregis Christi; et tandem cum ipso dogmate quo vera Christi et catholica Ecclesia credenda est esse Romana, et vi cujus tenentur omnes catholici, ut in via salutis consistant et in vera fide contineantur, esse Romani Pontificis seu Romanæ Ecclesiæ membra et Romano Pontifici adhærentes et subjecti. Atqui tale testimonium de talibus factis non oriri potuit nisi a factorum veritate. Etenim omnes qui primum amplexi sunt fidem christianam, quique erant adeo multi adeoque veritatis amantes, salutis cupidi, sanctitate atque doctrina (saltem multi) insignes, quique etiam fidem suam martyrio fortiter tolerato signabant, non potuerunt decipi circa facta quæ pertinebant ad fidei fundamenta; nec potuerunt sine sufficienti examine et absoluta certitudine facta hæc admittere; nec voluerunt aut potuerunt generationes christianorum sequentes decipere; nec fidei christianæ prædicatores potuissent infidelibus, quos ad Christum adducere conabantur et quos reipsa ubique tam multos adduxerunt veritatem ejusmodi factorum persuadere, nisi fuissent certissima; neque tam multi christiani, posthabitis omnibus terrenis commodis, sortem ac salutem suam alligassent Ecclesiæ Christi, nisi maxime perspecta habuis-

sent facta ex quorum veritate pendebat istius Ecclesiæ constitutio et veritas; neque potuissent adduci ut communione et obedientia consociarentur et subjicerentur Romano Pontifici, nisi constitisset de factis ex quorum veritate tota ipsius pendebat Ecclesiam regendi potestas. Ergo facta hæc, nisi fuissent veritate conspicua, nunquam credi cœpissent; et falsitas, si quæ fuisset, statim detecta fuisset. Ergo nec incipere potuisset, et multo minus per totum orbem diffundi atque deinceps permanere testimonium, quale existit, de factis istis. — Insuper testimonium istud sæpissime, sæculorum decursu, debuit ad examen revocari ab hæreticis, schismaticis, et iis omnibus qui jugum Summi Pontificis excutere voluerunt. Unde vel vi veritatis convicti facta hæc et ipsi admiserunt, vel si quid contra veritatem istam aliqui excogitaverint, fuit omnino imbecille, ac caducum; ita ut testimonium universale nullatenus potuerit debilitari, nec ullum supersit vestigium istarum impugnationum, et merito negari possit eas aliquando extitisse; et præsertim in iis sæculis quibus factorum istorum memoria recens erat, et facilius potuisset testimonii istius vis infringi. Ergo, consensio istorum hominum in admittenda factorum istorum veritate est etiam invictum istius veritatis argumentum. — Præterea fides universalis qua nunc creduntur facta prædicta ascendit, per generationum præcedentium seriem, usque ad tempus quo facta hæc locum habuerunt; nec potest assignari aliud tempus quo fides ista inceperit, neque auctor illius; neque memorari possunt ullæ reclamationes contra mendacium istud exortæ. Atqui tamen si quis inducere voluisset hanc fidem, qua crederentur facta hæc quæ falsa fuissent et de quibus nihil unquam auditum fuisset, retineri debuissent populorum memoria, historia et monumentis prædictæ circumstantiæ istius mutationis. Nam facta adeo gravia quæ fuissent omnino inaudita et ignota non admissa fuissent; nec sine vehementibus reclamationibus, impugnationibus et contradictionibus audita fuissent; præsertim cum facta ista mutassent totam societatis ecclesiasticæ

constitutionem, et omnes relationes variorum Ecclesiæ membrorum cum Episcopo Romano, et ipsi supposuissent et concessissent jura quæ non accepisset a Christo, et creassent nova populorum et Episcoporum erga ipsum officia. Ergo non magis potuit fides factorum istorum falsorum induci sine hujusmodi contradictionibus, quam mutari nullo reclamante ipsa Ecclesiæ constitutio, aut dogma ullum fundamentale. Porro istæ contradictiones efficaciter obstitissent falsitatis de factis istis inductioni, nec latuissent aut coævos aut subsequentes generationes. Ergo nunquam incipere ac stabiliri potuisset fides factorum istorum, nisi ab omnibus vera agnita fuissent. —Et vero vel factorum istorum fides inducta fuisset subita mutatione, vel sensim sine sensu seu mutatione insensibili. Atqui neutrum dici potest : non prius, ex modo allatis rationibus. Sed neque posterius : etenim in Ecclesia semper existunt multi fideles et fidei suæ et Ecclesiæ a Christo constitutæ addictissimi, et zelo puritatis et integritatis fidei ferventes ; quique proinde nunquam sine reclamationibus et contradictionibus passi fuissent hanc novam fidem factorum istorum induci ; et semper vigilant ubique pastores seu Episcopi dogmatum et constitutionis Ecclesiæ custodes fidelissimi et officiorum suorum observantissimi, qui ea omnia quæ possunt gregis sibi commissi fidem turbare aut adulterare detegunt et arcent ; et semper etiam viri docti existunt qui omnes novitates a fide alienas signant atque refellunt, et populos in veritate confirmant. Atqui cum istis omnibus mediis errores detegendi semper in Ecclesia præsentibus, impossibile fuisset ut sensim sine sensu serperet et obtineret falsitas. Debuisset quippe tandem falsitas ista diffundi ut in fidem communem transiret ; unde et statim fraus delecta fuisset atque signata, dictisque ac scriptis ac pastorum documentis confutata et repulsa. Ergo nec potuit fraus ista sensim sine sensu obtinere. —Insuper facta ista non servata sunt traditione tantum historica et huic simili qua transmittitur memoria factorum historiæ profanæ ; sed traduntur populis ab auctoritate

quæ subjectionem et fidem omnimodam requirit et præcipit, quæque jus suum repetit ex veritate factorum istorum, nempe a Romano Pontifice cui conjuncti sunt omnes Episcopi, quique auctoritatem suam quam omnes revereri tenentur se habere profitetur ex eo quod sit successor Principis Apostolorum Romæ mortui, ipsiusque sedem occupet et auctoritatem huic Sedi annexam hæreditaverit et exerceat. Atqui traditio hæc, ex tali auctoritate servata, non incipere potuit nisi ab ipsa factorum veritate. Si enim sanctus Petrus Sedem Romanam nonoccupasset, nec ipsi primatum Pontificalem alligasset, nec eam tenens mortuus esset, repulsus fuisset quicumque sancti Petri successorem sese et auctoritatis hæredem ingerere tentasset, sub eo prætextu quod occuparet Sedem Romanam tanquam Sedem Petri ; nec titulus istius successionis agnitus fuisset ; nec auctoritatem illam impune et pacifice usurpare potuisset ; nec proinde eam obtinere et exercere obtinendo omnium fidelium et Episcoporum obsequium et venerationem. Ergo traditio hæc nunquam incipere et stabiliri potuisset. — Tandem nisi facta hæc fuissent verissima, Christus non permisisset unquam eorum fidem in Ecclesia obtinere. Christus enim Ecclesiam suam instituit usque ad finem sæculorum permansuram, nulloque errore maculandam et perimendam, ipsamque constituit ab omnibus hominibus independentem, et omnibus adulterationibus et mutationibus semper restituram efficaciter et superiorem. Unde prorsus immutabilis est Ecclesiæ constitutio sicuti veritas quam Christus per ipsam docet. Atqui hoc posito Christus non potuit permittere ut error iste invalesceret. Etenim si sanctus Petrus Romam non transtulisset Sedem Pontificalem eamque moriens successori non tradidisset, successio Episcoporum Romanorum in Pontificalem Petri auctoritatem nullatenus ad Ecclesiæ constitutionem pertinuisset, sed Ecclesia fuisset aliter a Christo instituta. Ergo constitutio hæc semper immobilis permansisset, ne deficeret ipsa Ecclesia. Ergo et Christus invicte removisset ea omnia quæ hanc constitutionem adulterassent et immu-

tassent. Ergo et impedivisset ne facta hæc falsa unquam crederentur vera, et ne quatenus vera credita transirent quasi in fundamentum constitutionis Ecclesiæ et in titulum auctoritatis quam Christus ipse non instituisset nec contulisset. Ergo nunquam fides factorum istorum incipere aut stabiliri potuisset. Ergo II° præsens testimonium de factis istis, non aliam potuit causam habere quam eorum veritatem. Aliunde I° si facta hæc vera fuerint debuerunt transmitti universali et constanti, quale existit, testimonio. Ergo facta hæc absolute vera sunt et omnino certa: » Hactenus P. Martin.

CAPUT VI

SENTENTIA QUÆ TENET SANCTUM PETRUM BIS ROMAM IVISSE ET IBI SEDEM EPISCOPALEM VIGINTI QUINQUE ANNIS OCCUPASSE, VERA MERITO CENSETUR; NEQUE ULLATENUS NUTAT OB DIFFICULTATES A NONNULLIS RECENTIORIBUS ERUDITIS PROPOSITAS.

Præsens caput prætermittere potuissemus, cum sufficienter sancti Petri ac Romanorum Episcoporum quatenus ipsi succedentium primatus peremptorie demonstrari valeat, etiamsi concederetur semel dumtaxat sanctum Petrum Romam venisse, et minori quam viginti quinque annorum spatio Romanorum Episcopum egisse. Nihilominus quia duplex iter sancti Apostoli et gestum ab ipso Romæ per 25 annos episcopatum tradidit antiquitas, etsi traditio hæc ad dogma catholicum non pertineat, eam tamen hic defendendam duximus. Non enim in Patrum traditionibus admittendus error nisi probetur. Porro qui traditionem illam de qua nunc agimus impugnarunt, id dumtaxat assecuti sunt, ut magis pateret quam vera sit et inconcussis documentis fulta.

§ 1. — Quinam scriptores catholici duplex iter et vinginti quinque annos episcopatus inficiati sint, et qua ratione ducti.

« Tacendum non est, ait Bianchi, modernos scriptores nonnullos (merito quidem in re litteraria celebres, verum exagitatos illa prurigine, quæ jam ab aliquanto tempore quosdam impellit ut novas ac inauditas sententias ingerendo eruditorum sibi famam comparent) in præsenti quæstione tritam viam deseruisse, et unicum adseruisse iter sancti Petri ad urbem Romam, ineunte scilicet Neronis imperio, multum contractis viginti quinque Romani episcopatus annis » (*Della potesta e della politia della Chiesa*, tomo III, pag. 257, edit. Romæ, 1745). Præcipui autem hujus neotericæ opinionis patroni fuere, Pagius (ad annum Christi 43), Stephanus Balazius (in notis ad Lactantium *de Mortibus persecutorum*) et Papebrochius (in *Conatu chronologico*). Hi nempe tenent, errasse Eusebium, Hieronymum, Bedam, et immensam illam ecclesiasticorum scriptorum turbam, qui omnes concorditer viginti quinque annos Romano sancti Petri episcopatui adsignant, et hoc ipso supponunt sanctum Apostolum Romam prius venisse sub Caio vel ineunte Claudii imperio.

Porro hujusce novæ, ac Patrum traditioni prorsus contrariæ sententiæ non aliud alicujus momenti fundamentum substernunt, quam textum quemdam manuscripti a Stephano Baluzio reperti, ac primum editi, quodque volunt esse opus Lucii Lactantii Firmiani. Arenosum sane fundamentum, ut liquebit modo.

§ 2. — Documenta queis duplex iter et viginti quinque annorum episcopatus evincitur.

1° *Catalogus Liberianus Romanorum Pontificum* — conscriptus fuit anno circiter 354, sub Liberio Pontifice, unde et *Liberianus* dici solet; et in lucem editus ab Ægidio Bucherio (in commentariis de canone paschali Victoris Papæ). Quem textum deinceps disceptationibus illustravit Emmanuel Schestra-

tus, ac alii eruditi multi. Ibi porro sancti Petri Romanus episcopatus plenos viginti quinque annos occupat.

Equidem vetustissimum hujus catalogi autographum textum jam non extare putat laudatus Schelstratus (Dissert. de antiquis Romanorum Pontificum catalogis, cap. III). Sed haberi saltem antiquum exemplar quo usus olim est Cuspinianus, testatur Lambecius (lib. IV Comm. biblioth. Cæsar.) hoc modo: *Eximius codex manuscriptus, quem Bucherius laudat et desiderat, superest etiamnunc in Augustissima Cæsarea Vindobonensi bibliotheca æque integer, ut ipse Cuspianus eo olim usus est.* Quid autem in hoc quo usus est manuscripto legeretur refert ipse Joannes Cuspinianus (Comm. in fasta Aurelii Cassiodori, ad annum Urbis conditæ 781) his verbis: *Dehinc majusculis litteris subjungitur:* PETRUS ANNIS VIGINTI QUINQUE, MENSE UNO, DIEBUS NOVEM. Quod autem dictus catalogus sub Liberio Papa conscriptus sit, certum argumentum est, eum in hujus Pontificis recensione desinere, non assignatis Pontificatus annis, nec consulibus, nec mortis tempore. Et ita cæteroquin sentiunt, inter cæteros eruditione conspicuos, Petavius et Pearsonius. Sic habet doctissimus Petavius (*rationarium temporum*, lib. V, cap. V): *Vetus indiculus Romanorum Pontificum Liberii tempore contextus, quem penes nos habemus.* Item Pearsonius, etsi e protestantium secta, et hoc nomine Sedi Romanæ haud parum infensus, sic asserit: *Scriptus est hic catalogus sub pontificatu Liberii, cui successit Damasus. Fuit igitur ejus auctor ipso Hieronymo paulo antiquior* (Dissert. de successione primorum Romanorum Pontificum, cap. XIII).

Notanda etiam hujusce catalogi epocha, utpote qua ejus auctoritas haud parum augetur. Nam Liberii tempore, ob agitatam de celebrando Paschatis festo controversiam, chronologicis quæstionibus et indagationibus sedulo incubuerant eruditi, qui tunc multi floruerunt, viri. Accurate contextum fuisse hunc indiculum vel ipsa denotat consulum, quoad unumquemque Pontificem, adsignatio. Nec dubium quin concinnatus fuerit, diligenter compulsis Ecclesiæ Romanæ

scriniis et antiquis documentis, ac eum in finem ut pro certa in posterum regula haberetur.

2° *Tredecim alii manuscripti catalogi.* — Eos edidit Franciscus Blanchinus (in Prolegomenis ad Anastasium, tomo II, pag. 85, edit. Romæ, 1723). Conscripti autem sunt sub variis Pontificibus. Porro quoad annos Romani episcopatus sancti Petri, concordant cum Liberiano. Quæ concordia, non obstante varietate temporum et codicum e quibus extracti sunt et transcripti, confirmat Liberiani catalogi auctoritatem, et impedit ne scribentis errori tribui possit numerus 25 annorum in eodem Liberiano exaratus.

3° *Inscriptio parieti depicta in Basilica sancti Pauli sub Leone Magno.* — Quod sub Leone Magno exarata fuerit veterum Romanorum Pontificum chronologia sub ipsorum imaginibus parieti depictis (in Basilica Sancti Pauli, extra Romam, via Ostiensi) probatum vide apud laudatum Blanchinum (loco citato, pag. 76). Porro ibi sub imagine sancti Petri posita fuit inscriptio hæc : *Petrus sed* (it) *ann* (os) *XXV — m* (enses) *II — d* (ies) *VII.* Sane quoad ejusmodi documentum allegari nequit Amanuensium error et oscitantia, prout sæpe fit quoad manuscripta. Et notetur floruisse sub Leone Magno peritos in re historica et chronologica viros.

Equidem non concordat inscriptio hæc cum Liberiano catalogo quoad *menses* et *dies*. Verum id solus ille mirabitur qui prorsus hospes remanserit in intricatissima chronologicorum computorum disciplina. Haud facilis sane quoad priscos illos eventus dierum et mensium certa designatio, præsertim quando ex consulatibus computandum est. Cæterum cum Leoniana pictura, etiam circa menses et dies, concordant sex inter præcipuos catalogi. Et insuper concordat quoad menses, nec discrepat nisi diebus quatuor, insignis catalogus sæculo sexto contextus sub Felice IV (Vide Blanchinum, loco cit.).

4° *Eusebii, Hieronymi et multorum aliorum Patrum testimonium.* « Petrus, natione Galilæus, christianorum Pontifex primus, cum primum Antiochenam Ecclesiam fundasset, Ro-

mam proficiscitur, ubi Evangelium prædicans, *viginti quinque* annis ejusdem urbis Episcopus perseverat » (Eusebius, in Chronico, anno 44). « Simon Petrus... Romam pergit, ibique *viginti quinque* annis Cathedram sacerdotalem tenuit » (S. Hieronymus, epist. 1 ad Damasum). Idem tradunt Orosius, Isodorus Beda, et alii quamplurimi.

Igitur traditio illa, quæ 25 annos Romano sancti Petri episcopatui assignat, antiquissima est, et luculentissimis testimoniis nixa. Non potuit autem Petrus 25 annis episcopatum Romanum gerere, nisi Romam venerit sub Caio vel saltem ineunte Claudii imperio. Cumque aliunde certum sit et ab adversariis admissum, sub Nerone Apostolum eumdem Romam petiisse, sequitur duplex ejus in Urbem adventus.

§ 3. — Perperam ob textum Lactantii negatur duplex iter sancti Petri Romam, ac ejus per 25 annos episcopatus.

Textus ille sic se habet : *Apostoli per annos* 25 *usque ad principium Neroniani imperii, per omnes provincias et civitates Ecclesiæ fundamenta miserunt. Cumque jam Nero imperasset, Petrus Romam advenit, et editis quibusdam miraculis, quæ virtute ipsius Dei, data sibi ab eo potestate, faciebat, convertit multos ad justitiam, Deoque templum fidele ac stabile posuit* (Lactantius, *de Mortibus persecutorum*, cap. II). Hoc textu nixi Pagius, Baluzius et Papebrochius, existimarunt negandum duplex iter sancti Petri et 25 annos Romano ipsius episcopatui adscribi solitos. Ast erronea prorsus hæc eorum conclusio. Etenim,

I. *Isto textu neque duplex iter, neque dicti* 25 *anni excluduntur.* — Dicit quidem textus Petrum Romam venisse *cum jam Nero imperasset;* at nullatenus dicit non venisse unquam antea. Siletur prius iter, sed non negatur. Legitima ergo non est adversariorum illatio. Quod ut magis pateat, eam *in forma*, ut aiunt, scholastica exhibeamus : « Imperante Nerone Petrus Romam venit, ibique nonnullis editis miraculis, Deo

templum fidele ac stabile posuit ; ergo ante Neronis imperium Petrus nunquam Romæ præsens fuit. » Si legitima foret hæc illatio, valeret et ista : « Regnante apud Judæos Herode Agrippa, Petrus ivit Jerosolymam, ibique detrusus in carcerem, ab Angelo liberatus fuit ; ergo ante Agrippæ regnum Petrus nunquam Jerosolymis constitit. » Igitur in allegato textu asseruntur duo hæc : 1° Apostolos 25 annorum spatio per provincias et civitates Ecclesiarum fundamenta jecisse. 2° Petrum Romam venisse cum jam Nero imperare cœpisset. Porro 1° Quod Apostoli per 25 annos sic Ecclesias fundaverint per *civitates* et provincias, non excludit, sed potius innuit intra hoc 25 annorum spatium fundatam etiam Romæ fuisse Ecclesiam ; et pariter non excludit adventum Petri Romam sub initium illorum 25 annorum, et fundatam ibi ab ipso Ecclesiam. Qua fundatione semel inita, bene dici potuit, sub Nerone positum ab ipso *templum fidele ac stabile*, quia nempe Ecclesia Romana, etsi antea cœpta et fundata, tunc omnino firma et stabilis evaserat. 2° Quod autem adventus Petri, Neronis tempore, non excludat anteriorem ejusdem Apostoli adventum, per se patet. Prorsus igitur hallucinati sunt, qui ob istum textum respuendam duxerunt Patrum traditionem, omnino certam et universaliter receptam.

II. *Minime constat allegatum textum esse Lactantii.* — Opus enim ex quo depromitur, ignotum remanserat donec a Baluzio repertum fuit et in lucem editum, cum hoc titulo *de Mortibus persecutorum*. Auctorem esse Lactantium, asserit quidem Baluzius, sed ex illa sola ratione quod inter cætera Lactantii opera memoret sanctus Hieronymus (*de Scriptoribus Eccl.*, cap. LXXX vel CX) librum *de Persecutione*. Deperditum istum *de Persecutione* librum contendit Baluzius esse illum ipsum quem invenit et edidit, quique *de Mortibus persecutorum* inscribitur. Sed ratio hæc nequaquam probat. Aliud enim est *de persecutione*, et aliud *de mortibus persecutorum* disserere. Num vero dictum opus præ se ferat stylum Lactantii (de quo Hieronymus, epistola 13 ad Paulinum : *Lactantius quasi quidam fluvius*

eloquentiæ Tullianæ), aliorum judicium sit. Sane vel ipse titulus, *de Mortibus persecutorum*, parum Ciceronianus videtur. Id certum remanet adhuc merito ambigi posse num iste liber Lactantio sit adscribendus.

III. *Si textus certo foret Lactantii, et certo excluderet prius iter sancti Petri necnon ejus Romano episcopatui assignatos 25 annos, sequeretur dumtaxat errasse hac in re Lactantium, non autem erroneam esse contrariam Patrum traditionem.* — Noto notius est in multis Lactantium errasse. De quibus erroribus Hieronymus : « Lactantius quasi quidam fluvius eloquentiæ Tullianæ ; utinam tam nostra confirmare potuisset, quam facile aliena destruxit. » Hinc merito celebre Gelasii Papæ decretum (in Concilio Romano anni 494) *de scripturis authenticis et apocryphis*, inter apocrypha Lactantii libros rejecit. Igitur si non posset textus iste Lactantii ad sensum Eusebianæ historiæ ac communis traditionis reduci (quod falsum est, prout supra probavimus), deberet tanquam erroneus derelinqui. Cæterum suspicione non caret quod cujuslibet sectæ hæretici, quamvis toti sint in convellenda, tum Dionysii Magni operum, tum epistolarum sancti Ignatii martyris, et aliorum id genus certorum antiquitatis documentorum authenticitate, istud nihilominus *de Mortibus persecutorum* manuscriptum, statim ac a Baluzio editum fuit, unanimiter ac festive authenticum Lactantii partum salutarunt !

§ 4. — Petrus Apostolus Romæ crucifixus est anno 67.

Varia quidem huc usque doctorum sententia quoad annum beati Petri Apostoli martyrio assignandum. At cum nuper Pii IX feliciter regnantis jussu quæstio iterum ad crisim vocata fuerit, dissertationem edidit reverendus Bartolini, cujus conclusio est, collocandam anno 67 beati Principis Apostolorum necem. Quam sententiam anteponendam existimans Pius Papa IX, anno 1867, die 29 junii, celebrandum indixit, ac feliciter celebravit duodevigesimum sæculare anniversa-

rium a dicta triumphali Beatissimi Petri passione. Extat domini Bartolini dissertatio in collectione periodica *Revue des sciences ecclésiastiques* (mars 1867, tomo XV, p. 193). Juvat autem præcipua quibus nititur argumenta obiter indigitare. 1° De Seneca sic testatur S. Hieronymus (*de Viris illustr.*, t. II Operum, pag. 835, edit. Vallársii) : *Hic ante biennium quam Petrus et Paulus coronarentur martyrio, a Nerone interfectus est.* Aliunde autem ex Tacito scimus mortuum Senecam consulibus Silio Nerva et Attico Vestino, id est æræ vulgaris anno 65. Cum *biennio* post, teste Hieronymo, obierit sanctus Petrus, dicendum est annó 67 præclarum ejus martyrium contigisse.

2° Idem evincit sequens Hieronymi textus : *Secundo Claudii imperatoris anno, ad expugnandum Simonem Magum, Romam pergit, ibique viginti quinque annis cathedram sacerdotalem tenuit* (*de Viris ill.*, loco cit., p. 813). Secundus Claudii imperatoris annus idem est ac quadragesimus secundus æræ vulgaris. Cui numero 42, si addas 25 annos quibus episcopalem Romæ cathedram tenuit sanctus Petrus, reperies eum obiisse anno 67.

3° Alio loco Hieronymus sancti Petri martyrio adsignat *ultimum annum Neronis, id est decimum quartum* (loco cit, p. 813). Cœpit regnare Nero anno 54. Anni autem, prout communius computari solebant, a calendis januarii incipiebant decurrere. Juxta quod computum, annus Neronis decimus quartus idem esse comperitur ac annus 67 æræ vulgaris.

4° Testatur Eusebius Petrum 25 annis episcopatum Romæ gessisse (textum supra citavimus). Et alio loco narrat, Philonem, cum secunda vice venisset Romam ad Claudium imperatorem, cum Petro Apostolo locutum fuisse (*Hist. eccl.*, l. II, c. XVII). Igitur teste Eusebio, cœpit Petrus imperante Claudio Romæ degere ; et quidem *secundo* hujus imperatoris *anno*, prout asserit sanctus Hieronymus. Cum autem aliunde constet secundum hunc Claudii imperatoris annum cum anno 42 æræ vulgaris coincidere, sequitur Petrum Aposto-

lum suos 25 episcopatus annos absolvisse, id est, martyrium obiisse anno 67.

5° Auctor anonymus scripti *de Excidio Hierosolymitanæ urbis*, quem sancto Ambrosio antiquiorem existimant eruditi, narrat contigisse beati Petri Apostoli necem, jussu quidem Neronis, sed Nerone *in Achaiæ partibus sito*. Porro aliunde constat Neronem in Achaia versatum esse anno 67; nec Romam remeasse nisi anno 68, quo etiam anno necem sibi intulit.

6° In suis ad Corinthios litteris asserit sanctus Clemens I, martyrio Paulum Apostolum obiisse *sub præfectis* : καὶ μαρτυρήσας ἐπὶ τῶν ἡγουμένων. Et perinde est ac si de sancto Petro idem etiam asseruisset, cum eodem die ambo mortalem vitam pro Christo posuerint. Non autem usus esset Clemens illa formula *sub præfectis*, si præsens Romæ fuisset imperator; sed dixisset sub *principe* vel sub *imperatore* Nerone. Arguit nempe illa formula contigisse beatorum Apostolorum martyrium dum Nero in Achaia versaretur, id est, anno 67.

CAPUT VII

AN ET QUATENUS AD FIDEM PERTINEANT FACTA SANCTI PETRI, QUÆ CONNEXIONEM HABENT CUM PRIMATU ROMANORUM PONTIFICUM.

Distingui solent cum Bellarmino (*de Romano Pontifice*, c. 1) ejusmodi facta quatuor, videlicet : 1° Quod S. Petrus fuerit Romæ ; 2° Quod ibi mortuus fuerit ; 3° Quod fuerit Romanorum Episcopus ; 4° Quod semel susceptum episcopatum Romanum non mutaverit, seu quod Romanæ urbis Episcopus usque ad mortem esse non desierit. His addi potest quintum, scilicet : Quod primatum suum seu supremum Pontificatum Sedi Romanæ alligaverit.

Primum factum, id est, quod Petrus *Romæ fuerit*, rigorose non requiritur ad vindicandum Romanis Pontificibus

jus successionis in Primatu sancti Petri, dummodo simul concedatur sanctum Petrum Romanorum Episcopum fuisse. Quod autem possibile fuerit sanctum Petrum Romanæ urbis Episcopum esse, quamvis nunquam Romæ fuerit, patet exemplo plurium Romanorum Episcoporum; verbi gratia, Clementis V, Joannis XXII, Clementis VI, Innocentii VI, qui in Galliis ordinati, ibi semper manserunt. Igitur qui concederet S. Petrum Romanæ urbis Episcopum fuisse, et nihilominus simul negaret eum unquam Romæ fuisse, enormiter quidem erraret in materia historica; is tamen error per se fidem non læderet, quamvis *temeritatis* saltem nota mihi videatur perstringendus.

Secundum factum, id est, quod sanctus Petrus *Romæ mortuus sit*, pariter necessarium non est ad hoc ut S. Petrus fuerit Romanæ urbis Episcopus et Romani Antistites vere sint sancti Petri successores. Plures enim Romani Pontifices, non Romæ, sed alibi, obierunt; verbi gratia, Clemens I in Ponto, Pontianus in Sardania, Agapetus Constantinopoli, etc. Error proinde quo negaretur S. Petrum Romæ obiisse, crassissimus quidem foret, imo et *temerarius*, utpote contradicens universali ac perpetuæ Ecclesiæ traditioni, qua consummatum Romæ a Petro martyrium liturgice celebrat; per se tamen nullum læderet fidei articulum. Hinc non est cur in expendendis duobus prædictis factis diutius immoremur.

Item negligimus factum sub numero 4 supra memoratum, videlicet quod sanctus Petrus semel susceptum Romanum episcopatum numquam dimiserit et cum alio commutaverit. Nam ad vindicandum Romanis Pontificibus primatum, satis est si probetur S. Petrum Romanæ urbis Episcopum fuisse, et huic Sedi Primatum suum alligasse. Igitur de hisce duobus ultimis factis duntaxat expendemus, an et quatenus ad fidem pertineant.

§ 1. — Quod sanctus Petrus urbis Romæ fuerit Episcopus, ad fidem pertinet, eo sensu quod fuerit implicite ab Ecclesia definitum, nec possit negari absque multiplici nota.

Sic nempe decrevit Florentinum concilium: *Definimus... Pontificem Romanum successorem esse B. Petri.* Successio hæc, ex obvio ac primario sensu, intelligenda est quoad Romanam cathedram. Definitur nempe Romanum Episcopum, quatenus talem, esse Beati Petri successorem. Porro successio hæc stare nequit, nisi S. Petrus fuerit et ipse Romanus Episcopus; ut patet. Ergo implicite definitum fuit sanctum Petrum Romanæ urbis Episcopum extitisse. Quidquid autem ab Ecclesia sic implicite ac æquivalenter definitum fuit, ad fidem hoc ipso pertinet, neque negari potest absque nota multiplici.

Objicies. — Non potest ab Ecclesia definiri et ad fidem pertinere nisi quod a Christo revelatum est; porro quod sanctus Petrus fuerit Romanorum Episcopus, est factum humanum, quod nullibi legitur a Christo revelatum; ergo factum istud non potuit a Florentino concilio implicite definiri.

Respondeo. — Potuit sanctus Petrus, inspirante ac jubente Christo, Romam pergere illiusque civitatis episcopatum suscipere, ac illi cathedræ primatum adnectere. Et quod ita revera contigerit tradunt nonnulli scriptores antiquissimi. Item potuit sanctus Petrus, fideles edocere a se susceptum, ex voluntate Christi, Romanum episcopatum, et ei adnexum in perpetuum supremum totius Ecclesiæ regimen. Nec dubium quin ita declaraverit, utpote quod summi momenti erat, et ad ipsiusmet Ecclesiæ divinam constitutionem pertinebat. Porro ad fidem pertinet, non tantum quod Christus ipsemet immediate revelavit, sed etiam quod per Apostolos suos edocuit. Igitur factum istud, *quod Petrus Urbis Romæ fuerit Episcopus*, utpote quod docuit S. Petrus tanquam ex voluntate Christi peractum, potuit, accedente Ecclesiæ definitione, ad fidem pertinere. Ergo factum istud implicite a concilio Florentino definiri potuit.

§ 2. — Quod sanctus Petrus Primatum suum Romanæ cathedræ alligaverit, suis in ea sede successoribus transmittendum, ad fidem pertinet, eo sensu quod fuerit implicite ab Ecclesia definitum, nec possit negari absque nota multiplici.

Etenim supra citatum concilii Florentini decretum sic habet : *Definimus... Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum; et ipsum Pontificem Romanum successorem esse B. Petri...; et ipsi in B. Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse.* Igitur quod Romanus Pontifex Primatum receperit in *beato Petro* et sit beati Petri successor de fide est, et expresse fuit definitum. Porro hoc ipso æquivalenter et implicite definitum remanet factum Petri, quo primatum suum Romanæ cathedræ in perpetuum alligavit. Ergo factum istud ad fidem pertinet, nec potest negari quin multiplex nota incurratur.

Objicies 1°. — Tridentini Patres citatam concilii Florentini definitionem reproducere ac confirmare noluerunt, repugnantibus Gallis, prout refert Pallavicinus (l. XIX, XX, et XXI); ergo præfata definitio auctoritatem non habet.

Respondeo. — Nego consequens. Nam Tridentini Patres non ideo definitionem illam reproducere renuerunt, quod de ipsius veritate ac auctoritate dubitaverint, sed quia ex illa definitione concludebant theologi multi, Papam esse supra concilium ; quod consectarium respuebant tunc ex Gallis nonnulli. Ut ergo vitaretur controversia hæc, opportunum duxerunt Tridentini Patres a retexendo Florentino decreto abstinere. Quæ prudentialis agendi ratio intactam prorsus relinquit dictæ definitionis auctoritatem, quæ plenissima est, utpote a concilio œcumenico prolata.

Objicies 2°. — Quod sanctus Petrus primatum suum Sedi Romanæ alligaverit, est factum humanum, quod nullibi legitur a Christo revelatum ; ergo ad fidem non pertinet.

Respondeo. — Factum istud non fuit solummodo humanum seu solius Petri, sed simul divinum seu Christi. Nam

definitum fuit a concilio Florentino, plenam gubernandæ universalis Ecclesiæ potestatem Romano Pontifici *a Christo* traditam fuisse in *beato Petro*. Quod quidem Christi Domini factum duplici modo contingere potuit : primo scilicet, si Christus expresse decrevit primatum Petri ad Romanos Episcopos transiturum ; secundo si decrevit transiturum dictum primatum ad eam Sedem episcopalem quam Petrus semel pro semper ad id libere elegisset, et Petrus sedem Romanam elegerit. Nam posita libera illa Petri electione, jam vi voluntatis Christi transit primatus ad Romanos Pontifices. In utraque autem hypothesi revelari potuit per Petrum et alios Apostolos primatum sic fuisse Romanæ Sedi adnexum ; et dispositio hæc quatenus sic revelata potuit ab Ecclesia definiri. Et revera per Florentinum concilium definita est ; et simul implicite ac æquivalenter definitum est factum Petri, Romanam sedem erigentis in magistram ac dominam, cui Ecclesiæ omnes subesse teneantur.

CAPUT VIII

S. PETRUS, EX INSTITUTIONE CHRISTI SEU EX JURE DIVINO, HABERE DEBUIT ET HABUIT SUPREMÆ SUÆ AUCTORITATIS SUCCESSOREM (EST DE FIDE).

I. Argumentum e Scriptura sacra. — Ecclesia Christi constituta est usque ad consummationem sæculi duratura : *Et portæ inferi non prævalebunt adversus eam* (Matth. xvi). *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi* (Matth. cap. ultimo). Et ita quidem duratura est cum *forma* seu *constitutione* quam ipsi indidit Christus. Quam constitutionem, a Christo acceptam, nequit amittere, quin statim hoc ipso Ecclesia Christi esse desinat. Aliunde vero certum est ad Ecclesiæ constitutionem pertinere sancti Petri Primatum seu supremam ejus auctoritatem. Id evincunt textus atque auctoritates queis supra ejusmodi primatum a Christo ipso

institutum probavimus. Igitur dictus primatus usque ad consummationem sæculi exerceri debet, nec unquam desinere potest. At sanctus Petrus, qui primus primatum istum accepit et exercuit, interiturus erat ; ergo ejusmodi primatus institutus est per successores Petri continuandus et exercendus.

Insuper constitutus est sanctus Petrus Ecclesiæ fundamentum, omnium Christi agnorum et ovium pastor supremus, fratrum confirmator, necnon summus claviger, cui competat officium et potestas ligandi solvendique ac cœlorum regnum aperiendi. Ejusmodi autem prærogativæ collatæ ipsi fuerunt, non cum ipso interituræ, sed ad ejus successores transmittendæ ; quod ex earumdem prærogativarum natura facile colligitur. Nam fundamentum Ecclesiæ ad finem usque sæculorum permansuræ, est necessario fundamentum semper duraturum et permansurum, ita ut permanenter usque ad consummationem sæculi Ecclesiam sustentet ; præsertim cum de petra ista fundamentali dictum a Christo sit, nunquam adversus eam prævalituras inferorum portas. Item supremus omnium Christi fidelium pastor, permanere debet quamdiu remanebunt pascendi fideles, id est usque ad consummationem sæculi. Item supremus omnium fratrum confirmator, talis esse nequit, nisi permaneat quamdiu remanebunt confirmandi fratres. Et tandem perstare debet summus claviger, clavium potestatem exercens, quamdiu remanebunt homines quibus cœlum aperiendum erit, id est, quamdiu ipsa perstabit Christi Ecclesia. Petrus autem utpote morti obnoxius, hæc omnia præstare non potuit. Ergo potestas hisce prærogativis expressa collata ipsi fuit, non cum ipso interitura, sed ad successores ejus transfundenda.

Præterea constituta fuit Ecclesia cum ea forma quam exprimunt regni, domus, ovilis et corporis metaphoræ ; si quidem eam sub ejusmodi typis in sacra Scriptura delineatam reperimus. Proinde necesse est ut Ecclesia typorum istorum veritatem semper retineat ac referat ; seu ut semper habeat regem, patrem familias, pastorem et caput a quo gubernetur.

Id autem stare nequit nisi morientis sancti Petri potestas a Christo decreta sit ad ejus successores transfundenda.

II. Argumentum e Patrum traditione (*remissive*).—Quod nempe semper in Ecclesia traditum sit ac creditum, Romanum Pontificem esse auctoritatis ac sedis sancti Petri successorem, et quidem jure divino seu ex ipsa Christi institutione, constat innumeris Patrum testimoniis. Quod argumentum evolutum recurret infra (sectione III, cap. XII).

III. Argumentum ex conciliis. — Expresse definivit concilium Florentinum, *Pontificem Romanum successorem esse Beati Petri principis Apostolorum, et ipsi in Beato Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam, a Domino nostro Jesu Christo, plenam potestatem traditam esse.* Ac aliæ similes extant conciliorum definitiones, infra referendæ.

IV. Argumentum ex variis definitionibus. — In concilio Constantiensi, in iis actis quæ fuerunt a Martino V confirmata, damnatæ sunt sequentes Wiclefi propositiones : 8ª *Si Papa sit præscitus et malus, et per consequens membrum diaboli, non habet potestatem super fideles sibi ab aliquo datam, nisi forte a Cæsare.* — 9ª *Post Urbanum VI, non est aliquis recipiendus in Papam, sed vivendum est more Græcorum sub legibus propriis.* Item in eodem concilio damnatæ sunt sequentes propositiones Joannis Hus : 9ª *Papalis dignitas a Cæsare inolevit, et Papæ perfectio et institutio a Cæsaris potestate emanavit.* 27ª *Non est scintilla apparentiæ quod oporteat esse unum caput in spiritualibus regens Ecclesiam, quod semper cum Ecclesia ipsa militante conversetur et conservetur.* 29ª *Apostoli et fideles sacerdotes Domini strenue in necessariis ad salutem regularunt Ecclesiam antequam Papæ officium foret introductum; sic facerent, deficiente, per summe possibile, Papa, usque ad diem judicii.*

Pius VI in Brevi *Super soliditate*, ita docet : « Petrumque singulari Christi munere præ cæteris electum, qui... summam curam et auctoritatem *in successores omni ævo prorogandam* susciperet, dogma catholicum est. »

SECTIO III

ROMANUS PONTIFEX PRIMATUM JURISDICTIONIS, SEU SUPREMAM REGIMINIS POTESTATEM OBTINET IN UNIVERSAM ECCLESIAM (EST DE FIDE).

De primatu jurisdictionāli Romani Pontificis duplex occurrit summi momenti expendenda quæstio, videlicet : *an sit*, et *qualis sit*. In præsenti sectione priorem dumtaxat ventilamus. Probamus nempe Romano Pontifici jure divino competere, non tantum honoris, sed et veræ ac proprie dictæ jurisdictionis primatum. Qui jurisdictionis primatus *qualis sit*, seu an contineat certas quasdam prærogativas de quibus quæstio moveri solet, sequenti sectione disquiremus. Quo prænotato, sit :

CAPUT I

ARGUMENTUM E CONCILIIS

I. *Concilium œcumenicum Nicænum, anno* 325. — Expendemus, 1° quænam sint variæ lectiones Nicæni canonis sexti; 2° ostendemus a Nicæna synodo assertum fuisse Romani Episcopi primatum in universam Ecclesiam; 3° objectiones confutabimus.

1° *Quænam sint Nicæni Canonis sexti variæ lectiones.* — *Primo, textus recitatus in concilio Calchedonensi.* — Attendenda potissimum actio decima sexta concilii Calchedonensis (anno 451), in qua hujusce canonis sexti Nicæni textus pro-

ductus est a legatis Sedis Romanæ; et attendendum simul qua de causa dicti legati canonem istum allegaverint. Nimirum pridie, postquam Romani Pontificis Legati a synodali consessu discesserant, Orientales Episcopi decretum ediderant, quo sedi Constantinopolitanæ locum *secundum* (id est, primum post Romanum Antistitem) contra Nicænorum Patrum canones vindicabant. Huic decreto suam oppositionem interposuerunt Romanæ Sedis Legati; tum quod editum fuisset ipsis non præsentibus, tum quod Romanæ Sedis jura læderet, tum quia contradicebat Nicæno canoni, quo, post assertum Romanæ sedis *in omnibus primatum*, secundus dignitatis locus Alexandrinæ Ecclesiæ adscribebatur, tertius Antiochenæ, quartus Hierosolymitanæ; ita ut de Constantinopolitana sede ne mentio quidem fieret. Hæc ergo fuit recitandi canonis sexti Nicæni occasio. De quo sic habetur in actis : « Gloriosissimi judices dixerunt : utraque pars canones proponat. Paschasinus reverendissimus Episcopus, vicarius sedis Apostolicæ, recitavit : *Trecentorum decem et octo sanctorum patrum canon sextus : quod Ecclesia Romana semper habuit primatum. Teneat autem et Ægyptus, ut episcopus Alexandriæ omnium habeat potestatem, quoniam et Romano Episcopo hæc est consuetudo. Similiter autem et qui in Antiochia constitutus est. Et in cæteris provinciis primatum habeant ecclesiæ civitatum ampliorum... Quoniam vero mos antiquus obtinuit et vetusta traditio, ut etiam Æliæ, id est, Jerosolymorum Episcopo deferatur, habeat consequenter honorem suum; sed Metropolitano sua dignitas salva sit* » (Conciliorum Labbe tomo IV, col. 812, edit. Parisiis, 1671). Textus autem græcus sic habet : Ἡ ἐκκλησία Ῥώμης πάντοτε ἔσχε τὰ πρωτεῖα. ἔχει τοιγαροῦν καὶ ἡ Αἴγυπτιος, ὥστε τὸν ἐπίσκοπον Αλεξανδρείας πάντων ἔχειν ἐξουσίαν, ἐπειδὴ καὶ τῷ Ῥώμης ἐπισκόπῳ τοῦτο συνήθες ἐστιν... Hæc porro verba sic accurate interpretari posse videntur : *Ecclesia Romæ omnimode obtinuit primatum. Habet igitur et Ægyptus, ut Episcopus Alexandriæ omnium habeat curam, quandoquidem et Romæ Episcopo id consuetum est, etc.* Et hic quidem est

textus quem, e scriniis Ecclesiæ Romanæ, recitavit Paschasinus, Romani Pontificis Legatus. Postea vero Archidiaconus Ecclesiæ Constantinopolitanæ codicem exhibuit, ex quo sic dictus canon recitatus est: *Antiquæ consuetudines teneant in Ægypto, ut Alexandrinus Episcopus omnium habeat potestatem, quoniam et Romano Episcopo hæc consuetudo est. Similiter*, etc. Ibi nempe deest istud tanti momenti initium: *Ecclesia Romæ omnimode obtinuit primatum*: Ἡ ἐκκλησία Ῥώμης πάντοτε ἔσχε τὰ πρωτεῖα. Non dicunt acta quæ supersunt, quid de hoc disputatum fuerit. At plane supponunt pro genuino agnitum fuisse textum in quo *ante omnia primatus et honor præcipuus* Romano Episcopo adscribitur. Sic enim habetur: « Gloriosissimi judices dixerunt: Ex his quæ gesta sunt et ab unoquoque deposita, perpendimus, *ante omnia quidem primatum et honorem præcipuum, secundum canones*, antiquæ Romæ Dei amantissimo Archiepiscopo conservari. Ἐκ τῶν πεπραγμένων, καὶ ἐκ τῆς ἑκάστου καταθέσεως, συνορῶμεν, πρὸ πάντων μὲν τὰ πρωτεῖα καὶ τὴν ἐξαίρετον τιμὴν, κάτα τοὺς κανόνας, τῷ τῆς πρεσβύτιδος Ῥώμης θεοφιλεστάτῳ ἀρχιεπίσκοπῳ φυλάττεσθαι. » (Conciliorum Labbe tomo IV, col. 818, edit. Parisiis, 1671.)

Secundo. — Textus ex ordinariis Nicæni concilii editionibus. — « Antiqui mores serventur, qui sunt in Ægypto, Libya et Pentapoli, ut Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem, quandoquidem et Episcopo Romano hoc est consuetum. Similiter et in Antiochia... » (Conciliorum Labbe tomo II, col. 31, edit. Parisiis 1671.)

Tertio. — Textus ex interpretatione Dionysii Exigui. — « Antiqua... quia et urbis Romæ Episcopo parilis mos est... » (ibid., col. 40).

Quarto. — Textus ex Rufino. — « Et ut apud Alexandriam, et in urbe Roma, vetusta consuetudo servetur, ut vel ille Ægypti, vel hic suburbicariarum Ecclesiarum sollicitudinem gerat » (*Historia eccles.*, libri primi capite VI, in *Patrologia* Migne, tomo XXI, col. 473). Pro voce *suburbicariarum*, plures codices habent *suburbicarum*.

Quinto. — Textus ex canonibus Nicænis Arabico idiomate conservatis. — Sic habet caput VIII, juxta versionem Francisci Turriani : « Constitutum est, ut Episcopus Ægypti, id est, Patriarcha Alexandrinus, præsideat et habeat potestatem totius Ægypti, et omnium locorum, civitatum et oppidorum quæ sunt circum eam, quia sic convenit; et quia similiter Episcopus Romæ, id est, successor Petri Apostoli, potestatem habet omnium civitatum ac locorum quæ sunt circa eam. Ac similiter Episcopus Antiochiæ, id est, Patriarcha, potestatem habeat provinciæ illius totius... » (Conciliorum Labbe t. II, col. 294, edit. Parisiis, 1671).

Infra, capite XXXIX, sic habent canones Arabici, juxta citatam versionem Turriani : *Qui tenet sedem Romæ, caput et princeps est omnium patriarcharum. Quandoquidem ipse est primus sicut Petrus, cui data est potestas in omnes Principes christianos et omnes populos eorum : ut qui sit vicarius Christi Domini nostri super cunctos populos et universam Ecclesiam christianam. Et quicumque illi contradixerit a synodo excommunicetur* (citato tomo conciliorum Labbe, col. 303). In versione Abrahami Ecchellensis, sic habet quadragesimus quartus e canonibus Arabicis Nicæni concilii : « Et quemadmodum Patriarcha potestatem habet super subditos suos, ita quoque potestatem habet Romanus Pontifex super universos patriarchas, quemadmodum habebat Petrus super universos christianitatis principes et concilia ipsorum : quoniam Christi vicarius est super redemptionem, Ecclesias et curatos populos ejus. Quicumque autem sanctioni huic contradixerit, Patres synodi anathemate illum percellunt » (Conciliorum Labbe tomo II, col. 329, edit. Parisiis, 1671). Habet jam lector præ oculis quæ adduci solent de variis sexti canonis Nicæni lectionibus.

2° *Agnovit Nicæna synodus Romanæ sedis primatum in universam Ecclesiam.* — Quod enim a Nicænis Patribus editus fuerit canon ejusmodi primatum exprimens, qualis nempe a Legatis Romanis in concilio Calchedonensi recitatus est, sic probari potest :

Primo. Non sane produxissent dicti Legati textum, cui fallaciter addita fuissent hæc tanti momenti verba : *Ecclesia Romæ semper habuit primatum*, πάντοτε ἔσχε τὰ πρωτεῖα. Vel enim id scienter fecissent, vel bona fide. Porro neutrum admitti potest. Non scienter. Nihil enim præter confusionem ex tanta impudentia expectandum ipsis erat. Dictum ipsis fuisset : Confictum a vobis est istud sexti canonis initium. Nullibi canon sic extat. Impostura est Romani Episcopi, qui vobis sic interpolatum textum tradidit. Hæc et similia quæ facile sibi objicienda prævidissent, hypothesim excludunt scienter interpolati canonis. Si bona fide ita canonem recitarunt, ergo talis revera in archivio Ecclesiæ Romanæ tanquam genuinus asservabatur.

Secundo. Non tantum ab orientalibus objectum non fuit, genuinam non esse istam canonis partem, *Ecclesia Romæ semper habuit primatum ;* sed e contra ex allegatis constare confessi sunt, *ante omnia primatum et honorem præcipuum, juxta canones*, antiquæ Romæ Archiepiscopo competere. Ubi notanda sunt verba hæc, *juxta canones ;* id est, post exploratas canonum citationes quæ factæ fuerant ex una parte a Legatis Romani Episcopi, et ab orientalibus ex altera.

Tertio. Quod Nicæna synodus Romanæ sedis primatum agnoverit, pro certo habuit sanctus Bonifacius I. Sic quippe anno 531 scribebat ad universos Thessaliæ episcopos : *Nicænæ synodi non alia præcepta testantur ; adeo ut non aliquid ausa sit super eum* (honorem S. Petri, id est, sedis Romanæ) *constituere, cum videret nihil supra meritum suum posse conferri. Omnia denique huic noverat Domini sermone concessa* (Conciliorum Labbe tomo IV, col. 1705, edit. Parisiis, 1671). Quam sancti Bonifacii sententiam referens sanctus Nicolaus I, in suis ad Michaelem imperatorem litteris, sic adnotabat : *Si omnia, ergo defuit nihil, quod non illi concesserit... Denique si instituta Nicænæ synodi diligenter inspiciantur, invenietur profecto, quia Romanæ Ecclesiæ nullum eadem synodus contulit incrementum ; sed potius ex ejus forma, quod Alexandrinæ Ecclesiæ tribueret*

particulariter sumpsit exemplum (Conciliorum Labbe t. VIII, col. 315, edit. Parisiis, 1671).

Quarto. Ex Arabica canonum Nicænorum collectione merito colligitur agnitum a Nicænis patribus fuisse Romani Episcopi jurisdictionalem in universam Ecclesiam primatum. Esto enim, collectionem istam ex aliis etiam conciliis canones continere; imo et apud varias sectas in nonnullis interpolatam fuisse, prout eruditis visum. « Sed quidquid sit, ait « Muzzarelli, negari non poterit collectionem istam Arabicam « esse antiquissimam, et illam extitisse apud orientales, non « solum Arabica, sed etiam aliis linguis, quod evidenter « probatur ab Ecchellensi ex diversis editionibus a se inspec- « tis. Et idem Ecchellensis notavit, quod quamvis singulæ « nationes et sectæ in suis diversis versionibus aliquid addide- « runt, ut ex auctoritate Nicæni concilii sua dogmata cons- « tabilirent, tamen omnes versiones hunc canonem, in quo « agitur de primatu Romani Pontificis, fideliter conservarunt. « Hoc autem demonstrat, hunc canonem non potuisse esse « confictum. Etenim Melchitæ, Jacobitæ, Nestoriani, Cophtitæ, « qui inimicitias cum Romana Ecclesia semper exercuerunt, « imposturam statim sensissent, et aut illum in suas editiones « non admisissent, aut postea erasissent. Econtra probat. « singulas sectas ita sibi persuasisse, hunc canonem aut ad « Nicænum aut ad aliud antiquissimum concilium pertinere, « ut illum expungere ausæ nunquam fuerint. Deinde quis « dixerit ab Orientalibus confictum fuisse canonem, in quo « primatus Romanæ Ecclesiæ tam magnifice prædicatur, cum « Orientales etiam orthodoxi de Romanæ Ecclesiæ privilegiis « non multum solliciti fuerint? Quis impostor hunc canonem « in dissitas illas regiones attulit, et statim fidem obtinere « potuit, ita ut cum Nicænis confundi obtineret? Quod si « confictum fuisse rationabiliter supponi non potest, ergo « ad aliquod orientale concilium pertinet; ergo ad aliquod « œcumenicum. Non aliud enim concilium quam œcumenicum « decreta facere poterat generaliter de Patriarcharum auctori-

« tate. Denique si canon ille conciliis adjudicari omnino « nequit, fatendum tamen est, eum tanquam documentum « seu testimonium historicum existere de sententia, quæ « antiquitus vigebat apud orientales remotissimas nationes, « de præeminentia Romani Pontificis super universos Pa- « triarchas, primates et concilia eorum, et super universam « Ecclesiam » (Muzzarelli, *de Auctoritate Rom. Pontificis in conciliis*, tomo I, pag. 109, edit. *Gandavi*, absque anni indicatione).

3° *Solvuntur objectiones.* — *Primo.* — Citatus Rufini textus Romano Episcopo jurisdictionem tribuit solummodo in *suburbicarias Ecclesias*, et hoc ipso excludit jurisdictionalem Primatum in universalem Ecclesiam. — Respondet Binius : « Quod Rufini expositio hæc mala sit, erronea, et ex ignorantia profecta, patet : quia hoc concilium (neque ut hic, neque ut in concilio Catharginensi sexto, vel etiam in Calchedonensi, aut ut a Dionysio citatum reperitur) suburbicariarum Ecclesiarum usquam meminit. Accedit quod ipsa ratio inepta foret si ita restringenda esset. Ante victoriam igitur novantes nostri sæculi triumphant, quasi hoc loco definita fuerit Romanæ Ecclesiæ jurisdictio, ut tantum præsit suburbanis Ecclesiis » (apud Labbe, t. II, col. 73).

Secundo. — Attenta versione Dyonisii Exigui et Isodori Mercatoris, canon sextus æqualitatem inter Romanum Pontificem et alios Patriarchas argueret. Id siquidem innuunt verba hæc, *quoniam quidem et Episcopo Romano parilis mos est.* — Respondet Binius : « Hæc verba corrupta sunt, ac proinde corrigenda sic : *Quoniam talis Episcopo Romano consuetudo est.* Ita legendum esse, canon sextus, quem ex Romanæ Ecclesiæ scriniis Paschasinus, Beati Leonis I Legatus, ad concilium Calchedonense attulit, aperte indicat » (apud Labbe, t. II, col. 73).

Nota. — Jam in tractatu *de Episcopo* (parte IV, sect. I, c. I, § 2, prop. 2, t. I, p. 404) fuse dictum Nicænum canonem

expendimus, et probavimus ex eo legitime deduci Romani Pontificis jurisdictionalem primatum.

II. *Ex actis œcumenicæ synodi Ephesinæ, anni* 431. — Hujus synodi Patres, actione 3ª, audiverunt et approbarunt verba hæc, a Philippo, Sedis Apostolicæ legato, prolata : « Nulli dubium, immo sæculis omnibus notum est, quod sanctus beatissimusque Petrus, princeps et caput Apostolorum, fidei columna et Ecclesiæ catholicæ fundamentum, a Domino nostro Jesu Christo salvatore generis humani ac redemptore claves regni accepit; solvendique ac ligandi peccata potestas ipsi data est; qui ad hoc usque tempus et semper *in suis successoribus vivit et judicium exercet. Hujus* itaque secundum ordinem *successor et locum tenens* sanctus beatissimusque Papa noster Cœlestinus Episcopus, nos, ipsius præsentiam supplentes, ad hanc sanctam synodum misit » (apud Labbe, tomo III Conciliorum, col. 626, edit. Parisiis, 1671). Ibi habes, Romanum Episcopum esse *successorem* sancti Petri, et S. Petrum in suis successoribus *vivere* et *judicium exercere*. Quod stare nequit nisi Romanis Pontificibus competat primatus jurisdictionis in universam Ecclesiam.

In eadem synodo, actione 2ª, ab eodem Philippo, Sedis Apostolicæ legato, pronuntiata sunt et a synodo approbata verba hæc : « Gratias agimus sanctæ venerandæque synodo, quod litteris sancti beatique Papæ nostri vobis recitatis, sancta *membra*, sanctis vestris vocibus, *sancto capiti*, sanctis etiam vestris exclamationibus, vos adjunxeritis. Non enim ignorat vestra beatitudo totius fidei vel etiam Apostolorum *caput* esse beatum apostolum Petrum » (apud Labbe, Conciliorum tomo III, col. 619, edit. Parisiis, 1671). Si Romanus Pontifex sit *caput* et reliqui omnes Episcopi *membra*, competit procul dubio Romano Pontifici suprema regiminis potestas, seu primatus jurisdictionis in universam Ecclesiam. Prærogativa enim capitis est ut totum corpus regat. Quod adeo verum est ut qui reliquos regunt ac gubernant, hoc *capitis* nomine in omnibus linguis designari soleant.

Jam antea dixerat alter Sedis Apostolicæ legatus : *Ex quibus* (litteris Cœlestini Papæ) *vestra beatitudo agnoscere poterit, qualem omnium Ecclesiarun curam gerat* (apud Labbe, loco citato, col. 611). Quæ voces, *curam omnium Ecclesiarum*, aperte supponunt Romano Pontifici competere primatus jurisdictionem in universam Ecclesiam.

III. *Ex actis œcumenicæ synodi Calchedonensis, anni* 451. — In relatione synodali ad sanctum Leonem Papam transmissa, dicunt Patres de doctrina Christi per Sedem Apostolicam servata ac transmissa : *Quam... præcepto legislatoris venientem usque ad nos ipse servasti, vocis beati Petri omnibus constitutus interpres.* Et paulo post subjungunt : *Quibus* (Episcopis in concilio congregatis) *tu quidem, sicut membris caput, præeras, in his qui tuas vices gerebant* : Ὡς κεφαλὴ μελῶν, ἡγεμόνευες ἐν τοῖς τὴν σὴν τάξιν ἐπέχουσι (apud Labbe, Conciliorum tomo IV, col. 833, edit. Parisiis, 1671). Jam vero qui agnoscunt Romanum Pontificem tanquam *constitutum omnibus vocis Petri interpretem* quoad prædicandam veram doctrinam, et tanquam *caput* cæteris Episcopis *præsidens*, cui ipsi tanquam *membra* subjaceant, hoc ipso ei tribuunt primatum jurisdictionis in universam Ecclesiam. Nam qui est *omnibus constitutus* vocis sancti Petri interpres, jus habet ut ipsi vocem seu doctrinam Petri interpretanti ac definienti omnes obsequantur. Nec vere dici posset *caput* cæteris Episcopis tanquam *membris* præsidens, si haberet merum honoris primatum. Ad caput enim pertinet, non tantum ut cæteris membris superemineat, sed etiam ac potissimum ut ipsa *regat.*

In eadem relatione postularunt Patres confirmari a Leone quod decreverant : *Rogamus igitur, et tuis decretis nostrum honora judicium; et sicut nos capiti in bonis adjecimus consonantiam, sic et summitas tua filiis quod decet adimpleat.* Et paulo post addunt : *Ad eorum quæ a nobis gesta sunt confirmationem* (βεβαιωσιν) et consensionem (συγκαταθεσιν). Existimabant proinde nutatura sua decreta nisi a Romano Pontifice confirma-

rentur. Sicque apertissime primatum jurisdictionis ei vindicabant. Cæterum dispositio cujus ibi confirmationem postulant, qua videlicet Constantinopolitanæ sedi secundus locus, seu primus post Romanam, tribuebatur, a Leone Papa rejecta fuit et irrita remansit. Ex quo iterum liquet persuasio de primatu jurisdictionis Romani Pontificis.

Eamdem persuasionem palam facit exordium synodi. Sic enim habetur in gestis, sub initium actionis primæ : « Paschasinus reverendissimus Episcopus et vicarius Sedis Apostolicæ, cum in medio una cum his viris (id est aliis legatis Papæ) reverendissimis collegis suis stetisset, dixit : Beatissimi atque apostolici Episcopi urbis Romæ *qui est caput omnium Ecclesiarum* (ἐπισκόπου της Ῥωμαιων πόλεως, κεφαλῆς ὑπαρχοντος πασῶν τῶν ἐκκλησιῶν) *præcepta* habemus præ manibus, quibus præcipere dignatus est ejus apostolatus, ut Dioscorus non sedeat in concilio. Sin autem hoc facere aggrediatur, ejiciatur. Hoc nos observare necesse est » (Vide apud Labbe, Conciliorum tomo IV, col. 94, edit. Parisiis, 1671). Quid quæso aliud denotant verba hæc, κεφαλῆς ὑπαρχοντος πασῶν τῶν ἐκκλησιῶν, quam primatum jurisdictionis? Præterea nisi persuasum omnibus fuisset Romano Episcopo competere supremam regiminis auctoritatem, an ausus esset ejus legatus statim ab ipso synodi exordio ejusdem Romani Episcopi *præcepta* sic intimare, ac urgere?

Ad rem pariter facit quod ibidem immediate sequitur. Cum nempe a Legatis pontificiis postulatum fuisset, quodnam ob crimen patriarcham Dioscorum a concilio expulsum vellent, respondit unus ex ipsis : *Synodum ausus est facere sine auctoritate sedis Apostolicæ, quod nunquam factum est, nec fieri licet.* Συνόδον ἐτόλμησε ποιῆσαι επιτροπῆς δίχα τοῦ αποστολικοῦ θρόνου, ὅπερ ουδέποτε γέγονεν ουδε ἐξον γενέσθαι. Huic autem assertioni, quod scilicet *non liceat, etiam ulli Patriarchæ, synodum convocare absque licentia Romani Episcopi*, nullus patrum contradixit; quo satis denotatur communis omnium hac de re persuasio. Jam vero si hæc sit Romani Episcopi prærogativa,

ut alii antistites absque ipsius licentia concilium celebrare nequeant, sequitur agnoscendam ejusdem Romani Episcopi in omnes ecclesias jurisdictionem. Nec dicatur sponte concessam ipsi a cæteris Episcopis ejusmodi prærogativam, ita ut censenda sit dumtaxat de jure ecclesiastico, ac etiam revocabilis. Nam asserit Legatus id *nunquam* licuisse. Licuisset autem ante prætensam concessionem ; imo et post, præmissa concessionis revocatione.

Attendenda etiam verba hæc sententiæ contra Dioscorum in concilio Calchedonensi a Legatis Romani Pontificis pronuntiatæ : « Unde sanctus ac beatissimus Papa *caput universalis Ecclesiæ* Leo, per nos vicarios suos, sancta synodo consentiente, *Petri Apostoli præditus dignitate*, qui Ecclesiæ fundamen et petra fidei, cœlestis regni janitor nuncupatur, episcopali eum (Dioscorum) dignitate nudavit » (Conciliorum Labbe tomo III, col. 1419, edit. Parisiis, 1671). Huic formulæ assentiendo synodus Calchedonensis professa est Romanum Episcopum esse *caput universalis Ecclesiæ*, et *Petri Apostoli dignitate præditum;* quod perinde est ac jurisdictionalem ejus primatum agnoscere.

Tandem primatum Romani Pontificis probat quod contigit circa decretum quo Patres Calchedonenses Constantinopolitanæ sedi secundum dignitatis locum assignaverant, rejecta ad tertium locum Alexandrina. Nam hocce decretum, ex eo solo quod Papa ei assensum dare noluit, in irritum abiit, nec vim concilii œcumenici habuit. Sane nisi Papa superiorem concilio auctoritatem habuisset, decretum istud, non obstante Papæ dissensu, validum esse debuisset. De quo fusius infra.

IV. *Ex actis œcumenicæ sextæ synodi, quæ fuit Constantinopolitana tertia, anni* 680. — In hac synodo primum locum tenuerunt Agathonis Papæ legati. Lectis autem ejusdem Agathonis litteris, dixerunt Patres : « Summus autem nobiscum certabat Apostolorum princeps : illius enim imitatorem et *sedis successorem* habuimus fautorem, et divini sacra-

menti mysterii illustrantem per litteras... *Per Agathonem Petrus loquebatur* » (Actione 18, in sermone prophonetico). Et in literis ad Agathonem sic loquitur synodus : « Tibi, ut *primæ Sedi universalis Ecclesiæ* quid agendum sit relinquimus stanti supra firmam petram; libenter acquiescentes veræ confessionis litteris a vestra paterna beatitudine ad imperatorem missis, quas ut a summo Apostolorum vertice divine perscriptas agnoscimus. » Sane qui sic loquebantur haud dubium habebant primatum jurisdictionis Romani Episcopi.

V. *Ex actis œcumenicæ septimæ synodi, quæ fuit Nicæna secunda, anni* 787. — Synodus illa, actione secunda, recepit et probavit Adriani Papæ ad Tharasium epistolam, in qua sic habetur : « Omne zizanium eradicetur ab Ecclesia, et Domini nostri Jesu Christi sermo compleatur quia *portæ inferi non prævalebunt adversus eam*. Et rursus : *Tu es Petrus... et in cœlis*. Cujus sedes in omnem terrarum orbem primatum tenens refulget, et caput omnium Ecclesiarum Dei consistit. Unde idem beatus Petrus Apostolus Domini præcepto pascens Ecclesiam, nihil dissolutum dimisit, sed tenuit semper *et retinet principatum*. Cui si adhærere cupit vestra sanctitas, et nostræ Apostolicæ Sedis, quæ est caput omnium Ecclesiarum Dei, » etc. (Labbe, Conciliorum tomo VII, col. 126, edit. Parisiis, 1671). Ibi habes, sancti Petri *principatum* exerceri permanenter per Romanam Sedem ; ac proinde huic Sedi competere primatum jurisdictionis in universalem Ecclesiam.

VI. *Ex actis œcumenicæ octavæ synodi, quæ fuit Constantinopolitana quarta, anni* 869. — Approbavit synodus epistolam ad Nicolaum I directam, continentem verba hæc : « Petro supremo sanctissimoque Apostolorum vertici dixit : *Tu es Petrus*, etc., hujusmodi enim beatas voces non soli Apostolorum principi privata quadam sorte scripsit et assignavit, *sed per ipsum ad omnes post illum Pontifices veteris Romæ transmisit*. Πρὸς πάντας τοὺς κατ' ἐκεῖνον ἱεράρχας πρεσβυτέρας Ῥώμης παρέπεμψε » (Actione 3). Persuasum igitur huic synodo,

potestatem Petro traditam, simul Romanis Episcopis Petri successoribus a Christo fuisse collatam.

Eadem synodus, ex præcepto Adriani II, approbavit et omnibus subscribendum proposuit libellum, cui jam, sub Hormisda et Adriano I, subscribere debuerant orientales Episcopi, in quo sic habebatur : « Sequentes in omnibus Apostolicam sedem, et observantes omnia ejus constituta, speramus ut in una communione quam Sedes Apostolica prædicat, esse mereamur, in qua est integra et vera christianæ religionis soliditas; promittentes etiam sequestratos a communione Ecclesiæ catholicæ, id est, non consentientes Sedi Apostolicæ, eorum nomina inter sacra non recitanda esse mysteria. » Sane qui sic profitebantur, Romani Episcopi jurisdictionalem primatum agnoscebant.

VII. *Ex actis synodi œcumenicæ duodecimæ, quæ fuit Lateranensis quarta, anni* 1215. — « Romana Ecclesia, disponente Domino, super omnes alias ordinariæ potestatis obtinet principatum, utpote universorum Christi fidelium mater et magistra » (Labbe, Conciliorum tomo XI, col. 153, edit. Parisiis, 1671). Clarius exprimi nequit primatus jurisdictionis quam his verbis : *Ordinariæ potestatis obtinet principatum super omnes alias Ecclesias.*

VIII. *Ex actis œcumenicæ synodi decimæ quartæ, quæ fuit Lugdunensis secunda, anni* 1274. — Sic habet Pius VI, in Brevi *Super soliditate*, loquens de hac synodo : « Edita est Græcorum fidei professio, qua se recognoscere testantur, Romanam Ecclesiam summum et plenum primatum et principatum super universam Ecclesiam catholicam obtinere, eumque ab ipso Domino, in beato Petro Apostolorum principe sive vertice, cujus Romanus Pontifex est successor, cum potestatis plenitudine, recepisse. »

Verba ipsa professionis fidei subjicimus : « Ipsa quoque sancta Romana Ecclesia summum et plenum primatum et principatum super universam Ecclesiam catholicam obtinet : quem se ab ipso Domino in beato Petro Apostolorum principe

sive vertice, cujus Romanus Pontifex est successor, *cum potestatis plenitudine* recepisse veraciter et humiliter recognoscit. Et sicut præ cæteris tenetur fidei veritatem defendere, sic et si quæ de fide subortæ fuerint quæstiones, hujus debent judicio definiri. Ad quam potest gravatus quilibet super negotiis ad ecclesiasticum forum pertinentibus appellare...; et eidem omnes Ecclesiæ sunt subjectæ, et ipsarum Prælati obedientiam et reverentiam isti præstant. Ad hanc autem sic plenitudo potestatis consistit, quod Ecclesias cæteras ad sollicitudinis partem admittit » (vide textum græcum et latinum apud Labbe, tomo XI, col. 966, edit. Parisiis, 1671). Ibi etiam apertissime definitum habes primatum jurisdictionis.

IX. *Ex decretis Constantiensis synodi* (*anno* 1415), *a Martino V confirmatis, et quæ vim œcumenicitatis habent.* — Ab hac synodo et a Martino V damnatæ sunt sequentes propositiones Wiclefi : « 37ª. Ecclesia Romana est synagoga Satanæ, nec Papa est proximus et immediatus vicarius Christi et Apostolorum. — 41ª. Non est de necessitate salutis credere Romanam Ecclesiam esse supremam inter alias Ecclesias » (Labbe, Conciliorum tomo XII, col. 265, edit. Parisiis, 1671).

Item a Constantiensi synodo et a Martino V damnatæ sunt sequentes propositiones Joannis Hus : « 7ª. Petrus non est nec fuit caput Ecclesiæ sanctæ, catholicæ. — 15ª. Papa non est verus et manifestus successor Apostolorum principis Petri, si vivit moribus contrariis Petro. — 20ª. Si Papa est malus et præsertim si est præscitus..., non est caput sanctæ militantis Ecclesiæ » (apud Labbe, loco citato, col. 267 et 268).

In eadem constitutione, quo prædictas propositiones damnavit Martinus V, præscripsit insuper suspectos interrogandos esse super variis fidei articulis ; inter quas interrogationes sic habetur : « Utrum credat quod beatus Petrus fuerit vicarius Christi, habens potestatem ligandi et solvendi super terram. — Utrum credat, quod Papa canonice electus, qui pro tempore fuerit, ejus nomine proprio expresso, sit successor beati

Petri, habens supremam auctoritatem in Ecclesia Dei » (Labbe, Conciliorum tomo XII, col. 269 et 270, edit. Parisiis 1672). Igitur Constantiense concilium, in iis actis quæ vim œcumenicitatis habent, agnovit primatum jurisdictionis Romani Episcopi.

X. *Ex definitione concilii œcumenici Florentini, anni* 1438. — In sessione XXV pronuntiata fuit solemnis definitio, quæ hæc inter alia continet : « Definimus sanctam Apostolicam Sedem et Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum ; et ipsum Pontificem Romanum successorem esse beati Petri principis Apostolorum, et verum Christi vicarium, totiusque Ecclesiæ caput, et omnium Christianorum patrem ac doctorem existere ; et ipsi in beato Petro pascendi, regendi ac gubernandi universam Ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse » (Labbe, Conciliorum tomo XIII, col. 515, edit. Parisiis, 1672). Ibi definitum fuisse dictum jurisdictionis primatum, luce meridiana clarius liquet.

XI. *Ex œcumenica Tridentina synodo.* — « Pontifices maximi, pro *suprema auctoritate* sibi in Ecclesia universa tradita, causas aliquas criminum graviorum suo potuerunt peculiari judicio reservare » (sess. XXI, cap. VII). Vocibus istis *suprema auctoritate*, apertissime vindicatur Romano Pontifici primatus jurisdictionis.

Nota. Hucusque generalia dumtaxat concilia citavimus. Particulares autem synodi quam multa insuper exhibent ejusmodi testimonia. Nonnulla subjicimus :

1° *Sardicense concilium*, anno 347, in suis ad sanctum Julium Papam litteris : « Hoc optimum et valde congruentissimum esse videtur, si *ad caput*, *id est*, *ad Petri Apostoli sedem*, de singulis quibusque provinciis Domini referant sacerdotes. » Metaphora illa *capitis*, obvio ac ubique recepto sensu, primatum jurisdictionis exprimit.

2° *Concilium Romanum*, anno 378, in suis ad imperatores Gratianum et Valentinianum litteris : « Namque a principio,

divino repleti Spiritu, et *sanctorum apostolorum... servantes in Dominica religione præceptum*, statuistis ut... *de reliquis Ecclesiarum sacerdotibus Episcopus Romanus haberet examen*; ut et de religione *religionis Pontifex* cum consortibus judicaret, nec ulla fieri videretur injuria sacerdotio, si sacerdos nulli usquam profani judicis... arbitrio facile subjaceret » (apud Coustant, *Epistolæ Romanorum Pontificum*, col. 524, edit. Parisiis, 1721). Cum ibi Romano Episcopo tribuatur potestas judicandi de *reliquis Ecclesiarum sacerdotibus*, id est, Episcopis, idque dicatur *sanctorum Apostolorum præceptum*, hoc ipso Romanæ Sedi vindicatur jurisdictionalis in universam Ecclesiam primatus.

3° *Concilium Aquileiense*, anno 381, ex omnibus fere Occidentis partibus coadunatum, in suis ad imperatorem Gratianum litteris : « Totius orbis Romani caput Romanam Ecclesiam... ne turbari sineret, obsecranda fuit clementia vestra. *Inde enim in omnes venerandæ communionis jura dimanant* » (Conciliorum Labbe tomo II, col. 999, edit. Parisiis, 1671). Jus communionis dimanare nequit ex Ecclesia Romana in omnes alias, nisi eo sensu quod unaquæque teneatur convenire cum Romana, non autem teneatur convenire cum ulla alia, nisi pariter hæc cum Romana conveniat. Inde autem exurgit jurisdictionis primatus. Præcipienti siquidem Romanæ Sedi ut suis definitionibus ac legibus omnes obtemperent, si suam velint servare communionem, omnes ei obsequi tenentur, quia tenentur in ejus communione permanere. Notet prætercea lector ibi *Ecclesiam Romanam* nuncupari *totius orbis Romani caput*. Quænam autem tunc temporis Ecclesia intra Romani orbis ambitum non claudebatur? Ideo totius orbis Romani, quia simpliciter totius orbis.

4° *Concilium Carthaginense*, anno 416, in suis ad sanctum Innocentium litteris : « Hoc itaque gestum, domine frater, sanctæ caritati tuæ intimandum duximus, ut statutis nostræ mediocritatis etiam Apostolicæ Sedis adhibeatur auctoritas » (apud Coustant, *Epistolæ Romanorum Pontificum*, col. 869,

edit. Parisiis, 1721). Dum postulant sententiam suam, qua Pelagium et Cœlestium damnaverunt, *Sedis Apostolicæ auctoritate* confirmari, sat aperte innuunt Sedis illius primatum. Non tamen textum illum tanquam per se solum peremptorium adducimus, licet nec omittendus visus sit.

5° *Concilium Milevitanum*, anno 416, in synodali sua epistola ad Romanum Pontificem : « Arbitramur, adjuvante misericordia Domini Dei nostri, qui te et regere consulentem et orantem exaudire dignatur, *auctoritati sanctitatis tuæ, de sanctarum Scripturarum auctoritate depromptæ*, facilius eos, qui tam perversa et perniciosa sentiunt, esse cessuros » (apud Coustant, ibid., col. 875). Ideo Milevitani Patres suam contra Pelagium et Cœlestium damnationis sententiam Romano Episcopo transmittunt, et ab eo confirmari postulant, quia persuasum habent hæreticos illos *facilius cessuros* Romanæ Sedis *auctoritati*. Cur autem id persuasum habent, nisi quia Romani Episcopi auctoritas ab omnibus agnoscebatur tanquam *superior* aliorum quorumlibet præsulum, imo et conciliorum auctoritate? Et notetur hanc superiorem Romani Episcopi auctoritatem dici de jure divino, prout arguunt istæ voces, *de sanctarum Scripturarum auctoritate depromptæ*. Cur Pelagius et Cœlestius Romani Episcopi auctoritati facilius obtemperassent, quam auctoritati duorum conciliorum, si Romanus Pontifex non obtinuisset majorem auctoritatem, et hoc extra quæstionem fuisset apud omnes?

Cæterum mentem suam magis explanant Africani Patres in aliis ad sanctum Innocentium litteris, ubi sic legere est : « De conciliis duobus, provinciæ Carthaginensis atque Numidiæ, ad tuam sanctitatem a non parvo Episcoporum numero subscriptas litteras misimus » (loco citato, col. 876). « Anathemet ergo Pelagius scripta sua... Aut si ea sua esse negat... anathemet ea tamen et damnet paterna exhortatione et *auctoritate sanctimoniæ tuæ*... Si enim cognoverint (qui Pelagio adhærent) eumdem librum, quem illius vel putant esse, vel norunt, Episcoporum catholicorum auctoritate, *et maxime*

sanctitatis tuæ, quam apud eum *esse majoris ponderis minime dubitamus*, ab eodem ipso esse anathematum atque damnatum, non eos ulterius existimamus ausuros... pectora fidelia et simpliciter Christiana turbare » (ibid., col. 884). Igitur poscunt Africani Patres ut liber Pelagii, quamvis jam duorum conciliorum auctoritate damnatus, Romani insuper Episcopi auctoritate damnetur. Sciunt nempe auctoritatem Romani Pontificis apud Pelagium *majoris esse ponderis* quam duplicis Concilii Africani auctoritas, et de hoc *minime dubitant*. Hinc ipsis spes fore, ut ipse Pelagius, Romani Episcopi auctoritate coactus, scripta sua damnet, et sic sequaces ejus a defendenda illa hæresi cessent. Porro qui sic loquuntur, primatum auctoritatis penes Romanum Pontificem residere supponunt ac profitentur. Quod etiam confirmat ejusdem epistolæ conclusio : « Non enim rivulum nostrum tuo largo fonti augendo refundimus, sed... utrum etiam noster, licet exiguus, ex eodem quo etiam tuus abundans *emanet capite fluentorum*, *hoc a te probari volumus*, tuisque rescriptis de communi participatione unius gratiæ gaudere. » Igitur judicia sua contra Pelagium prolata Romano Pontifici mittunt, ut per ejusdem Pontificis rescripta compertum habeant, num ipsorum doctrina cum vera fide concordet. Porro id idem est ac agnoscere in Romano Pontifice superiorem et supremam definiendi auctoritatem.

6° *Concilium Romanum*, anni 484 : « Quotiens intra Italiam propter ecclesiasticas causas, præcipue fidei, colliguntur Domini sacerdotes, consuetudo retinetur ut successor præsulum Sedis Apostolicæ ex persona cunctorum totius Italiæ sacerdotum, juxta *sollicitudinem sibi Ecclesiarum omnium competentem*, cuncta constituat, *qui caput est omnium*, Domino ad beatum Petrum Apostolum dicente : *Tu es*... Quam vocem sequentes trecenti decem et octo sancti Patres apud Nicæam congregati *confirmationem* rerum atque *auctoritatem sanctæ Romanæ Ecclesiæ detulerunt*. Quam utramque ad ætatem nostram successiones omnes custodiunt » (Conciliorum Labbe t. IV, col. 1126, edit. Parisiis, 1671).

7° *Trium conciliorum Africanorum epistola.* Epistola hæc missa fuit ad Theodorum Papam, qui creatus est Pontifex anno 641. Postmodum lecta fuit in concilio Lateranensi anno 649, sub Martino I, actione secunda. Sic exorditur : « Domino beatissimo, apostolico culmine sublimato, sancto Patri Patrum, Theodoro Papæ, et summo omnium præsulum Pontifici... Magnum et indeficientem, omnibus christianis fluenta redundantem, apud Apostolicam Sedem consistere fontem nullus ambigere possit; de quo rivuli prodeunt affluenter, universum largissime irrigantes orbem christianorum; cui etiam in honore beatissimi Petri Patrum decreta peculiarem omnem decrevere reverentiam in requirendis Dei rebus; quæ omnino et sollicite debent, maxime vero justeque ab ipso præsulum examinari vertice apostolico, cujus vetusta sollicitudo est tam mala damnare, quam probare laudanda. *Antiquis enim regulis* sancitum est, ut quidquid quamvis in remotis vel in longinquo positis ageretur provinciis, *non prius tractandum vel accipiendum sit, nisi ad notitiam almæ Sedis vestræ fuisset deductum; ut hujus auctoritate, justa quæ fuisset pronuntiatio firmaretur*, indeque sumerent cæteræ Ecclesiæ, velut de natali suo fonte, prædicationis exordium, et per diversas totius mundi regiones puritatis incorruptæ maneant fidei sacramenta salutis » (Labbe, t. VI, col. 128, edit. Parisiis, 1671). Ibi etiam æquivalenter exprimitur primatus jurisdictionis romani pontificis.

Ipsi etiam schismaticæ Basileensis synodi Patres dogma istud tanquam certissimum ac nulli controversiæ obnoxium admiserunt. Sic enim in synodali epistola respondent ad Tarentini Episcopi animadversiones. « Nunc autem ad proposita per venerabilem Archiepiscopum Tarentinum dicendum restat. Imprimis late explicat jurisdictionem et potestatem summi Pontificis : quod caput sit et primas Ecclesiæ; vicarius Christi; et a Christo, non ab hominibus vel synodis, aliis prælatus; et pastor Christianorum, et ei datæ sunt a Domino claves; et uni dictum est, *tu es Petrus*; et solus *in*

plenitudinem potestatis vocatus sit, alii in partem sollicitudinis; et multa hujusmodi : quæ, cum vulgatissima sint, minime necessarium erat recensere. *Ista plane fatemur et credimus* » (Labbe, Conciliorum tomo XII, col. 679; edit. Parisiis, 1672).

CAPUT II

ARGUMENTUM E TESTIMONIIS ROMANORUM PONTIFICUM

Hic Romanos Pontifices adducimus dumtaxat tanquam *testes* fidei catholicæ, quoad dogma de quo disserimus. Nimirum, ex *communi Patrum testimonio*, quod erroneum esse nequit, fatentibus orthodoxis quibuslibet theologis, invicte catholica doctrina demonstratur. Porro inter Patres, præcipui procul dubio Pontifices Romani. Horum igitur testimonia seorsim hic exhibemus, cæterorum sententias sequenti capite collecturi[1].

Sanctus Julius I, creatus Pontifex anno 336, in epis-

[1] Etsi pauca supersint duorum priorum sæculorum monumenta, evincunt tamen eo tempore Romanos Pontifices jurisdictionalem primatum exercuisse. « Ipsa etiam nascentis Ecclesiæ exordia si recolimus (ait Coustant), occurret Epistola Corinthiorum ad Clementem, in quo post expositam discordiæ apud ipsos subortæ causam, Romanorum opem et consilium implorabant » (Coustant, *Epistolæ Romanorum Pontificum*, præf., pag. 16). Quoad proxime secuta tempora, sic adnotat Mansi (notæ ad Natalem Alexandrem, t. IV, p. 541, edit. Ferraræ, 1759) : « Negabant Asiatici pascha eadem die qua cæteri sibi celebrandum esse. Victor Papa redarguendos illos assumpsit, segregationemque ab Ecclesia minitatus est, nisi se cæteris adjungerent. Quisnam aliarum urbium Episcopus id sibi agendum in Episcopos alterius diœcesis et provinciæ arrogasset unquam? Marcion, Cerdo, in sua quisque patria damnati pulsique Romam sese conferentes, restitutionem suam sollicitarunt. Montanistarum secta asiaticos quosdam Episcopos inter se commiserat. Romanus Pontifex Anicetus, primo quidem ab hæreticis deceptus, illos admisit, effecitque auctoritate sua ne homines illi a sua quique Ecclesia pellerentur. Brevi tamen, detectis fraudibus, sententiam mutavit. » Facta hæc exhibent Romanos Pontifices primo et secundo sæculo Primatum exercentes.

Eumdem primatum tertio sæculo testantur, sequenti capite posita, Irenæi et Cypriani dicta. Præsenti vero capite exhibere voluimus ipsamet Romanorum Pontificum verba, queis sibi jurisdictionis primatum aperte vindicant et exercent.

tola sua ad Eusebianos : « An ignoratis hanc esse consuetudinem, ut primum nobis scribatur, et *hinc* (ενθεν) *quod justum est decernatur*. Sane si qua hujusmodi suspicio in illius urbis (Alexandriæ) Episcopum cadebat, ad hanc Ecclesiam (Romanam) scribendum fuit. Nunc autem illi, re nobis non indicata, postea quam quod libuit egere, nos quibus ea crimina explorata non sunt, sibi demum suffragatores esse volunt. Nequaquam talia sunt Pauli statuta, non hæc Patres tradiderunt... Obsecro, bono animo ferte; quæ enim scribo ad publicum bonum conferunt. Nam quæ accepimus a Beato Petro apostolo, ea vobis significo; non scripturus tamen, quod nota apud omnes ea esse existimem, nisi quæ gesta sunt nos conturbassent » (apud Coustant, *Epistolæ Romanorum Pontificum*, col. 386, edit. Parisiis, 1721).

De hoc textu sic adnotat Bellarminus : « His verbis S. Julius affirmat, ad se pertinere officium dijudicandi causas Episcoporum, etiam orientalium, tametsi Patriarchæ primarii essent (nam de causa S. Athanasii Alexandrini Patriarchæ agebatur), et hoc jus a Beato Petro se accepisse, atque id omnibus notum esse » (*De Romano Pontifice*, l. II, c. XIV).

Sanctus Siricius, creatus Pontifex anno 385, in epistola ad Himerium Episcopum Tarraconensem : « Non est nobis dissimulare, non est tacere libertas, quibus major cunctis christianæ religionis zelus incumbit. Portamus onera omnium qui gravantur : quinimo hæc portat in nobis beatus apostolus Petrus, qui nos in omnibus, ut confidimus, administrationis suæ protegit et tuetur hæredes » (apud Coustant, *Epistolæ Romanorum Pontificum*, col. 624, edit. Parisiis, 1721). Cui *major* incumbit religionis zelus, qui *omnium portat onera*, quem S. Petrus protegit *administrationis suæ hæredem*, ille profecto jusdictionis primatum obtinet.

« Nunc præfatam regulam (*quam scilicet præcedentibus verbis tradiderat circa baptismi administrationem*) omnes teneant sacerdotes, qui nolunt ab Apostolicæ petræ, super quam Christus universalem construxit Ecclesiam, soliditate divelli »

(ibid., col. 627). Is sane sibi jurisdictionis primatum adscribit, qui *regulam* ab omnibus *sacerdotibus* (id est Episcopis) tenendam injungit, et addit non posse quemquam hocce mandatum transgredi, quin hoc ipso sese ab Ecclesia catholica divellat. Item primatum asserit, dum dicit universalem Ecclesiam a Christo constructam fuisse *super apostolicam Petram;* nam ex contextu patet ibi per apostolicam Petram intelligi Sedem Romanam, seu Romani Episcopi, quatenus successoris Petri, potestatem.

Loquens sanctus Siricius de pravis clericorum moribus, sic habet : « Si ergo beatus propheta ad lugenda populi peccata non sibi ait lacrymas posse sufficere, quanto nos possumus dolore percelli, cum eorum qui in nostro sunt corpore compellimur facinora deplorare? Præcipue quibus secundum beatum Apostolum instantia quotidiana et sollicitudo omnium Ecclesiarum incumbit » (ibid., col. 630). Sibi tribuit Siricius *omnium Ecclesiarum sollicitudinem*, quæ supponit jurisdictionis primatum.

« Quæ omnia ita a vestrarum regionum despiciuntur Episcopis, quasi in contrarium magis fuerint constituta. Et quia non est nobis de hujusmodi usurpationibus negligendum..., quid ab universis posthac Ecclesiis sequendum sit, quid vitandum, generali pronuntiatione decerninus » (ibid., col. 632 et 633). Nisi certus Siricio fuisset jurisdictionalis primatus, immo nisi certus et extra quæstionem apud omnes catholicos, an ausus fuisset *generali pronuntiatione decernere*, quid ab *universis Ecclesiis* posthac sequendum esset aut vitandum?

Sic epistolam suam ad Himerium concludit Siricius : « Explicuimus, ut arbitror, frater carissime, universa quæ digesta sunt in querelam; et ad singulas causas, de quibus, per filium nostrum Bassianum presbyterum, *ad Romanam Ecclesiam*, *utpote ad caput tui corporis*, *retulisti*, sufficientia quantum opinor responsa reddidimus. Nunc fraternitatis tuæ animum ad servandos canones et tenenda decretalia constituta magis ac magis incitamus, ut hæc quæ ad tua rescripsimus consulta,

in omnium coepiscoporum nostrorum perferri facias notionem; et non solum eorum qui in tua sunt diœcesi constituti, sed etiam ad universos Carthaginenses ac Bæticos, Lusitanos atque Gallicios, vel eos qui vicinis tibi collimitant hinc inde provinciis, hæc quæ a nobis sunt salubri ordinatione disposita, sub litterarum tuarum prosecutione mittantur. Et quanquam *statuta Sedis Apostolicæ*, vel canonum venerabilia definita, *nulli sacerdotum Domini ignorare sit liberum*, utilius tamen... si ea quæ ad te speciali nomine generaliter scripta sunt, per unanimitatis tuæ sollicitudinem, in universorum fratrum nostrorum notitiam perferantur; quatenus et quæ *a nobis sunt.... salubriter constituta*, *intemerata permaneant*, et omnibus in posterum excusationibus aditus, qui jam nullus apud nos patere poterit, obstruatur » (apud Coustant, *Epistolæ Romanorum Pontificum*, col. 637). Volens cæcutiat necesse est, qui non percipit, in hac sancti Siricii epistola primatum jurisdictionis apertissime asseri, immo et exerceri.

Sanctus Innocentius I, creatus Pontifex anno 402.

1. Carthaginensis concilii patribus rescripsit in hunc modum : « *Antiquæ traditionis* exempla servantes, et *ecclesiasticæ* memores *disciplinæ*, vestræ religionis vigorem non minus nunc in consulendo, quam antea cum pronuntiaretis, vera ratione firmastis, qui ad nostrum referendum approbastis esse judicium; scientes *quid Apostolicæ Sedi*, cum omnes hoc loco positi ipsum sequi desideremus Apostolum, *debeatur*, a quo ipse episcopatus et tota auctoritas nominis hujus emersit. Quem sequentes, tam mala damnare novimus, quam probare laudanda. Vel id vero, quod *patrum instituta* sacerdotali officio custodientes non censetis esse calcanda, quod illi *non humana sed divina decrevere sententia*, ut quidquid quamvis de disjunctis remotisque provinciis ageretur, non prius ducerent finiendum, nisi ad hujus Sedis notitiam perveniret; ut tota hujus auctoritate quæ justa fuerit pronuntiatio firmaretur; indeque sumerent cæteræ Ecclesiæ (velut de natali suo fonte aquæ cunctæ procederent, et per diversas totius

mundi regiones puri latices capitis incorrupti manarent) quid præcipere, quos abluere, quos veluti cæno inemundabili sordidatos mundis digna corporibus unda vitaret » (apud Coustant, *Epistolæ Romanorum Pontificum*, col. 888, edit. Parisiis, 1721). Hæc ergo est sancti Innocentii doctrina : etiamsi agatur de disjunctis et remotis provinciis, definitivum esse nequit judicium Episcoporum, nisi *Sedis Apostolicæ auctoritate firmatum fuerit*. Et hæc est *antiqua traditio* et *ecclesiastica disciplina*. Et hoc *debetur Sedi Apostolicæ*. Et ita Patres statuerunt, non *humana sententia* seu tanquam *ecclesiastici* dumtaxat juris dispositionem, sed *sententia divina*, id est, quatenus ab ipso Christo Domino constitutum. Et ex judiciis sic a Sede Romana firmatis, *sumunt cæteræ Ecclesiæ quid præcipere*, quos in pœnitentiam et communionem recipere, quos tanquam indignos a communione rejicere debeant. Et ista Sedis Romanæ auctoritas est *natalis fons* et *purum caput* cunctarum doctrinalium aquarum, quæ *incorruptæ manant per diversas totius mundi regiones*. Sane qui de Sede Romana ita docet, ei jurisdictionis primatum adscribit.

2. Idem sanctus Innocentius I hæc rescripsit Milevitanæ synodi Patribus : « Inter cæteras Romanæ Ecclesiæ curas et Apostolicæ Sedis occupationes, quibus diversorum consulta fideli ac medica disceptatione tractamus, etc... Diligenter ergo et congrue Apostolici consulitis honoris arcana (honoris inquam illius, quem præter illa quæ sunt extrinsecus, sollicitudo manet omnium Ecclesiarum) super anxiis rebus quæ sit tenenda sententia : antiquæ scilicet regulæ formam secuti, quam toto semper ab orbe mecum nostis esse servatam. Verum hæc missa facio : neque enim hoc vestram credo latere prudentiam. Quid id enim actione firmastis, nisi scientes quod per omnes provincias de Apostolico fonte petentibus responsa semper emanent? Præsertim quoties fidei ratio ventilatur, arbitror omnes fratres et coepiscopos nostros nonnisi ad Petrum, id est, sui nominis et honoris auctorem, referre

debere, velut nunc retulit vestra dilectio, quod per totum mundum possit ecclesiis omnibus in commune prodesse. Fiant enim necesse est cautiores, cum statutis viderint ab ecclesiastica communione sejunctos. Gemino igitur bono caritas vestra fungetur. Nam et canonum potiemini gratia servatorum, et beneficio vestro totus orbis utetur » (apud Coustant, *Epistolæ Romanorum Pontificum*, col. 895, edit. Parisiis, 1721).

Igitur, teste sancto Innocentio I, *honori Apostolico*, id est, Romanæ Sedi, incumbit *sollicitudo omnium Ecclesiarum;* et fuit *regula*, *semper* ac in *toto orbe* servata, ut Sedes illa in dubiis quæstionibus consuleretur; et *præsertim quoties fidei ratio ventilatur*, omnes Episcopi ad Sedem illam *referre debent;* et inde emanant *responsa* et *sententiæ*, quæ prosunt in communi *omnibus ecclesiis;* et fideles fiunt cauti, seu ab hæresi declinant, quando vident hæreticos Romani Pontificis *sententia excommunicatos.* Hæc aperte jurisdictionis primatum exprimunt.

3. In eadem epistola sic sententiam pronuntiat Innocentius : « Pelagium Cœlestiumque... ecclesiastica communione privari *apostolici vigoris auctoritate* censemus... Simul autem *præcipimus* ut quicumque id pertinacia simili defensare nituntur, par eos vindicta constringat. » Et paulo post quoad resipiscentes sic decernit : « *Jubemus*... si ad sanum, deposito pravi dogmatis errore, resipuerint... eis medicinam non negari » (apud Coustant, ibid., col. 898 et 899). Nisi jurisdictionis primatum sibi competere pro certo habuisset Innocentius, si nempe adhæsisset dumtaxat synodali Afrorum judicio, tanquam quilibet alius Episcopus, non ausus esset uti hisce formulis, *apostolici vigoris auctoritate* censemus, *præcipimus*, *jubemus;* sed dixisset dumtaxat : Vestræ synodali sententiæ adhæreo ac subscribo.

4. Quando misit Innocentius Aurelio Carthaginensi Episcopo sententiam suam contra Pelagianos, usus est hac formula : « Supradictum igitur fratrem nostrum tuæ dilectioni res-

tituo, cum *Apostolicæ Sedis, ad relationem duplicis synodi, judicatis* (Epist. ad Aurelium. Apud Coustant, *Epistolæ Romanorum Pontificum*, col. 904, edit. Parisiis, 1721). Judicaverant duo Africana concilia ; et tamen eorum sententia non vocatur *judicatum*, sed dumtaxat *relatio ;* non enim definitivum erat aliorum judicium in causis fidei, sed solius *Sedis Apostolicæ ;* cujus ideo sententia vocabatur *judicatum* seu *constitutum;* quæ utraque vox pro synonyma usurpatur a Vigilio Papa et Gregorio Magno. Porro id etiam arguit sedis Romanæ jurisdictionalem primatum.

5. In diœcesi Hierosolymitana, immaniter nonnulli hæretici desævierant in monasteria ad sancti Hieronymi curam pertinentia, eaque cæde ac incendio vastaverant. De quo certior factus Innocentius I, sed nondum sciens quinam tanti facinoris auctores essent, ita beato Hieronymo rescripsit : « Itaque excitati tanta malorum scena, *arripere auctoritatem Sedis Apostolicæ ad omne comprimendum nefas festinavimus;* sed in quem insurgeremus nec nomine appellatum legimus, nec criminis aliqua ratione taxatum. Quod ergo possumus condolemus. Si deposueris autem apertam manifestamque in homines aliquos accusationem, *aut judices competentes tribuam*, aut si aliquid urgentius sollicitiusque a nobis fieri potest, non retardabo, fili dilectissime » (apud Coustant, *Epistolæ Romanorum Pontificum*, col. 908, edit. Parisiis, 1721). Igitur sibi jus tribuit Innocentius *dandi judices*, vel etiam efficaciori modo providendi, quoad Hierosolymitani Patriarchæ subditos, et quoad causam in ejus diœcesi exortam. An, quæso, vel cogitatio sese sic in alterius Patriarchæ provinciam ingerendi ejus animum subiisset, nisi indubitata ipsi omnibusque catholicis fuisset suprema Romani Episcopi in universalem Ecclesiam jurisdictio?

6. Ad Felicem Nucerinum Episcopum rescribens sanctus Innocentius I : « Mirari non possumus, inquit, dilectionem tuam sequi instituta majorum, omniaque, quæ possunt aliquam recipere dubitationem, ad nos *quasi ad caput atque*

ad apicem episcopatus, referre ; ut consulta videlicet Sedes Apostolica ex ipsis rebus dubiis certum aliquid faciendumque pronuntiet » (apud Coustant, *Epistolæ Romanorum Pontificum*, col. 910, edit. Parisiis, 1721). Dum *caput et apex episcopatus* dicitur Romana Sedes, ei profecto jurisdictionalis primatus vindicatur.

7. In epistola ad Exuperium Tolosanum Episcopum, decernit Innocentius I, eos clericos esse deponendos, qui transgressi sunt disciplinaria quædam prædecessoris sui Siricii decreta, nisi constet decreta ejusmodi ipsis haud nota fuisse. Quo plane docet Romano Pontifici competere potestatem omnes ubique clericos legibus suis obstringendi ; quæ potestas sine jurisdictionis primatu stare nequit. Textum vide apud Coustant (*Epistolæ Romanorum Pontificum*, col. 792, edit. Parisiis, 1721).

8. Per suam ad Rufum Thessalonicensem Episcopum epistolam, eum Innocentius I constituit Sedis Apostolicæ vicarium, et inter primates primum, quoad omnes Ecclesias Achaiæ, Thessaliæ, Epiri veteris et novæ, Cretæ, Daciæ, Mæsiæ, Dardaniæ et Prevali. « Arripe, inquit, dilectissime frater, nostra vice per supra scriptas Ecclesias, salvo earum primatu, curam. Et inter ipsos primates primus, quidquid eos ad nos necesse fuerit mittere, non sine tuo postulent arbitratu. Ita enim aut per tuam experientiam quidquid illud est finietur, aut tuo consilio ad nos usque perveniendum esse mandamus. Licitum autem et Apostolicæ Sedis favore permissum tuæ fraternitati cognosce, ut cum aliqua ecclesiastica ratio, vel in tua vel in memoratis provinciis agitanda cognoscendaque fuerit, quos velis Episcoporum socios quibuscumque de Ecclesiis assumas tecum ; quorum et fide et moderatione quidquid necessitas causave flagitaverit, optimus dirigas arbiter, et præcipuus (quippe a Nobis lectus) definias intercessor... Voluntatem hanc nostram per unamquamque provinciam satis, ut decebat, litteris manifestavimus » (apud Coustant, *Epistolæ Romanorum Pontificum*, col. 817, edit.

Parisiis, 1721). Non poterat Innocentius I, jurisdictionis primatum manifestius sibi tribuere, quam sic constituendo sibi vicarium, qui eum primatum per tot provincias exerceret. Immo neque id mentem ejus subiisset, nisi certa et extra omnem quæstionem apud omnes catholicos fuisset suprema Episcopi Romani in universalem Ecclesiam jurisdictio. Notenturque verba paulo ante posita : « Non primitus hæc ita statuentes, sed præcessores nostros Apostolicos imitati. »

9. Acceptis Macedonum Episcoporum litteris, sic ad ipsos rescripsit Innocentius : « In quibus (litteris) multa posita pervidi quæ stuporem mentibus nostris inducerent... Quæ cum sæpius repeti fecissem, adverti Sedi Apostolicæ, ad quam relatio missa quasi *ad caput Ecclesiarum* currebat, *aliquam fieri injuriam*, cujus adhuc in ambiguum sententia duceretur. Unde de quibus jamdudum scripsisse memini, nunc iterare formam argumentis evidentioribus, relationis vestræ geminata percunctatio compellit » (apud Coustant, *Epistolæ Romanorum Pontificum*, col. 830, edit. Parisiis, 1721). Ibi Sedem Apostolicam iterum vocat Innocentius I, *caput Ecclesiarum*. Quæ tamen caput non esset, nisi ei jurisdictionis primatus competeret. Præterea, nisi indubitatus fuisset ejusmodi primatus, haud congrue Innocentius questus esset tanquam de *aliqua injuria*, quod Episcopi Macedones declarari postulassent præcedentia quædam Sedis Apostolicæ decreta, quæ ambigua ipsis videbantur. Adhuc unum aut alterum textum subnectamus.

10. « Si quæ autem causæ vel contentiones inter clericos, tam superioris ordinis quam etiam inferioris, fuerint exortæ, secundum synodum Nicænam, congregatis ejusdem provinciæ episcopis, jurgium terminetur, nec alicui liceat (sine præjudicio tamen *Romanæ Ecclesiæ, cui in omnibus causis debet reverentia custodiri*) relictis his sacerdotibus qui in eadem provincia Dei Ecclesiam nutu divino gubernant, ad alias convolare provincias » (Epistola ad Victricium Rothomagensem, apud Coustant, *Epistolæ Romanorum Pontificum*,

col. 749, edit. Parisiis, 1721). Igitur teste Innocentio I, clericorum et Episcoporum causæ terminari debebant a concilio provinciali, nec poterant ad alterius provinciæ Episcopos deferri. Sed ab hac prohibitione adeundi aliarum provinciarum Episcopos excipitur *Ecclesia Romana;* et dicitur ad eam recurri posse *in omnibus causis*. Porro hoc idem est ac dicere, Sedem Romanam esse supremum tribunal ad quod semper et in causis omnibus patet ab aliorum quorumlibet judiciis appellatio; quod idem est ac jurisdictionis primatum ei adscribere.

11. « Si majores causæ in medium fuerint devolutæ, ad Sedem Apostolicam, sicut synodus statuit et beata consuetudo exigit, post judicium episcopale referantur » (ibid.). Scilicet, quoad causas majores, definitivum non est judicium episcopale, sed sola Sedes Apostolica eas terminare potest. Id porro jurisdictionis primatum adstruit.

12. Notatu præcipue dignum quod egit S. Innocentius in causa S. Chrysostomi. Is a Theophilo Alexandrino Patriarcha, instigante Eudoxia Augusta, et connivente Arcadio imperatore, depositus fuerat et in exilio diem extremum clauserat. Scripsit S. Innocentius ad imperatorem Arcadium : « Vox sanguinis fratris mei Joannis clamat ad Deum contra te, o imperator... Orbis sub sole totus ad orbitatem redactus est, viro tam divino amisso, persuasione unius mulieris (Eudoxiæ)... Verum excipiet illa et præsentem hic pœnam et futurum sempiternum supplicium, non post multos hosce dies ei adveniens... Itaque ego minimus et peccator, cui thronus magni Apostoli Petri creditus est, segrego te et illam a perfectione immaculatorum mysteriorum Christi Dei nostri. Episcopum etiam omnem aut clericum qui administrare aut exhibere ea vobis ausus fuerit, ab ea hora, qua præsentes vinculi mei legeritis litteras, dignitate sua decidisse decerno... Arsacium, quem pro magno Joanne in thronum episcopalem produxistis, etiam post obitum exauctoramus, una cum omnibus qui consulto cum eo communicarunt Episcopis... Ad Theophili

abrogationem addimus excommunicationem, anathematismum, et absolutam a Christianismo alienationem » (apud Labbe, Conciliorum t. II, col. 1308, edit. Parisiis, 1671).

Sancto Innocentio rescribens imperator Arcadius, ne in quæstionem quidem vocat jus quod sibi vindicaverat Innocentius, orientales Episcopos sic excommunicandi ac deponendi; sed dicit se per ignorationem peccasse; veniamque petens, ita subjungit : « Quod autem attinet ad filiam tuam Eudoxiam, scito me illi parum moderate pro ratione delicti mercedem retulisse. Quo sane factum est ut ex eo mœrore et angustia difficili gravissimaque correpta ægritudine decumbat. Igitur quod superest, enixe te obsecro, ut *nos a segregatione liberes*, nec multipliciter punias. Non enim ipse Dominus idem ob delictum bis hominem percutit » (apud Labbe, loco cit., col. 1309).

Absolutionem ab excommunicatione Arcadio et Eudoxiæ impertivit Innocentius hac formula : « Studium diligentiamque vestram Dei præcepto et voluntati consentaneam, quam propter ipsius nomen declarastis, accepimus et probavimus. Quapropter sacris a vinculis absoluti, ad sacra symbola confirmatis animis accedite » (ibid.).

Sanctus Zozimus, creatus Pontifex anno 417.

1. Plura decrevit per suam ad Episcopos Galliæ epistolam, ubi hisce formulis utitur : « Placuit Apostolicæ Sedi ut... quam auctoritatem ubique nos misisse manifestum est : ut *cunctis regionibus* innotescat, *id quod statuimus omnimodis esse servandum*. Si quis autem hæc salubriter constituta temerare tentaverit, sponte sua *se a nostra noverit communione discretum... Jussimus* autem... » (apud Coustant, *Epistolæ Romanorum Pontificum*, col. 935, edit. Parisiis, 1721). Vides quam aperte sibi jus tribuat sanctus Zozimus leges edicendi, quibus *cunctæ regiones* obstringantur. Quod profecto secum trahit jurisdictionis primatum.

2. In epistola quam direxit ad omnes Episcopos Africæ, Galliæ ac Hispaniæ, sic decernit sanctus Zozimus, quoad

Tuentium et Ursum illicite ordinatos : « Qua de re ad sanctitatem vestram et per totum orbem, ubicumque et in quacumque terrarum sonus catholicæ religionis exiit, scripta direximus, fratres carissimi, ne Tuentium et Ursum in communione Ecclesiæ, a qua in totum anathemati sunt, suscipiendos esse ducatis » (apud Coustant, *Epistolæ Romanorum Pontificum*, col. 958, edit. Parisiis, 1721). Non in Romana Provincia, sed alibi ordinati fuerant Ursus et Tuentius. Pronuntiat Romanus Episcopus illicitam fuisse ordinationem, et per *totum orbem* scribit ne in communionem recipiantur. Quid hoc aliud quam jurisdictionis primatum exercere?

3. Ad Hesichium, Solonitanum Episcopum rescribens sanctus Zozimus de prohibitis per saltum ordinationibus : « Hoc autem, ait, specialiter et sub prædecessoribus, et nuper *a Nobis interdictum constat; litteris ad Gallias Hispaniasque transmissis*... Unde miramur ad dilectionem tuam statuta Apostolicæ Sedis non fuisse perlata... Ad te potissimum scripta direximus, quæ in omnium fratrum et coepiscoporum nostrorum facies iré notitiam... sciet quisquis hoc, postposita patrum et Apostolicæ Sedis auctoritate, neglexerit, *a Nobis districtius vindicandum;* ut loci sui minime dubitet sibi non constare rationem, si hoc putat, post tot prohibitiones impune tentari » (apud Coustant, *Epistolæ Ramanorum pontificum*, col. 968 et seq., edit. Parisiis, 1721). Ille sane jurisdictionis primatum sibi adscribit, qui leges edicit quibus universi obstringantur Episcopi, quique transgressoribus depositionis pœnam comminatur.

4. Auctoritate Apostolica deposuit sanctus Zozimus Proculum, Massiliensem Episcopum; ac donec in ejus locum alius ordinaretur, diœcesis Massiliensis gubernationem commisit Patroclo Arelatensi Episcopo. Quod sic intimat *clero, ordini et plebi consistenti Massiliæ :* « Non miror Proculum in consueta adhuc fronte durare... Cum ipse jam non sit Episcopus, Episcopos facit... *Sed habeo*, fratres carissimi, *vestri curam;* moleste ferens quidquid ille quotidianis ausibus facit,

id vos... posse perferre, nec ejus obviare factis aut repugnare conatibus. Idcirco *curam vestri*, licet et prioribus *commiserim* litteris vestræ Metropolitano Provinciæ fratri et coepiscopo nostro *Patroclo*, tamen iterum committo; ut ipsius tuti consilio et obtemperantes nutibus dignum possitis accipere sacerdotem » (apud Coustant, *Epistolæ Romanorum Pontificum*, col. 973, edit. Parisiis, 1721). Hac profecto agendi ratione sibi jurisdictionis primatum vindicat Zozimus atque exercet.

5. In suis ad Africanos Episcopos litteris : « Quamvis Patrum traditio Apostolicæ Sedi auctoritatem tantam tribuerit, ut *de ejus judicio disceptare nullus auderet*, idque per canones *semper* regulasque servaverit; et currens adhuc suis legibus ecclesiastica disciplina Petri nomini, a quo ipsa quoque descendit, reverentiam quam debet exsolvat : *tantam* enim huic apostolo canonica antiquitas per sententias omnium *voluit esse potentiam*, *ex ipsa quoque Christi Dei nostri promissione*, ut et ligata solveret et soluta vinciret; *par potestatis data conditio in eos*, qui *Sedis hæreditatem*, ipso annuente, *meruissent* : habet enim ipse, *cum omnium Ecclesiarum*, tum hujus maxime ubi sederat, *curam;* nec patitur aliquid privilegii aut aliqua titubare aura sententiæ, cui ipsa sui nominis firma et nullis hebetata motibus constituit fundamenta, et quæ sine suo periculo temere nullus incessat : cum ergo tantæ auctoritatis Petrus caput sit, et sequentia omnium majorum studia firmaverit, ut tam humanis *quam divinis* legibus et disciplinis omnibus firmetur Romana Ecclesia, cujus locum nos regere, ipsius quoque potestatem nominis obtinere non latet vos, sed nostis, fratres charissimi, et, quemadmodum sacerdotes, scire debetis : tamen *cum tantum nobis esset auctoritatis*, *ut nullus de nostra possit retractare sententia;* nihil egimus quod non ad vestram notitiam nostris ultro litteris referremus » (apud Coustant, *Epistolæ Romanorum Pontificum*, col. 974, edit. Parisiis, 1721). Hæc nimirum sancti Zozimi doctrina : de *Sedis Apostolicæ*

judicio nullus disceptare audet; et id firmat *Patrum traditio;* et Petrus habet *omnium Ecclesiarum curam;* et hoc habet *ex Christi promissione;* et *par potestatis conditio* data ipsius in Sede Romana successoribus; et hæc Romanæ Sedis potestas tam *divinis legibus* quam humanis confirmata est; et inde sequitur, ipsi Zozimo, utpote Petri successori, *tantum esse auctoritatis, ut nullus possit de ipsius sententia retractare.* Hæc porro dogma de jurisdictionali primatu Romani Episcopi apertissime exprimunt.

Sanctus Bonifacius I, creatus Pontifex anno 418.

1. Valentinæ civitatis clerici Episcopum suum Maximum multiplicis sceleris apud Romanum pontificum accusaverant. Pluries causam illam Sedes Apostolica delegatis a se præsulibus judicandam commiserat. Sed comparere renuerat Maximus. Iterum commisit sanctus Bonifacius Galliarum Episcopis ejusdem causæ cognitionem, injungens ut sententiam proferrent, etiamsi nec hac vice compareret; hancque suam ad Galliarum Episcopos epistolam sic claudit : *Quidquid autem vestra caritas de hac causa duxerit decernendum, cum ad nos relatum fuerit, nostra, ut condecet, necesse est auctoritate firmetur* (apud Coustant, *Epistolæ Romanorum Pontificum*, col. 1018, edit. Parisiis, 1721). Ibi vides, Valentinæ diœcesis clericos ad Romanum Pontificem recurrere, ut Episcopi sui depositionem obtineant; et Romanum Pontificem sese existimasse competentem judicem, siquidem alios judices delegat; et sibi soli tribuisse *definitivam* sententiam, cum de sententia delegatorum judicum dicat : *necesse est nostra auctoritate firmetur.* Jam vero nisi indubitatus ipsi fuisset Romanæ Sedis jurisdictionalis primatus, non modo talia non præsumpsisset, sed ne cogitasset quidem; nam vesana prorsus fuissent.

2. In suis ad Rufum Thessalonicensem Episcopum litteris, quem constituerat in cunctis Illyrici provinciis Sedis Apostolicæ Vicarium : « In cæteros etiam contumaces jus concessæ potestatis exerce... Ad Thessalos comminationis et correptionis plenas litteras misimus. Ad synodum quæ dicitur illicite (Co-

rinthi) congreganda de causa fratris nostri et coepiscopi Perigenis, cujus scripsimus statum nulla posse penitus ratione turbari, talia scripta direximus, quibus universi fratres intelligant, primo convenire se citra tuam conscientiam minime debuisse; deinde, *de nostro non esse judicio retractandum. Nunquam enim licuit de eo rursus, quod semel statutum est ab Apostolica Sede, tractari* » (apud Coustant, *Epistolæ Romanorum Pontificum*, col. 1035, edit. Parisiis, 1721). Ibi habes luce meridiana clarius assertum jurisdictionis primatum.

3. In suis ad universos Thessaliæ Episcopos litteris : « Institutio universalis nascentis Ecclesiæ de beati *Petri* sumpsit *honore* principium, *in quo regimen ejus et summa consistit*. Ex ejus enim ecclesiastica disciplina per omnes Ecclesias, religionis jam crescente cultura, fonte manavit. Nicænæ synodi non aliud præcepta testantur : *adeo ut non aliquid super eum ausa sit constituere*, cum videret nihil supra meritum suum posse conferri : *omnia denique huic noverat Domini sermone concessa. Hanc ergo ecclesiis toto orbe diffusis velut caput suorum certum est esse membrorum : a qua se quisquis abscidit, fit christianæ religionis extorris*, cum in eadem non cœperit esse compage » (apud Coustant, *Epistolæ Romanorum Pontificum*, col. 1037, edit. Parisiis, 1721). Ibi habes Ecclesiam Romanam esse *caput Ecclesiarum toto orbe diffusarum*; et ita quidem, ut nemo possit sese ab ea disjungere, quin *a religione christiana extorrem* se faciat. Sese autem ab Ecclesia Romana abscindit, qui ejus fidem profiteri, aut ejus præceptis obedire renuit. Dum dicit, *omnia denique huic noverat Domini Sermone concessa*, per vocem *huic* intelligit Romanam Sedem, prout arguunt immediate sequentia vocabula, *hanc ergo*. Item istud *de Petri honore*, idem sonat ac *de Petri potestate*. Et cum additur, Nicænos Patres non ausos fuisse quidquam statuere *super eum*, litteraliter intelligendum est, *super eum honorem* seu principatum *Petri;* sed consideratur ille *honor* seu principatus *Petri*, quatenus Romano Episcopo

transmissus et in Sede Romana perseverans; et sensus est non ausos esse Nicænos Patres quidquam statuere de *Romanæ Sedis potestate*, quia noverant *omnia* huic Sedi Romanæ in persona Beati Petri *Domini sermone concessa* fuisse. Insanabilis profecto cæcitatis foret, qui assertum ibi non videret Romani Pontificis jurisdictionalem primatum. — Præterea expresse in eadem epistola dicit sanctus Bonifacius I : « Ideo *tenet Sedes Apostolica principatum*, ut querelas omnium licentes acceptet. » Et paulo infra : « *Ordinationi nostræ pareat quisquis se Episcopum recognoscit.* »

4. In litteris suis ad Rufum et omnes per Illyricum Episcopos : « Manet Beatum Apostolum Petrum per sententiam dominicam *universalis Ecclesiæ* ab hoc *sollicitudo suscepta;* quippe quam, Evangelio teste, in se noverit esse fundatam. Nec unquam ejus honor vacuus potest esse curarum, cum certum sit *summam rerum ex ejus deliberatione pendere.* Quæ res animum meum usque ad Orientis loca, quæ per ipsam sollicitudinem quodammodo videmus, extendunt » (apud Coustant, *Epistolæ Romanorum Pontificum*, col. 1039, edit. Parisiis, 1721). Ibi seipsum designat sub nomine *Petri*, ut ex contextu liquet; proinde *universalis Ecclesiæ sollicitudinem* seu jurisdictionalem primatum sibi vindicat.

Paulo infra, sic eos redarguit Episcopos, qui non acquieverant pronuntiatæ ab ipso sententiæ quoad Perigenem : *Nemo unquam Apostolico culmini, de cujus judicio non licet retractari, manus obvias audacter intulit : nemo in hoc rebellis extitit, nisi qui de se voluit judicari* (ibid., col. 1042).

Sanctus Cœlestinus I, creatus Pontifex anno 422.

1. In litteris suis ad Episcopos Viennensis ac Narbonnensis provinciæ : « Cuperemus quidem de vestrarum Ecclesiarum ita ordinatione gaudere, ut congratularemur potius de profectu, quam aliquid admissum contra disciplinam ecclesiasticam doleremus. Ad nostram enim lætitiam et benefacta perveniunt, et mœroris aculeis nos quæ fuerint male facta compungunt. *Nec silere possumus*, cum ad hoc ut ab illicitis

revocemus aliquos, *officii nostri provocemur instinctu, in speculis a Deo constituti*, ut vigilantiæ nostræ diligentiam comprobantes, et *quæ coercenda sunt resecemus, et quæ observanda sunt sanciamus. Circa quamvis longinqua spiritualis cura* non deficit, sed se *per omnia qua nomen Dei prædicatur* extendit » (apud Coustant, *Epistolæ Romanorum Pontificum*, col. 1066, edit. Parisiis, 1721). Ibi aperte sibi tribuit sanctus Cœlestinus *officium* et *curam resecandi* quæ coercenda sunt, et *sanciendi* quæ sunt observanda. Nec minus aperte id quoad *universum orbem* sibi vindicat; quod idem omnino est ac primatum jurisdictionis sibi vindicare.

2. In litteris suis ad universos Apuliæ et Calabriæ Episcopos : « Quisquis vero conatus fuerit tentare prohibita, sentiet censuram Sedis Apostolicæ minime defuturam. Quæ enim sola admonitionis auctoritate non corrigimus, necesse est per severitatem congruentem regulis vindicemus. Per totas hoc, quæ propriis rectoribus carent, ecclesias volumus innotescat » (apud Coustant, *Epistolæ Romanorum Pontificum*, col. 1074, edit. Parisiis, 1721). Non ita loquitur nisi superior ad inferiores, nisi qui certam supponit suam in eos jurisdictionem.

3. In litteris suis ad sanctum Cyrillum, ei injungit ut Nestorium Sedis Romanæ auctoritate excommunicet, ac in ejus locum Constantinopoli alium Episcopum constituat; atque suam ad id auctoritatem ipsi delegat : « Auctoritate igitur tecum nostræ Sedis adscita, *nostra vice usus*, hanc exsequeris districto vigore sententiam : ut aut intra decem dies, ab hujus conventionis die numerandos, pravas prædicationes suas scripta professione condemnet, et hanc se de Nativitate Christi Dei nostri fidem tenere confirmet, quam Romana, et tuæ sanctitatis Ecclesia, et universalis devotio tenet; aut nisi hoc fecerit, mox sanctitas tua illi Ecclesiæ provisura, a nostro eum corpore modis omnibus sciat esse removendum... Eadem autem scripsimus et ad sanctos fratres et coepiscopos nostros, Johannem, Rufum, Juvenalem et Flavianum; ut nota sit de

co *nostra, imo Christi nostri, divina sententia* » (apud Coustant, col. 1106, edit. Parisiis, 1721). Quis hac agendi ac loquendi ratione assertum non videat jurisdictionis primatum?

4. In epistola, qua Nestorio excommunicationem comminatur, nisi intra dies decem resipiscat : « Itaque, quamvis et jam frater Cyrillus secundis te epistolis suis asserat esse conventum, intelligas volo, post primam et secundam illius, et hanc correptionem nostram, quam constat esse jam tertiam, ab universitate collegii et christianorum te prorsus esse sejunctum, nisi mox, » etc. (ibid., col. 1119). « Aperte igitur hanc nostram scias esse sententiam, ut nisi..., *ab universalis te Ecclesiæ catholicæ communione dejectum.* Quam formam nostri judicii..., ad sanctum consacerdotem meum memoratæ Alexandrinæ urbis antistitem (Cyrillum), qui ad nos super hoc ipso plenius retulit, destinavimus; *ut agat vice nostra*, quatenus *statutum nostrum* vel tibi vel universis fratribus innotescat » (ibid., col. 1130). Ibi vides sanctum Cœlestinum sibi jus tribuere ità Constantinopolitanum antistitem judicio suo excommunicandi, ut careat, non tantum communione particularis Ecclesiæ Romanæ, sed et *universalis Ecclesiæ catholicæ*. Quod idem plane est ac sibi jurisdictionis primatum vindicare in universalem Ecclesiam.

5. In communitorio seu instructionibus quas dedit Episcopis et presbyteris ad Ephesinam synodum ab ipso missis : « Cum Deo nostro auctore ad destinata vestra caritas venerit loca, ad fratrem et coepiscopum nostrum Cyrillum consilium vestrum omne convertite, et quidquid in ejus videritis arbitrio facietis; et *auctoritatem Sedis Apostolicæ custodiri debere mandamus.* Si quidem instructiones quæ vobis traditæ sunt hoc loquantur, ut interesse conventui debeatis; ad disceptationem si fuerit ventum, *vos de eorum sententiis judicare debeatis, non subire certamen* » (apud Coustant, *Epistolæ Romanorum Pontificum*, col. 1152, edit. Parisiis, 1721). Igitur non agnoscit sanctus Cœlestinus etiam concilii auctoritatem,

nisi quatenus concilium id judicet quod ipse sententia sua pronuntiaverat. Qua profecto agendi ratione et jurisdictionis primatum et supremam in definienda fide potestatem sibi vindicat.

6. In suis ad Ephesinam synodum litteris : « Direximus pro nostra sollicitudine sanctos fratres et consacerdotes nostros, Arcadium et Projectum Episcopos, et Philippum presbyterum nostrum; qui iis quæ aguntur intersint, et *quæ a nobis ante statuta sunt exequantur. Quibus præstandum a vestra sanctitate non dubitamus assensum* » (ibid., col. 1162). Non ergo sinit sanctus Cœlestinus antea pronuntiatam a se sententiam in synodo judicari, sed vult eam *executioni mandari*.

Sanctus Xistus III, creatus Pontifex anno 432.

1. In litteris suis ad Joannem Antiochenum Episcopum, qui primum Nestorio adhæserat et postea resipuerat : « Expertus es, negotii præsentis eventu, *quid sit sentire nobiscum*. Beatus Petrus Apostolus in successoribus suis, quod accepit, hoc tradidit. Quis ab ejus se velit separare doctrina, quem ipse inter Apostolos primum magister edocuit? » (Apud Coustant, col. 1260, edit. Parisiis, 1721.) Ibi declaratur necessitas *sentiendi cum Romano Pontifice*, ac proinde suprema ipsius potestas de fide decernendi.

2. In litteris suis ad synodum Thessalonicæ congregandam, monet omnes per Illyricum constitutos Episcopos, ut subsint ac pareant auctoritati Anastasii Thessalonicensis Episcopi, eo quod is *sedis Apostolicæ vices* ageret quoad ipsos, et ob istum ipsi a sede Romana commissum *vicariatum*, jurisdictionem in omnes illas provincias haberet : « Nullus, inquit, obviet salubribus constitutis : nullus *præceptionibus* his resultet. Habeant honorem suum Metropolitani (provinciarum) singularum, salvo hujus (*id est Anastasii*) privilegio, *quem honorare debeant amplius honorati*. In provincia sua jus habeant ordinandi : sed hoc (Anastasio) inscio vel invito, quem de omnibus *volumus* ordinationibus consuli, nullus

audeat ordinare. Ad Thessalonicensem majores causæ referantur Antistitem. Ipsum major cura respectet eos, qui ad episcopatum vocantur, discutiendi sollicitius et probandi. Ipse optimos solertissimosque de vestro numero eligat, quos negotiis secum adsciscat arbitros... Noverit Corinthius Episcopus sibi licentiam potestatis liberæ minime tribuendam, si huic voluerit Ecclesiæ (Thessalonicensi) resultare » (apud Coustant, *Epistolæ Romanorum Pontificum*, col. 1263, edit. Parisiis, 1721). Nisi jurisdictionis primatum in universam Ecclesiam sibi Xistus vindicasset, an, quæso, sic imperasset tot provinciarum Episcopis et Metropolitanis, ut *vicario* suo subessent ac obsequerentur?

3. In litteris suis ad totius Illyrici Episcopos, ita de judicandis gravioribus causis decernit : « Aut illic, fratre et coepiscopo nostro Anastasio judice, eveniens negotium terminetur, *qui vices Apostolicæ Sedis agere... ex nostra voluntate* cognoscitur; aut ad nos, si illic finiri non potuerit; eodem tamen suis litteris causam omnem quæ vertitur prosequente, veniat examen. » (Ibid., col. 1272.) Ibi etiam habes apertissimum jurisdictionalis primatus exercitium.

Sanctus Leo Magnus, creatus Pontifex anno 440.

1. In litteris suis ad Anastasium Thessalonicensem Episcopum : « Sicut præcessores mei præcessoribus tuis, ita etiam ego dilectioni tuæ, priorum secutus exemplum, vices mei moderaminis delegavi; ut *curam, quam universis Ecclesiis principaliter ex divina institutione debemus*, imitator nostræ mansuetudinis effectus adjuvares, et longinquis ab Apostolica Sede provinciis præsentiam quodammodo nostræ visitationis impenderes » (Conciliorum Labbe tomo III, col. 1382, edit. Parisiis, 1671). « Vices enim nostras ita tuæ credidimus caritati, ut in partem sis vocatus sollicitudinis, non in *plenitudinem potestatis* » (ibid., col. 1384). « Quibus (*de Episcopis loquitur*) etsi dignitas non sit communis, est tamen ordo generalis. Quoniam et inter beatissimos Apostolos in similitudine honoris fuit quædam discretio potestatis; et cum omnium

par esset electio, uni tamen datum est ut cæteris præemineret. De qua forma Episcoporum quoque est orta distinctio ; et magna dispositione provisum est ne omnes sibi omnia vindicarent ; sed essent in singulis provinciis singuli, quorum inter fratres haberetur prima sententia; et rursus quidam in majoribus urbibus constituti, sollicitudinem susciperent ampliorem ; *per quos ad unam Petri sedem universalis Ecclesia confluereat*, et nihil usquam *a suo capite* dissideret » (ibid., col. 1386). Hæc ergo sancti Leonis doctrina : Romano Episcopo competit *universarum Ecclesiarum principalis* seu suprema *cura*, et potestatis *plenitudo ;* idque *ex divina institutione*. Et quamvis Episcopi parem obtineant episcopatus sui ordinis honorem, disparem sortiuntur potestatis gradum. In unaquaque scilicet provincia, unus est Episcopus, cui subsunt reliqui. Et rursus qui sunt provinciarum capita, subjacent et ipsi nonnullis majorum urbium Præsulibus, id est, Patriarchis. Sed cum etiam hi subjaceant Romano Pontifici, *per eos ad unam Petri Sedem universalis Ecclesia confluit*, ita ut nullus a communi omnium *capite* Romano Episcopo dissideat.

2. Ad Anatolium Constinopolitanum Episcopum epistola 46 : « Cum residentibus vobis, *quibus executionem nostræ dispositionis injunximus*, ea possent agi, » etc. (Conciliorum Labbe tomo III, col. 1324, edit. Parisiis, 1671). Ibi vides quomodo Romanus Pontifex Constantinopolitano Episcopo, tanquam superior inferiori, suarum dispositionum executionem *injungat*.

3. Ad Africanos Episcopos epistola 87 : « Ratio pietatis exigit ut *pro sollicitudine quam universæ Ecclesiæ ex divina institutione dependimus*, rerum fidem studeremus agnoscere... Quod enim nunc utcumque patimur esse veniale, inultum postmodum esse non poterit, si quisquam *id quod omnino interdicimus* usurpare præsumpserit... Causam quoque Lupicini Episcopi illic *jubemus* audiri » (Conciliorum Labbe tomo III, col. 1390, 1393 et 1394). Ibi pariter vides Romanum Episco-

pum Africæ Antistibus præcipientem, et universalis Ecclesiæ curam *ex divina institutione* sibi asserentem. Ex aliis quam plurimis, quæ adduci possent, sancti Leonis sententiis, sequentes dumtaxat subjiciemus.

Anno 445, ad Viennensis Provinciæ Episcopos : « Hujus muneris sacramentum ita Dominus ad omnium apostolorum officium pertinere voluit, ut in beatissimo Petro, apostolorum omnium summo, *principaliter collocaret;* atque ab ipso, quasi quodam capite, dona sua vellet in corpus omne manare ; ut exsortem se mysterii intelligeret esse divini qui ausus fuisset a Petri soliditate recedere... Verum hanc Petræ istius sacratissimam firmitatem... nimis impia vult præsumptione violare, quisquis ejus potestatem tentat infringere... Nobiscum itaque vestra fraternitas recognoscat, *Apostolicam Sedem*, pro sui reverentia, a vestræ etiam provinciæ sacerdotibus innumeris relationibus esse consultam ; et per diversarum, quemadmodum vetus consuetudo poscebat, *appellationem causarum aut retractata aut confirmata fuisse judicia*... Sed hunc tramitem semper inter majores nostros et bene tantum et salubriter constitutum, Hilarius, Ecclesiarum statum et concordiam sacerdotum novis præsumptionibus turbaturus, excessit ; ita suæ vos cupiens subdere potestati, *ut se beato Apostolo Petro non patiatur esse subjectum*... ; ipsius quoque beatissimi Petri reverentiam verbis arrogantioribus minuendo ; cui cum præ cæteris solvendi et ligandi tradita sit potestas, *pascendarum tamen ovium specialius cura mandata est.* Cui quisquis *principatum æstimat denegandum*, *illius quidem nullomodo potest minuere dignitatem*, *sed inflatus Spiritu superbiæ suæ*, *semetipsum in inferna demergit* » (apud Sirmond, Conciliorum tomo I, pag. 80, edit. Parisiis, 1629). Habes capite sequenti decretum Valentiniani Imperatoris, quo sancitis a sancto Leone in hac epistola brachii sæcularis adminiculum præstat.

« Manet ergo dispositio veritatis, et beatus Petrus in accepta fortitudine Petræ perseverans, suscepta Ecclesiæ guber-

nacula non reliquit » (sermone II, cap. II, in anniversario ordinationis suæ).

« Si quid itaque a nobis recte agitur recteque discernitur, si quid a misericordia Dei quotidianis supplicationibus obtinetur, illius est operum atque meritorum, cujus in sede sua vivit potestas et excellit auctoritas » (serm. III, cap. IV, in anniversario ordinationis suæ[1]).

« His itaque modis, dilectissimi, rationabili obsequio celebratur hodierna festivitas, ut in persona humilitatis meæ ille intelligatur, ille honoretur, in quo et omnium pastorum sollicitudo cum commendatarum sibi ovium custodia perseverat, et cujus etiam dignitas indigno hærede non deficit » (sermone II, cap. III, in anniversario ordinationis suæ).

« Subjungit autem se ad rationem solemnitatis nostræ,

[1] Nota. Romanis Pontificibus solitum fuit sese *Vicarios Petri* nuncupare, et hoc etiam nomine ab aliis vocati sunt ; ex quo etiam patet persuasio de ipsorum primatu jurisdictionali in universam Ecclesiam. Nonnullorum dicta subjicimus, desumpta ex Coustant (*Epistolæ Romanorum Pontificum*, præfatio, pag. 9, edit. Parisiis, 1721) : S. Leo : « Cum ergo cohortationes nostras auribus vestræ sanctitatis adhibemus ipsum vobis, *cujus vice* fungimur, loqui credite » (sermone IV, c. IV, in anniversario ordinationis suæ). Et alibi (Epist. XLVI, n. 2) dicit se *sub ejus nomine Ecclesiæ præsidere*.—Misenus Episcopus, causam suam defendens coram Gelasio Papa, dicit se eam agere *in conspectu Petri ejusque vicarii* (Gelasii epist. 27, n. 5). — Symmachus Papa : « Quanta *vicariis Beatissimi Petri* Apostoli judicabitur esse reverentia, si, » etc. (Epist III). Et idem Symmachus imperatoris Anastasii contumeliis provocatus, ita respondet : « An quia imperator es contra Petri niteris potestatem ? Et qui Petrum Alexandrinum recipis, beatum Apostolum Petrum *in suo* qualicumque *vicario* calcare contendis » (Epist. X, n. 7) ? — Ennodius, Symmachi synchronus (in *Apologia*, pag. 324), dicit de Romano Episcopo : *Quia beati Petri Apostoli vicarius æstimatur*. — Julia Anicia gratias agens Hormisdæ Papæ, ita scribit : « Quod de nostræ fidei integritate curam geris, *vicariis gloriosi Petri* ista conveniunt, cui Dominus pascendarum ovium injunxit officium » (inter Epistolas Hormisdæ, epist. 117).—Romanos Pontifices *Petri vicarios* nuncupatos reperies a Vigilio Papa, epistola IV ad Menam, n. 2. Item a sancto Gregorio Magno (in concilio Romano, apud Labbe, t. V, col. 1607, et apud Baronium, ad annum 601).

In epistolis Gregorii II insertam reperies formulam juramenti a S. Bonifacio episcopo emissi Romæ anno 722, in qua sic habetur : « Promitto ego Bonifacius Dei gratia Episcopus tibi beato Petro Apostolorum Principi, *Vicarioque tuo* beato Gregorio Papæ, » etc. — Nicolaus I in Epistola VIII ad Michaelem imperatorem : Nec in *vicariis beati Petri* Apostoli vobis est attendendum qui sint, sed quid pro correctione Ecclesiarum, quid pro salute vestra satagant. » — Ebbo Floriacensis Abbas, sæculo X, scribens ad Gregorium V Papam, dicit eum *beati Apostoli Petri vices nunc in terris agere* (apud Coustant, præfatio, p. 9, edit. Parisiis, 1721).

non solum apostolica, sed etiam episcopalis beatissimi dignitas Petri, qui sedi suæ præesse non desinit » (serm. IV, cap. IV, in anniversario ordinationis suæ).

Sanctus Gelasius, qui creatus est Pontifex, anno 492.

1. In epistola IV, seu *Commonitorio ad Faustum* : « Nobis opponunt canones, dum nesciunt quid loquantur. Contra quos hoc ipso venire se produnt, quod primæ sedi, sana rectaque suadenti, parere refugiunt. Ipsi sunt canones, qui *appellationes totius Ecclesiæ ad hujus sedis examen volvere deferri; ab ipsa vero nusquam prorsus appellari debere sanxerunt* : ac per hoc *illam de tota Ecclesia judicare, ipsam ad nullius commeare judicium.* Nec de ejus unquam præceperunt judicio judicari, sententiamque illius constituerunt non oportere dissolvi, cujus potius decreta sequenda mandarunt. In hac ipsa causa Timothæus Alexandrinus, et Petrus Antiochenus, Petrus, Paulus, Joannes, et cæteri, non solum unus sed plures utique nomen sacerdotii præferentes, *sola Sedis Apostolicæ sunt auctoritate dejecti;* cujus rei testis etiam ipse docetur Acacius, qui *præceptionis hujus exstitit executor*... Nobis ausi sunt facere canonum mentionem, contra quos semper ambitionibus illicitis fecisse monstrantur... Viderint ergo si alios habent canones quibus suas ineptias exequantur... Quæro tamen ab his, judicium quod prætendunt, ubinam possit agitari : an apud ipsos, ut iidem sint inimici et testes et judices ? Sed tali judicio nec humana debent committi negotia, nedum divinæ legis integritas. Si quantum ad religionem pertinet, *nonnisi Apostolicæ Sedi*, juxta canones, *debetur summa judicii totius;* si quantum ad sæculi potestatem, illa a pontificibus, et præcipue a beati Petri Vicario, debet cognoscere quæ divina sunt, non ipsa eadem dijudicare. Nec sibi hoc quisquam potentissimus sæculi (qui tamen christianus est) vindicare præsumit, nisi religionem forsitan persequens... Resipiscant potius cogitantes Christi vocem non esse superfluam, quæ confessioni beati Petri Apostoli inferni portas nunquam prævalituras asseruit. Quapropter *non veremur ne apostolica sententia resolvatur*

quam *et vox Christi*, et majorum traditio, et canonum fulcit auctoritas, *ut totam potius Ecclesiam semper ipsa dijudicet* » (Conciliorum Labbe tomo IV, col. 1168 et seq., edit. Parisiis, 1671).

2. In suis ad Anastasium imperatorem litteris : « Nosti etenim, fili clementissime, quod licet præsideas humano generi dignitate, rerum tamen præsulibus divinarum devotus colla submittis... Si cunctis generaliter sacerdotibus, recte divina tractantibus, fidelium convenit corda submitti, quanto potius *Sedis illius præsuli* consensus est adhibendus, *quem cunctis sacerdotibus et divinitas summa voluit præeminere*, et subsequens Ecclesiæ generalis jugiter pietas celebravit. Ubi pietas tua evidenter advertit, nunquam quolibet penitus humano consilio elevare se quemquam posse *illius privilegio vel confessioni*, quem Christi vox *prætulit universis*, quem Ecclesia veneranda *confessa semper est et habet* devota *primatem*... Apostolicæ vero Sedis *auctoritas*, quod cunctis sæculis Christianis *Ecclesiæ prælata sit universæ*, et canonum serie paternorum et multiplici traditione firmatur » (Conciliorum Labbe tomo IV, col. 1182 et seq., edit Parisiis, 1671).

3. In litteris suis ad Episcopos Dardaniæ : « Quæ (prima sedes, id est, Romana) et unamquamque synodum *sua auctoritate confirmat*..., pro *suo* scilicet *principatu*, quem beatus Petrus Apostolus Domini voce perceptum, Ecclesia nihilominus subsequente *et tenuit semper et retinet* » (Conciliorum Labbe, tomo IV, col. 1200, edit. Parisiis, 1671).

In aliis litteris ad Episcopos Dardaniæ : « Non reticemus autem quod cuncta per mundum novit Ecclesia : quoniam *quorumlibet sententiis ligata Pontificum sedes beati Petri Apostoli jus habeat resolvendi*, utpote quæ *de omni Ecclesia fas habeat judicandi*, *neque cuiquam de ejus liceat judicare judicio*, si quidem ad illam de qualibet mundi parte canones appellari voluerint, ab illa nemo sit appellare permissus... Sed nec illa præterimus, quod Apostolica Sedes frequenter, ut dictum est, more majorum, etiam sine ulla synodo præcedente, et absol-

vendi quos synodus inique damnaverat, et damnandi nulla existente synodo quos oportuit, habuerit facultatem. Sanctæ memoriæ quippe Athanasium synodus Orientalis addixerat; quem tamen exceptum Sedes Apostolica, quia damnationi Græcorum non consensit, absolvit » (Conciliorum Labbe tomo IV, col. 1203, edit. Parisiis, 1671).

4. In decreto suo de apocryphis scripturis, quod edidit in concilio Romano, anni 494 : « Quamvis universæ per orbem catholicæ Ecclesiæ unus thalamus Christi sint, sancta tamen Romana catholica et apostolica Ecclesia *nullis synodicis constitutis cæteris Ecclesiis prælata est, sed evangelica voce Domini et Salvatoris nostri primatum obtinuit, tu es Petrus* inquientis, *et super hanc petram...* Est ergo *prima* Petri Apostoli Sedes Romana Ecclesia, non habens maculam neque rugam, nec aliquid hujusmodi. *Secunda* autem Sedes apud Alexandriam... » (Conciliorum Labbe tomo IV, col. 1261, edit. Parisiis, 1671).

5. In Concilio Romano, anni 495, hæc effatus est sanctus Gelasius : « Sedes Apostolica, quæ *Christo Domino delegante totius Ecclesiæ retinet principatum*, pro dispensatione curaque generali, quam... » (Conciliorum Labbe, tomo IV, col. 1271, edit. Parisiis, 1671). Ex iis textibus plenissime constat sancti Gelasii persuasio de jurisdictionali Sedis Romanæ primatu.

Sanctus Anastasius II, qui creatus est Pontifex, anno 496.

1. In litteris suis ad Anastasium imperatorem : « Per ministerium humilitatis meæ, sicut semper est, Sedes Beati Petri *in universali Ecclesia assignatum sibi a Domino Deo teneat principatum* » (Conciliorum Labbe tomo IV, col. 1278, edit. Parisiis, 1671). Ibi nempe dicit, se tenere principatum in *universali Ecclesia*, sicut imperator eum tenebat *per universas gentes toto orbe;* prout patet ex contextu.

2. In litteris suis ad Clodoveum regem Francorum : « Sedes Petri in tanta occasione non potest non lætari, cum plenitudinem gentium intuetur *ad eam* veloci gradu concurrere » (ibid., col. 1282). Idem scilicet, gentes ad fidem Christianam converti, et *concurrere ad Sedem Petri*. Quod non diceret Ana-

stasius, nisi *Sedem Petri* haberet pro capite, cui omnes aliæ subjaceant.

Sanctus Symmachus, qui creatus est Pontifex, anno 498.

In litteris suis ad Cæsarium Arelatensem : « Decernimus, ut circa ea quæ tam in Galliæ quam in Hispaniæ provinciis de causa religionis emerserint, solertia tuæ fraternitatis invigilet. Et si ratio poposcerit præsentiam sacerdotum, servata consuetudine, unusquisque tuæ dilectionis admonitus auctoritate conveniat. Et si Dei adjutorio controversia incidens amputari potuerit, ipsius hoc meritis applicemus : alioquin existentis negotii qualitas ad Sedem Apostolicam te referente perveniat » (Conciliorum Labbe tomo IV, col. 1310, edit. Parisiis, 1671). Ibi vides ad Sedem Romanam tanquam ad supremum et ultimum tribunal deferendas esse causas, quæ non potuerint in concilio dirimi; id porro supponit jurisdictionalem Romani Episcopi primatum.

Sanctus Hormisdas, qui creatus est Pontifex, anno 514.

In litteris suis ad sanctum Remigium : « Vices itaque nostras per omne regnum dilecti et spiritualis filii nostri Ludovici... præsenti auctoritate committimus... Quoties universale poscit religionis causa concilium, te cuncti fratres evocante conveniant... Quidquid autem illic pro fide et veritate constitutum, vel provida dispensatione præceptum, vel personæ nostræ auctoritate fuerit confirmatum, totum ad scientiam nostram instructa relationis attestatione perveniat » (Conciliorum Labbe tomo IV, col. 1420, edit. Parisiis, 1671). Dum sic vicarium suum per Gallias, sanctum Remigium constituit, procul dubio sibi adscripsit jurisdictionis primatum.

In *regula fidei* cui subscribere jussit Orientales Episcopos : « Sequentes in omnibus apostolicam Sedem, et prædicantes omnia ejus constituta, spero ut in una communione vobiscum, quam Sedes Apostolica prædicat, esse merear, in qua est integra et verax christianæ religionis soliditas. Promittens etiam, sequestratos a communione Ecclesiæ catholicæ, id est, non consentientes Sedi Apostolicæ, eorum nomina inter sacra

non esse recitanda mysteria. Hanc autem professionem meam manu propria subscripsi, et tibi Hormisdæ sancto et venerabili Papæ urbis Romæ obtuli » (Conciliorum Labbe tomo IV, col. 1444, edit. Parisiis, 1671).

Nisi Romanam Sedem jurisdictionis primatu pollentem, simulque in definienda fide infallibilem sanctus Hormisdas existimasset, non adegisset Orientales Episcopos ad *sequendam in omnibus* illam Sedem, ad profitendam fidem ejusdem Sedis, ad habendos pro sequestratis a communione *Ecclesiæ catholicæ* quoslibet *non consentientes Sedi Romanæ*. Videri potest eadem formula in epistola Patriarchæ Constantinopolitani (apud Labbe, ibid., col. 1486).

In litteris ad legatos suos in Orientem missos : « Ubi Thessalonicam Deo juvante veneritis, epistolas nostras, quas in hac causa misimus, Episcopo Thessalonicensi tradite, illum quidem ordinem in ejus salutatione servantes, quem scitis a nobis mandatun circa eos qui *cum Sede Apostolica, hoc est, Ecclesia catholica* non communicant » (Conciliorum Labbe tomo IV, col. 1456, edit. Parisiis, 1671). Non communicare *cum Sede Romana*, idem est sancto Hormisdæ ac non communicare cum *Ecclesia catholica*. Quod profecto nec in mentem ipsi venisset, nisi pro indubitato habuisset jurisdictionalem Romanæ Sedis primatum.

In litteris suis ad Joannem Episcopum Constantinopolitanum, qui postulabat se in communionem recipi : « Quid restat, nisi ut Sedis Apostolicæ, cujus fidem te dicis amplecti, sequaris etiam sine trepidatione judicia? Igitur partibus orientalibus ostende per te quod sequantur exemplum... Cum magna denunties, et fidem beati Apostoli Petri te amplecti significes, recte credens in ea salutem nostram posse subsistere, libellum cujus continentia subter annexa est, a caritate tua subscriptum ad nos dirige » (Conciliorum Labbe tomo IV, col. 1473, edit. Parisiis, 1671). Ibi vides sedi Romanæ adscriptum privilegium, ut cæteri per orbem Episcopi ejus *fidem* ac *judicia* sequi teneantur; item ut debeant subscribere formulis

fidei quas eis subscribendas injungit Romanus Episcopus. Quod sane idem est ac jurisdictionis primatum sibi vindicare.

In litteris ad legatos suos in Orientem missos : « Peragite ut Thessalonicensis Episcopus.... a principe ad Urbem (Romam) directus, ab apostolica percipiat sede doctrinam ; et quidquid sibi dubium putet, huc veniens præsenti a nobis inquisitione condiscat. Sic enim probare protest se catholicæ professionis servare cautelam, non malitiose concepta vindicare certamina. Sciat nos paratos esse et bene inquirentes instruere, et errantes ad fidei rectum tramitem scientia duce revocare » (Conciliorum Labbe tomo IV, col. 1508, edit. Parisiis, 1671). Qui sic loquitur, profecto jurisdictionis primatum sibi vindicat.

In aliis litteris ad Legatos suos, de Dorotheo Thessalonicensi Episcopo : « Principi debetis insistere, ne (Dorotheus) in eamdem civitatem (Thessalonicam) denuo revertatur; sed *episcopatus honore deposito*, ab eodem loco et Ecclesia longius relegetur; vel certe huc ad Urbem (Romam) sub prosecutione congrua dirigatur. Ad hanc etiam partem vigilare debetis, ne in locum ejus Aristides totius mali incentor et conscius quibuslibet subreptionibus ordinetur...; sed *talem virum debetis eligere*, ut judicio vestro cuncta catholicorum congregatio gratuletur » (Conciliorum Labbe tomo IV, col. 1510, edit. Parisiis, 1671). Ibi sanctus Hormisdas jus sibi tribuit Dorotheum Thessalonicensem Episcopum deponendi, et alium ei per legatos suos substituendi. Quid id aliud quam jurisdictionis primatum sibi vindicare ac exercere?

In litteris suis ad Justinum imperatorem, qui postulaverat ut non exigeret Hormisdas cætera defunctorum hæreticorum, præter Acacii, nomina e dypticis expungi : « Et quis hoc possit admittere, ut ad illa per pacem credamur adduci, ad quæ non potuimus discordiæ necessitate compelli?... Nunc austeriorem me quisquam dicat esse prioribus... Diligentiorem me, non pertinaciæ studium, sed scandala secuta fecerunt. Forte inter initia locus esse potuit lenitati... Sed quanquam

his urgemur angustiis, tamen... ad fratrem et coepiscopum nostrum Epiphanium scripta transmisimus, ut... quos dignos susceptione esse crediderit, et alienos a communione quam respuimus, innocentes eos ad societatem suæ communionis admittat, libelli tamen qui a nobis interpositus est tenore servato » (Conciliorum Labbe tomo IV, col. 1551, edit. Parisiis, 1671). Ibi se gerit sanctus Hormisdas tanquam jurisdictionis primatum obtinens in universalem Ecclesiam; et ad eum quatenus talem, in hoc negotio, recurrunt Orientales.

Joannes II, qui creatus est Pontifex, anno 532.

In suis ad imperatorem Justinianum litteris : « Inter claras sapientiæ ac mansuetudinis vestræ laudes, christianissime Princeps, puriore luce tanquam aliquod sidus irradiat, quod... Romanæ Sedis reverentiam conservatis, et *ei cuncta subjicitis*, et *ad ejus deducitis unitatem* ad cujus auctorem, hoc est apostolorum primum, Domino loquente præceptum est : *Pasce oves meas;* quam esse *omnium vere Ecclesiarum caput*, et Patrum regulæ, et principum statuta declarant, et pietatis vestræ reverendissimi testantur affatus » (Conciliorum Labbe tomo IV, col. 1745, edit. Parisiis, 1671). Ibi apertissime declaratum habes jurisdictionalem Romani Episcopi in universas Ecclesias primatum.

In litteris suis ad universos Galliarum Episcopos : « Innotuit nobis a fraternitate vestra missa relatio, in qua contumeliosus multis legitur criminibus involutus. Et quia hujusmodi persona sacris non potest inhærere mysteriis, ab hodierno vel officio *eum nostra censet removere auctoritas*, ut in monasterio constitutus delicti veniam a Domino petere non omittat... In ejus loco visitatorem dari, *præsenti auctoritate decernimus;* qui a se ita noverit omnia exhibenda, ut nihil de ordinibus clericorum, nihil de ecclesiastica facultate præsumat, sed ea quæ ad sacrosancta mysteria pertinent exequatur » (Conciliorum Labbe tomo IV, col. 1754, edit. Parisiis, 1671).

Ad clerum autem diœcesis cui præerat Contumeliosus Episcopus, scripsit Joannes II in hunc modum : « Et quia hujusmodi sceleribus implicatus sacerdotii non potest ministeria jam tractare, necessaria vobis solatia credimus visitatoris adjungere : et ideo in Ecclesia ejus visitatorem dari *nostra decrevit auctoritas*, ut Ecclesia suo privata præsule summi nequeat Pontificis solatiis indigere. Cui vos in omnibus parere decernimus... Omnem vero hanc sollicitudinem Cæsario fratri et coepiscopo nostro injungimus, ad cujus curam cuncta quæ necesse sint pertinere censuimus » (ibid., col. 1755). Et ibi habes apertissimum jurisdictionalis primatus exercitium.

Sanctus Agapetus I, qui creatus est Pontifex, anno 535.

In litteris suis ad Africanos Episcopos, qui de nonnullis eum quæstionibus consuluerant : « Sicut et sapientes facere decebat et doctos, immemores *principatus apostolici* non fuistis; sed quæstionis illatæ volentes vincula dissolvere, ab ejus Sede requisivistis (sicut decebat) aditum, cui potestas est indulta claustrorum (Conciliorum Labbe tomo IV, col. 1791, edit. Parisiis, 1671).

In litteris suis ad Cæsarium Arelatensem scribens, sic disponit quoad Episcopum Contumeliosum qui ad Sedem Apostolicam appellaverat : « Delegaturi enim, Deo juvante, sumus examen. . Visitatoriam in ejus loco præcipimus ordinari personam, et patienter expectare judices, quos inspirante nobis Domino constituerimus audire » (ibid., col. 1798 et 1801).

Vigilius, qui creatus est Pontifex, anno 540.

1. In litteris suis ad Mennam Episcopum Constantinopolitanum : « Quid est caritati tuæ dignius honoris quod conveniat, nisi a Romanorum præsulum non deviare doctrina » (Conciliorum Labbe tomo V, col. 318, edit. Parisiis, 1671)?

2. In litteris suis ad Auxanium Arelatensem Episcopum : « Si... a Sedis Apostolicæ in nullo deviaveris constitutis, sicut scriptum est, coronam sine dubitatione percipies, quam dedit Deus diligentibus se » (ibid., col. 320).

3. In litteris quibus eumdem Auxanium constituit Sedis Apostolicæ quoad Gallias vicarium : « Sicut nos... vices nostras libentissima voluntate contulimus, ita fraternitatem tuam convenit... tantæ Sedis auctoritate digna conversatione uti... Si quæ ergo inter fratres et coepiscopos nostros, in locis vestræ caritati præsenti auctoritate commissis... dissensiones emerserint, adhibitis vobiscum sacerdotibus numero competenti, causas canonica et apostolica æquitate discutite, ea modis omnibus prolato judicio finituri, quæ Deo placitis decessorum nostrorum possint regulis convenire. Si qua vero certamina *aut de religione fidei*, quod Deus auferat, aut de *quolibet negotio quod ibi pro sui magnitudine terminari non possit*, evenerint, totius veritatis indagine diligenti ratione discussa, relationis ad nos seriem destinantes, *Apostolicæ Sedi terminanda servate*. Ut... pax quæ Salvatoris voce collata est Ecclesiæ Dei, quæ una est in toto orbe diffusa, stabili firmitate servetur, nec antiqui hostis possit taxatione vexari, *in illius petræ*, Christi Dei Domini et Salvatoris nostri erectione, firmata stabilitate persistens. Quæ cuncta ut fraternitas vestra melius per Dei gratiam possit implere, *universis Episcopis quibus te præesse voluimus*, auctoritatis nostræ est serie declaratum. Nullus ergo de Pontificibus *tuæ per has vices ordinationi commissis*, sicut et ad eos data loquitur *nostra præceptio*,... audeat, » etc. (ibid., col. 320).

4. In litteris ad Episcopos Galliæ, quibus declarat constitutum Auxanium Sedis Apostolicæ vicarium : « Quantum nos divina potentia apostolorum primi Sedem... habere constituit, tantum nos *de universarum Ecclesiarum dispositione et pace et statu curam habere convenit*... Quapropter Auxanio fratri et coepiscopo nostro, Arelatensis civitatis antistiti, vices nostras caritas vestra nos dedisse cognoscat » (ibid., col. 322).

5. In rescripto ad Eleutherium Episcopum : « Ad Romanam Ecclesiam summa Episcoporum negotia et judicia atque querelæ quasi ad caput semper referenda sunt » (Christ. Lupus, tomo V, pag. 340).

6. In decreto damnationis, quam pronuntiavit contra Cæsariensem, Constantinopolitanum, et alios orientales Episcopos : « Ex persona et auctoritate beati Petri Apostoli, cujus, licet exigui, nos locum gerimus... hac te Theodorum, Cæsareæ Cappadociæ civitatis quondam Episcopum, sententiæ promulgatione, tam sacerdotali honore et communione catholica, quam omni officio Episcopali seu potestate spoliatum esse decernimus ; nullis te vacare ulterius rebus nisi pœnitentiæ lacrymis censentes : quibus percepta remissione culparum, locum communionemque tuam aut a me, aut post obitum meum a successore meo (si merueris) indulgentia recipias. Teque Mennam Constantinopolitanæ civitatis Episcopum, qui non dissimili culpa constringeris, cum omnibus metropolitanis et micropolitanis Episcopis ad tuam diœcesim pertinentibus, sed et tuos orientales... tamdiu a sacra communione suspendimus, donec unusquisque vestrum errorem suæ prævaricationis agnoscens, culpam apud nos propriam competenti satisfactione diluerit » (Conciliorum Labbe tomo V, col. 336, edit. Parisiis, 1671). Hanc sententiam pronuntiavit Vigilius cum esset in terra aliena, id est, Constantinopoli. Ibi nempe, in Ecclesia sancti Petri (ad quam confugerat, ut ministrorum imperatoris violentias declinaret) convocatis quos potuit latinis Episcopis, acerrimam hanc depositionis et excommunicationis sententiam edidit. Cum ei quis dedisset alapam, dicens : *Homicida, nescis quibus loqueris*, nec se tutum Constantinopoli existimaret, aufugit trans Calchedonem, ibique in Ecclesia sanctæ Euphemiæ degens, scripsit de his epistolam, *universo populo Dei* inscriptam; quam encyclicam vide apud Labbe (loc. cit., col. 328). Ad hoc tam manifestum jurisdictionalis primatus exercitium, quid Justinianus imperator, quid Orientales Episcopi? Sese Vigilio subjecerunt. Justinianus scilicet promulgata et appensa de tribus capitulis edicta removeri jussit, et nihil de iis ante generalem synodum, prout Vigilius præceperat, tractari mandavit. Cæsariensis Episcopus libello supplici veniam

a Pontifice petiit. Idem præstitit Constantinopolitanus antistes. Eosque Vigilius ad pœnitentiam et communionem suscepit.

Pelagius I, qui creatus est Pontifex, anno 555.

In litteris suis ad Narsetem patricium et ducem in Italia : « De his quæ vobis præsentibus ibi fieri stupemus, fiducialiter apud gloriam vestram duximus conquerendum. Thracius siquidem atque Maximilianus, nomina tantum Episcoporum habentes, et ecclesiasticam ibi unitatem perturbare dicuntur, et... Ob quam causam Petrum presbyterum Sedis nostræ, sed et Projectum notarium ad eadem loca duximus destinandos, ut ea quæ canonicis statutis a prædictis pseudoepiscopis compererint commissa, vel *digna debeant ibi ultione compescere*, *vel eosdem ad nos usque perducere*... Petimus ut præfatis qui a nostra Sede directi sunt, in omnibus præbeatis auxilium » (Conciliorum Labbe tomo V, col. 791, edit. Parisiis, 1671). Jurisdictionis sane primatum sibi vindicat qui sic misso a se presbytero cum notario facultatem confert Episcopos longe positos judicandi ac coercendi; vel eos Romam deducendi, ut ibi judicium subeant.

In aliis ad eumdem Narsetem litteris, edocet ac documentis probat Pelagius, non esse persecutionem, si schismatici coerceantur, etiam per laicam potestatem : « Malum autem schisma esse et per exteras etiam potestates hujusmodi homines debere opprimi, et canonicæ scripturæ auctoritas, et paternarum regularum nos veritas docet. » Pro quo adducit Calchedonensem canonem, nec non sancti Augustini sententiam. Tum sic pergit : « De Liguribus ac Veneticis et Istriis Episcopis quid dicam? Quos idonea est excellentia vestra et ratione et potestate reprimere, et dimittitis eos in contemptum Apostolicarum Sedium de sua rusticitate gloriari : cum, si quid eos de judicio universalis synodi, quod Constantinopoli per primam nuper elapsam indictionem actum est, forte movebat, *ad Sedem Apostolicam* (quomodo factum est) electis aliquibus de suis, qui dare et accipere rationem possent,

dirigere debuerunt; et non clausis oculis Corpus Dei nostri, hoc est sanctam Ecclesiam, lacerare... Agnoscitur, ut facientes scissuras in sancta Ecclesia, non solum exiliis, sed etiam proscriptione rerum et dura custodia per publicas potestates debeant coerceri » (Conciliorum Labbe t. V, col. 792 et 793, edit. Parisiis, 1671). Istis Episcopis crimini vertit Pelagius, quod recens habitum generale concilium ex proprio suo judicio rejecerint, et non sese, quoad id subjecerint Romanæ Sedis judicio. Quo sane simul asserit ejusdem Romanæ Sedis primatum.

In aliis ad eumdem Narsetem litteris de coercendis Mediolanensi et Aquileiensi Episcopis: « Quoties aliqua de universali synodo aliquibus dubitatio nascitur, ad recipiendam de eo quod non intelligunt rationem, aut sponte ii qui salutem animæ suæ desiderant *ad Apostolicam Sedem pro recipienda ratione conveniant;* aut si forte ita obstinati et contumaces extiterint ut doceri non velint, eos ab eisdem apostolicis sedibus aut attrahi ad salutem quoquo modo necesse est, aut (ne aliorum perditio esse possint) secundum canones per sæculares comprimi potestates » (Conciliorum Labbe t. V, col. 794, edit. Parisiis, 1671). Non tenerentur cæteri Episcopi ad Romanum recurrere pro recipienda generalium synodorum intelligentia, nisi Romanus Episcopus jurisdictionis primatum obtineret, cui omnes cæteri subesse debeant.

Pelagius II, qui creatus est Pontifex, anno 577.

In litteris suis ad Episcopum Antisiodorensem : « Si enim mundo venerabilem judicatis hanc urbem (Romam), si ad pacem Sedis Apostolicæ cunctarum regere moderamina Ecclesiarum prædicatis, cur non et tribulationes nostras... caritatis compassione gemiscitis » (Conciliorum Labbe t. V, col. 939, edit. Parisiis, 1671)?

In aliis ad eumdem litteris : « Quantum Deo placitos Sedis Apostolicæ veneratione vos redditis, tanto... nec aliter unam solamque Dei confitemur Ecclesiam, nisi omnes ad petram super quam fundata est fides catholica construamur » (ibid., col. 954).

Sanctus Gregorius Magnus, qui creatus est Pontifex anno 590.

In litteris suis ad Episcopos Numidiæ : « Et nos ergo, qui, licet indigni, *Dominici agri culturam suscepimus*... Petiistis... ut omnes vobis retro temporum consuetudines servarentur... Et nos quidem consuetudinem, quæ tamen contra fidem catholicam nihil usurpare dignoscitur, immotam permanere *concedimus*, sive de primatibus constituendis, cæterisque capitulis; exceptis his qui ex Donatistis ad episcopatum perveniunt, quos provehi ad primatus dignitatem *modis omnibus prohibemus* » (Conciliorum Labbe t. V, col. 1073, edit. Parisiis, 1671). Dum sanctus Gregorius in Africanis Ecclesiis aliquid *concedit*, aliud *prohibet*, et sibi *Dominici agri* (id est universalis Ecclesiæ) *culturam* vindicat, procul dubio suum jurisdictionalem primatum asserit ac exercet.

In litteris suis ad Joannem Episcopum primæ Justinianæ, qui damnationis sententiam injuste pronuntiaverat in Hadrianum Thebanæ civitatis Episcopum : « Cassatis prius atque ad nihilum redactis prædictæ sententiæ tuæ decretis, ex beati Petri principis apostolorum auctoritate decernimus, triginta dierum spatio te sacra communione privatum... Quod si hanc sententiam nostram te cognoverimus implesse remissius, non jam tantum injustitiam, sed et contumaciam fraternitatis tuæ cognoscas, adjuvante Domino, severius puniendam. Præfatum vero Hadrianum fratrem et coepiscopum nostrum... in suum locum atque ordinem reverti Christo comitante disponimus » (Conciliorum Labbe t. V, col. 1102, edit. Parisiis, 1671). Ibi etiam habes manifestum supremæ jurisdictionis exercitium.

In litteris suis ad Alexandrinum et Antiochenum Patriarchas : « Joannes in Constantinopolitana urbe ex causa alia occasionem quærens synodum fecit, in qua se universalem appellare conatus est. Quod mox idem decessor meus ut agnovit, directis litteris ex *auctoritate sancti Petri apostoli ejusdem synodi acta cassavit*... Cujus ego quoque sententiam sequens,

similia prædicto consacerdoti nostro scripta transmisi » (ibid., col. 1187). Habet profecto Romanus Pontifex primatum, si penes ipsum sit acta synodalia orientalium Episcoporum cassare. Quem etiam primatum arguit ad omnes Galliarum episcopos epistola, qua Arelatensi antistiti suas vices committit (ibid., col. 1206).

Quod omnes post sanctum Gregorium Romani Pontifices jurisdictionis primatum in universas Ecclesias sibi vindicaverint, vel ipsi fatentur et manifestum concedunt hæretici. Unum aut alterum subnectimus.

Hadrianus Papa, qui creatus est Pontifex, anno 772, ad Carolum Francorum regem scribens :

« Evangelium scientibus liquet, quod voce dominica sancto et omnium apostolorum principi Petro claves regni cœlorum et totius Ecclesiæ cura commissa est. Ipsi quippe dicitur : *Petre, amas me? Pasce oves meas.* Ipsi dicitur : *Ecce Satanas... confirma fratres tuos.* Ipsi dicitur : *Tu es Petrus... solutum erit et in cœlo.* Ecce *cura ei totius Ecclesiæ et principatus* committitur. Et ipse vices suas vicariis suis pontificibus relinquere dignoscitur *Ecclesiæ curam gerendi.* Nam etiam claves regni cœlestis accepit, et potestas ei ligandi et solvendi tribuitur » (Labbe, Conciliorum tomo VII, col. 915, edit. Parisiis, 1671).

Sanctus Nicolaus, qui creatus est Pontifex anno 858.

1. In litteris suis ad Photium : « Et quia universitas credentium ab hac sancta Romana Ecclesia, quæ caput omnium est Ecclesiarum, doctrinam exquirit, integritatem fidei deposcit, criminum solutionem qui digni sunt et gratia Dei redempti exorant, oportet nos, quibus commissa est, sollicitos esse » (Conciliorum Labbe tomo VIII, col. 283, edit. Parisiis, 1671).

« Decretalia autem, quæ a sanctis Pontificibus primæ Sedis Romanæ Ecclesiæ sunt instituta, *cujus auctoritate atque sanctione omnes synodi et sancta concilia roborantur et stabilitatem sumunt*, cur vos non habere... dicitis » (ibid., col. 285)?

2. In litteris ad imperatorem Michaelem : « Verum si dies antiquos... ad memoriam ducitis, quanta veneratione Sedem beati Petri prædecessores vestri celebraverint... profecto reperietis : denique ut *in universalibus synodis quid ratum vel quid prorsus acceptum, nisi quod Sedes beati Petri probavit* (ut ipsi scitis) *habetur;* sicut e contrario *quod ipsa sola reprobavit, hoc solummodo consistat hactenus reprobatum* » (Conciliorum Labbe t. VIII, col. 291, edit. Parisiis, 1671).

3. In aliis ad imperatorem Michaelem litteris : « Non Nicæna, non denique ulla synodus quodquam Romanæ contulit Ecclesiæ privilegium; quæ (Nicæna synodus) in Petro noverat eam (Romanam Ecclesiam) *totius jura potestatis pleniter meruisse, et cunctarum Christi ovium regimen accepisse* » (Conciliorum Labbe t. VIII, col. 315, edit. Parisiis, 1671).

« Cum secundum canones, ubi est major auctoritas, judicium inferiorum sit deferendum, ad dissolvendum scilicet vel roborandum, patet profecto Sedis Apostolicæ, *cujus auctoritate major non est*, judicium a nemine fore retractandum, *neque cuiquam de ejus liceat judicare judicio.* Siquidem ad illam de qualibet mundi parte canones appellari voluerunt, *ab illa autem nemo sit appellare permissus* » (ibid., col. 319).

CAPUT III

ARGUMENTUM E CÆTERORUM PATRUM TESTIMONIIS.

Sanctus Irenæus, qui missus est in Galliam anno 157.

« Ad hanc enim Ecclesiam (Romanam), propter *potiorem principalitatem, necesse est omnem convenire Ecclesiam*, hoc est eos qui sunt undique fideles » (Contra Hæreses, libro III, capite III, pagina 175, edit. Massuet, 1710). Ibi sanctus Irenæus non tantum asserit, quoad omnes totius orbis fideles, *necessitatem* profitendi fidem quam docet Ecclesia Romana, sed insuper hujusce necessitatis rationem dat; quæ ratio hæc est : quia

Ecclesia Romana habet *potiorem principalitatem*. Porro habere *potiorem principalitatem*, idem est ac habere *jurisdictionis primatum* in cæteras totius orbis Ecclesias; nec potuit vel unquam poterit ejusmodi primatus clariori formula exprimi. Enimvero si *principalitatem*, seu (quod idem est) *principatum* dumtaxat Ecclesiæ Romanæ vindicasset sanctus martyr, utcumque objici posset aliis etiam Ecclesiis, *principatum* in vero quodam licet restricto sensu competere, videlicet Ecclesiis patriarchalibus Alexandrinæ et Antiochenæ, quæ multas metropolitanas Ecclesias sibi subjectas habebant. Sed addidit, Ecclesiæ Romanæ *principatum* esse *potiorem*, id est, *superiorem*. Porro ut *potior* seu superior dici possit, necesse est ut sit primatus in universalem Ecclesiam. Quod cæteroquin ipsemet Irenæus expresse declarat, dum addit, *omnes qui sunt undique fideles* teneri, ob istam *potiorem principalitatem*, *ad convenien-dum* cum Ecclesia Romana.

Sanctus Cyprianus, qui factus est Episcopus anno 248.

1. « Navigare audent, et ad *Petri cathedram* atque *ad Ecclesiam principalem*, *unde unitas sacerdotalis orta est*, a schismaticis et profanis litteras ferre; nec cogitare eos esse Romanos quorum fides apostolo prædicante laudata est, ad quos perfidia habere non possit accessum » (Epistola lv, ad Cornelium Papam). Ibi sanctus Cyprianus Sedi Romanæ adscribit *primatum*, siquidem eam vocat *Ecclesiam principalem*. Quod autem non intelligat principatum mere honorificum, sed primatum jurisdictionis, colligitur e subsequentibus verbis : *unde unitas sacerdotalis orta est*. Agitur quippe de unitate inter sacerdotes, id est, Episcopos; quæ unitas Ecclesiæ catholicæ in eo consistit quod excludantur hæreses per unitatem unius veræ fidei, et schismata per debitam superioribus subjectionem ac obedientiam. Et asserit Cyprianus unitatem illam ex Ecclesia Romana *esse ortam*. Porro nisi cæteri Episcopi Romano Episcopo subjecti fuerint, ita ut teneantur ipsi fidem docenti et præcipienti obtemperare, falsum foret unitatem Episcoporum *ortam esse ex Ecclesia Romana*. Nam semel posito quod

ecclesiæ cæteræ non teneantur Romanæ Sedi fidem præcipienti et leges disciplinares edicenti obtemperare, non magis potuit Ecclesia Romana unitatem inter Episcopos producere ac perenniter retinere, quam Ecclesia Carthaginensis aut quælibet alia. Si nempe in mundo aliqua sit particularis Ecclesia cujus doctrinæ adhærere et regimini subesse omnes aliæ teneantur, illa vere dici poterit *origo unitatis*, seu dici poterit unitatem *ab ipsa oriri*. At si nulla talis extet, de nulla dici cum veritate potest *ortam* ab ipsa fuisse sacerdotalem unitatem.

2. « Qui cathedram Petri, supra quem fundata est Ecclesia, deserit, in Ecclesia esse confidit » (*De unitate Ecclesiæ*, p. 154, editionis Pamelii) ? Quod genuinus sit ille textus, etsi in editione Balusii non reperiatur, vide apud Ballerinium (*De vi ac ratione primatus*, c. XIII, § 3, n° 1). Evincit autem hæc Cypriani sententia Romani Episcopi jurisdictionalem primatum. Nam si Ecclesiam catholicam deserat quisquis *cathedram Petri*, id est, Sedem Romanam, deserit, sequitur quoad omnes totius orbis fideles necessitas Romanam Sedem *non deserendi*. At vero Sedem Romanam deserit qui vel fidem ejus respuit, vel obedientiam ei denegat. Igitur tenentur omnes Romanæ Sedi, fidem et leges edicenti, obtemperare. Sed hoc ipso illi Sedi competit jurisdictionis primatus in universam Ecclesiam. Præterea primatum istum arguunt verba hæc, *super quem fundata est Ecclesia*. Non enim intelligit Cyprianus fundatam esse Ecclesiam super Petrum, quoad paucos annos quibus Petrus in terris vixit; sed intelligit fundatam super ipsum, quatenus in successoribus permanentem per transmissam in ipsos auctoritatem suam. Proinde intellexit Cyprianus fundatam Ecclesiam universalem in Sedis Romanæ auctoritate, a Petro accepta. Jam vero Sedi Romanæ nullatenus competeret ratio illa *fundamenti*, nisi valeret totam Ecclesiam firmam sustentare, id est, impedire ne per hæreses et schismata corruat. Id porro non valeret, nisi Ecclesiæ cæteræ tenerentur ei subesse, seu nisi jurisdictionis primatum obtineret.

3. « Placuit ut... per omnes omnino istic positos litteræ fierent (sicut fiunt) ut te universi collegæ nostri et *communicationem tuam*, *id est*, *catholicæ Ecclesiæ unitatem* pariter et charitatem probarent firmiter ac tenerent » (Epistola XLV, ad Cornelium Papam, pagina 85 editionis Pamelii). Prænotandum hic non nihil ad textus intelligentiam. Sparsi nempe fuerant falsi rumores de anticanonica Cornelii electione. Statim autem ac sanctus Cyprianus compertam habuit hujusce electionis canonicitatem, procuravit ab omnibus Africæ Præsulibus communionis litteras sancto Cornelio transmitti. De quo certiorem facit Cornelium in citata epistola, his verbis : Placuit ut universi collegæ *te* et *communicationem tuam*, *id est*, *catholicæ Ecclesiæ unitatem*, firmiter tenerent. Porro verba hæc Sedis Romanæ jurisdictionalem primatum exprimunt. Nam si *tenere communionem Papæ Cornelii*, idem sit ac *tenere catholicæ Ecclesiæ unitatem*, sequitur necessitas quoad omnes mundi Episcopos ac fideles permanendi in communione Romani Episcopi, nisi velint ab Ecclesiæ catholicæ unitate resecari. Sed hoc ipso tenentur totius orbis fideles Romano Pontifici fidem præcipienti et disciplinæ leges edicenti obtemperare; quia nisi obediant, potest suam eis communionem denegare, et sic eos ab *Ecclesiæ catholicæ unitate* resecare. Jam vero hæc Romani Episcopi potestas idem omnino est ac jurisdictionis primatus in universam Ecclesiam, ut patet.

4. In suis ad Stephanum Papam litteris, de Marciano Arelatensi qui Novatiano hæretico adhæserat : « Dirigantur in provinciam et ad plebem Arelatæ consistentem a te litteræ, quibus, abstento Marciano, alius in locum ejus substituatur » (Epist. LXVI, editionis Gauthier, Parisiis, 1836). Persuasum igitur Cypriano jus Romano Pontifici competere, episcopos etiam longe positos excommunicandi ac deponendi. Ipsi proinde indubitatus ejusdem Romani Pontificis jusdictionalis primatus in universam Ecclesiam.

5. « Miseramus nuper collegas nostros... ut ad catholicæ Ecclesiæ unitatem scissi corporis membra componerent...

Sed quoniam diversæ partis obstinata et inflexibilis pertinacia, non tantum radicis et matricis sinum atque complexum recusavit, sed etiam... adulterum et contrarium caput extra Ecclesiam fecit... » (Epistola ad Cornelium XLI, in editione Pamelii ; — in *Patrologia* Migne tomo III, col. 703). Agitur ibi de Novatianis. Ut horum schismaticorum reditum ad *Ecclesiæ catholicæ* unitatem procuraret Cyprianus, Romam miserat nonnullos Africanos Episcopos, qui in id operam impenderent. Sed Novatiani recusarunt *radicis* et *matricis* sinum atque complexum ; immo sibi constituerunt *caput* adulterum extra Ecclesiam, id est, Novatianum. Hoc dicit Cyprianus in citato textu. Porro verba hæc Romanæ Sedis jurisdictionalem primatum arguunt. Nam dicit Cyprianus eos schismaticos non rediisse ad *Ecclesiæ catholicæ unitatem*, quia recusaverant sinum *radicis* et *matricis*, et quia sibi constituerant *caput* huic radici et matrici *contrarium*. Ibi profecto per *radicem* et *matricem* intelligit Romanam Ecclesiam ; et supponit *caput* legitimum (contra quod sibi aliud *adulterum* Novatiani constituerant) esse ipsummet Cornelium papam, cui sese subjicere iidem Novatiani renuerant. Igitur censebat Cyprianus, Ecclesiam Romanam esse *radicem* et *matricem* totius Ecclesiæ catholicæ ; et sicut Novatianus fuit *caput extra Ecclesiam*, ita Romanum Episcopum esse *caput in Ecclesia ;* et eos qui adhærent *radici* ac *matrici*, id est, Romanæ Ecclesiæ, necnon legitimo *capiti*, id est Romano Episcopo, esse *in unitate Ecclesiæ catholicæ ;* eos vero qui sic non adhærent, esse extra Ecclesiam catholicam. Proinde agnoscebat Cyprianus jus Sedis Romanæ exigendi ab omnibus totius orbis fidelibus, ut sibi tanquam *capiti* adhæreant ac subjaceant. Jus autem istud secum infert jurisdictionis primatum, ut patet.

6. Eamdem Cypriani doctrinam manifestam facit ipsius liber, *de Unitate* inscriptus, cujus hæc summa est.

Primo, videns diabolus idololatriam derelinqui, excitavit hæreses : « Quid vero astutius quam ut... videns ille idola de- « relicta et per nimium credentium populum sedes suas ac

« templa deserta, excogitaverit novam fraudem?... Hæreses « invenit et schismata, quibus subverteret fidem, veritatem « corrumperet, scinderet unitatem » (*Patrologia* Migne, t. IV, col. 497).

Secundo, inquirit Cyprianus ac declarat quomodo fiant ac facile dignosci valeant hæreses et schismata : « Hoc eo fit, « fratres dilectissimi, dum ad veritatis originem non reditur, « nec caput quæritur, nec Magistri cœlestis doctrina servatur. « Quæ si quis consideret et examinet, *tractatu longo* atque « argumentis opus non est. Probatio est ad fidem *facilis* com- « pendio veritatis. Loquitur Dominus ad Petrum : *Ego tibi* « *dico*, inquit, *quia tu es Petrus et super hanc petram ædificabo* « *Ecclesiam meam, et portæ inferorum non vincent eam. Et* « *tibi dabo claves regni cœlorum : et quæ ligaveris super ter-* « *ram, erunt ligata et in cœlis; et quæcumque solveris super* « *terram, erunt soluta et in cœlis*. Et iterum eidem post resur- « rectionem suam dicit : *Pasce oves meas*. Super illum unum « ædificat Ecclesiam suam, et illi pascendas mandat oves « suas. Et quamvis apostolis omnibus post resurrectionem « suam parem potestatem tribuat et dicat : *Sicut misit me* « *Pater*..., tamen ut unitatem manifestaret, unam cathedram « constituit, unitatis ejusdem originem ab uno incipientem « sua auctoritate disposuit. Hoc erant utique et cæteri Apos- « toli quod fuit Petrus, pari consortio prædíti et honoris et « potestatis; sed exordium ab unitate proficiscitur, et *prima-* « *tus Petro datur*, ut una Christi Ecclesia et cathedra una « monstretur... Hanc Ecclesiæ unitatem qui non tenet, tenere « se fidem credit? Qui Ecclesiæ renititur et resistit, qui ca- « thedram Petri, super quem fundata est Ecclesia deserit, in « Ecclesia esse confidit » (ibid., col. 498)?

Tertio, explanat quo sensu episcopatus *unus* sit et *una* Ecclesia, videlicet : sicut multi sunt radii solis, licet lumen unum; et multi rivi, licet fons unus; et multi rami arboris, licet radix una.

Jam vero exquiramus quisnam sit genuinus hujusce Cypria-

nicæ doctrinæ sensus. Scopus ejus est ut tradat methodum *brevissimam et facilem* ad dignoscendas vitandasque hæreses ac schismata. Hanc autem methodum in eo ponit quod *redeatur ad originem veritatis*, *quæratur caput* et *Magistri cœlestis doctrina servetur*. Et deinde tria hæc, id est, *originem veritatis*, *caput*, et *Christi* hac de re *doctrinam*, supponit apertissime occurrere in verbis a Christo ad Petrum directis. Quæ verba postquam recitavit, ratiocinium suum ita concludit : « Super *illum unum* ædificat Ecclesiam suam et illi pascendas mandat oves suas ; » et supponit hoc sufficere ut fideles plenissime discernant ubi sit vera Christi Ecclesia, ubi hæreticorum et schismaticorum synagoga. Porro ejusmodi sancti martyris ratiocinium absurdum prorsus foret ac ineptissimum, nisi intelligeret Romanum Episcopum, Petri successorem, esse *illum unum* super quem ædificata stat Christi Ecclesia, et cui *pascendæ oves* mandatæ sunt ; item nisi intelligeret, eos esse in vera Christi Ecclesia qui Romano Episcopo consentiunt et obediunt, et fidelibus sufficere ad dignoscenda veræ Christi Ecclesiæ membra, ut ad hoc solum attendant, an scilicet adhæreant necne ac subsint Romano Episcopo. Nam si rem ita non intellexisset Cyprianus, non indicasset, prout promiserat, *facilem* methodum ad dignoscenda veræ Ecclesiæ membra ; immo nullum omnino solvendæ difficultatis medium edocuisset. Quid enim prodest quod Christus super *unum* Petrum ædificaverit Ecclesiam suam, si mortuo Petro, Ecclesiæ ac earum Præsules sint ab invicem independentes ? Posito quod dissentiant in fide, quodnam supererit medium discernendi ubi vera Christi doctrina retineatur ? Si tanquam medium indicasset Cyprianus majoris Episcoporum partis consensionem, methodum non *brevem* et *facilem*, ut promiserat, at saltem aliquam indigitasset. Verum illam nullatenus indicat ; sed putat sufficere ut attendatur ad hoc : Super *unum* Petrum Ecclesiam fundatam, et ipsi pascendas oves fuisse commissas.

Præterea elucet ista Cypriani mens, in diluendis difficul-

tatibus quæ *facili* ipsius methodo objici potuissent. Nimirum objici poterat *parem* potestatem aliis etiam apostolis tributam. Cui respondet : *Unam cathedram constituit* (Christus), *ut unitatem manifestaret*. Sensus obvius est : ut Christus *manifestum* et scitu facile redderet ubi sit unitas, id est, vera Ecclesia, constituit *unam cathedram*, cui cæteræ omnes adhærere ac subesse deberent. Et sic revera *facilis* est ad dignoscendam veram Ecclesiam methodus.

Item objici poterat, *æqualis* honoris et potestatis fuisse apostolos. Ad quod respondens Cyprianus, non moratur in explicando quonam id sensu verum sit, sed statim ponit quod ad scopum suum faciebat, videlicet : *primatum Petro datum* fuisse ; et addit hoc ita factum *ut monstraretur*, id est, ut facile ab omnibus discerni posset Ecclesia, quæ *una* seu sola est Ecclesia Christi ; itemque cathedra, quæ *una* seu sola est, cui omnes aliæ, statuente Christo, consentire teneantur. Hunc Cypriani sensum cætera subjuncta confirmant.

Objicies 1°. — Dicit ibidem Cyprianus : *Episcopatus unus est cujus a singulis in solidum pars tenetur*. Ergo falsum est aliquem a Christo constitutum fuisse totius Ecclesiæ Episcopum.

Respondeo : Episcopatum ita revera constitutum a Christo fuisse, ut debeant esse *multi* Episcopi, et non *unicus*. Item in isto episcopatu multis Episcopis constante, verum est, ex institutione Christi, a singulis *partem* hujus totius *teneri ;* ac de ipso Romano Episcopo vere dici potest teneri ab ipso *partem episcopatus*, non totum episcopatum. Et tandem verum est a singulis episcopis suas singulas episcopatus partes teneri *in solidum ;* eo sensu nempe quod omnes, suam quisque particularem Ecclesiam regendo, concurrant universali totius Ecclesiæ regimini. — Sed hoc nequaquam impedit quin unus Episcopus, ex institutione Christi, jurisdictionem in alios omnes habeat, ita ut huic uni subesse teneantur. Nam ex eo quod Romanus Episcopus cæteris superior sit, non sequitur eos non esse veros episcopos, aut posse per Romanum Episcopum cæteros ita removeri ac supprimi, ut ipse solus sit in Ecclesia

transmissus et in Sede Romana perseverans; et sensus est non ausos esse Nicænos Patres quidquam statuere de *Romanæ Sedis potestate*, quia noverant *omnia* huic Sedi Romanæ in persona Beati Petri *Domini sermone concessa* fuisse. Insanabilis profecto cæcitatis foret, qui assertum ibi non videret Romani Pontificis jurisdictionalem primatum. — Præterea expresse in eadem epistola dicit sanctus Bonifacius I : « Ideo *tenet Sedes Apostolica principatum*, ut querelas omnium licentes acceptet. » Et paulo infra : « *Ordinationi nostræ pareat quisquis se Episcopum recognoscit.* »

4. In litteris suis ad Rufum et omnes per Illyricum Episcopos : « Manet Beatum Apostolum Petrum per sententiam dominicam *universalis Ecclesiæ* ab hoc *sollicitudo suscepta;* quippe quam, Evangelio teste, in se noverit esse fundatam. Nec unquam ejus honor vacuus potest esse curarum, cum certum sit *summam rerum ex ejus deliberatione pendere*. Quæ res animum meum usque ad Orientis loca, quæ per ipsam sollicitudinem quodammodo videmus, extendunt » (apud Coustant, *Epistolæ Romanorum Pontificum*, col. 1039, edit. Parisiis, 1721). Ibi seipsum designat sub nomine *Petri*, ut ex contextu liquet; proinde *universalis Ecclesiæ sollicitudinem* seu jurisdictionalem primatum sibi vindicat.

Paulo infra, sic eos redarguit Episcopos, qui non acquieverant pronuntiatæ ab ipso sententiæ quoad Perigenem : *Nemo unquam Apostolico culmini, de cujus judicio non licet retractari, manus obvias audacter intulit : nemo in hoc rebellis extitit, nisi qui de se voluit judicari* (ibid., col. 1042).

Sanctus Cœlestinus I, creatus Pontifex anno 422.

1. In litteris suis ad Episcopos Viennensis ac Narbonnensis provinciæ : « Cuperemus quidem de vestrarum Ecclesiarum ita ordinatione gaudere, ut congratularemur potius de profectu, quam aliquid admissum contra disciplinam ecclesiasticam doleremus. Ad nostram enim lætitiam et benefacta perveniunt, et mœroris aculeis nos quæ fuerint male facta compungunt. *Nec silere possumus*, cum ad hoc ut ab illicitis

revocemus aliquos, *officii nostri provocemur instinctu, in speculis a Deo constituti*, ut vigilantiæ nostræ diligentiam comprobantes, et *quæ coercenda sunt resecemus, et quæ observanda sunt sanciamus. Circa quamvis longinqua spiritualis cura* non deficit, sed se *per omnia qua nomen Dei prædicatur* extendit » (apud Coustant, *Epistolæ Romanorum Pontificum*, col. 1066, edit. Parisiis, 1721). Ibi aperte sibi tribuit sanctus Cœlestinus *officium* et *curam resecandi* quæ coercenda sunt, et *sanciendi* quæ sunt observanda. Nec minus aperte id quoad *universum orbem* sibi vindicat; quod idem omnino est ac primatum jurisdictionis sibi vindicare.

2. In litteris suis ad universos Apuliæ et Calabriæ Episcopos : « Quisquis vero conatus fuerit tentare prohibita, sentiet censuram Sedis Apostolicæ minime defuturam. Quæ enim sola admonitionis auctoritate non corrigimus, necesse est per severitatem congruentem regulis vindicemus. Per totas hoc, quæ propriis rectoribus carent, ecclesias volumus innotescat » (apud Coustant, *Epistolæ Romanorum Pontificum*, col. 1074, edit. Parisiis, 1721). Non ita loquitur nisi superior ad inferiores, nisi qui certam supponit suam in eos jurisdictionem.

3. In litteris suis ad sanctum Cyrillum, ei injungit ut Nestorium Sedis Romanæ auctoritate excommunicet, ac in ejus locum Constantinopoli alium Episcopum constituat; atque suam ad id auctoritatem ipsi delegat : « Auctoritate igitur tecum nostræ Sedis adscita, *nostra vice usus*, hanc exsequeris districto vigore sententiam : ut aut intra decem dies, ab hujus conventionis die numerandos, pravas prædicationes suas scripta professione condemnet, et hanc se de Nativitate Christi Dei nostri fidem tenere confirmet, quam Romana, et tuæ sanctitatis Ecclesia, et universalis devotio tenet; aut nisi hoc fecerit, mox sanctitas tua illi Ecclesiæ provisura, a nostro eum corpore modis omnibus sciat esse removendum... Eadem autem scripsimus et ad sanctos fratres et coepiscopos nostros, Johannem, Rufum, Juvenalem et Flavianum; ut nota sit de

Romano Episcopo primatum. Quasi nempe diceret : cum semel dato primatu Romanæ Sedi, non possit esse *unitas* seu vera Ecclesia, nisi in iis qui huic Sedi consentiunt, unitas hæc *manifesta* fit, seu eam *facile* ex hoc solo potestis discernere. *Facile* siquidem est scire quinam sint in communione cum Romano Episcopo, quinam ab ejus communione rescissi fuerint. Hæc simplicissima, et non alia fuit, sicut Optati, ita Cypriani doctrina.

Sanctus Pacianus, Barcinonensis Episcopus, qui obiit anno 390, sic habet epistola III : « Ipso referente Matthæo, paulo superius, ad Petrum locutus est Dominus; *ad unum ideo*, *ut unitatem formaret ex uno*, mox idipsum in commune præcipiens. » Agitur de potestate ligandi et solvendi, quam Christus, et seorsim soli Petro, et deinde ipsi ac aliis apostolis contulit. Rationem autem cur Christus ad solum Petrum primo hæc dixerit, hanc esse asserit Pacianus, *ut unitatem formaret ex uno*. Igitur formatur seu producitur Ecclesiæ catholicæ unitas *ex uno*. Porro non sic produceretur illa unitas, nisi iste *unus*, jurisdictionis primatum in omnes alios obtineret, ita ut cæteri teneantur ipsi consentire ac obsequi. Nam in hypothesi quod cæteri omnes Episcopi non subsint *uni*, vel liberum cuique erit independenter ab aliis pro arbitrio suo docere et diœcesim suam regere, vel tenebitur quilibet pro lege habere quod statuerit major Episcoporum numerus. Si prius, non exurget *unitas*, sed id quod est unitati quam maxime oppositum, perfecta scilicet singulorum independentia. Si posterius, non exurget unitas *ex uno*, sed ex multis simul consentientibus. Dum ergo docet Pacianus, voluisse Christum *unitatem formare ex uno*, hoc ipso supponit et docet isti *uni* jurisdictionis primatum in alios omnes collatum fuisse. Quis autem iste unus, nisi Petri successor, Romanus Episcopus?

Sanctus Ambrosius, qui obiit anno 397 : « Ipse est Petrus cui dixit : Tu es Petrus et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. *Ubi ergo Petrus*, *ibi Ecclesia*. Ubi Ecclesia, ibi nulla mors, sed vita æterna » (Enarratione in Psalmum XL,

n° 30, tomo I, col. 879, edit. Maurit.). Vult ibi sanctus Ambrosius edocere quænam sit vera Christi Ecclesia, et quomodo ab hæreticorum synagoga discerni possit. Pro quo hanc fidelibus regulam tradit : *Ubi Petrus, ibi Ecclesia.* Porro inepta prorsus fuisset regula hæc, nisi intellexisset, per *Petrum*, psius in Sede Romana successorem, auctoritatis Petri hæredem. Nam non potuit intelligere præsentiam Petri in sensu physico, si quidem in hoc sensu jam Petrus nullibi in terris erat. Sed neque potuit intelligere istud *ubi Petrus* de doctrina quam olim vivens Petrus tradiderat, ita ut sensus sit, *ubi retinetur doctrina quam olim tradidit Petrus, ibi est vera Ecclesia.* Nam hæretici omnes contendunt retineri a se traditam a Christo et a Petro et ab aliis apostolis genuinam doctrinam. Et ita contendi ab hæreticis ævi sui (verbi gratia, a Novatianis) apprime sciebat sanctus Ambrosius. Igitur dicendo fidelibus, *ubi Petrus ibi Ecclesia*, incertum reliquisset ubinam esset vera Christi Ecclesia. Debuissent nempe fideles inquirere de genuina doctrina olim a Petro tradita, et indagare num illi doctrinæ melius concordarent Novatiani quam Mediolanensis Romanusve Antistes. Cum ergo intenderit sanctus Ambrosius regulam facilem fidelibus tradere ad discernendam veram Christi Ecclesiam, necesse est ut per *Petrum* ibi intellexerit auctoritatem Romani Episcopi, quatenus populos regentem et eos sibi subditos ac consentientes habentem. Ita ut sensus sit : *ubi Petrus*, id est, in illa credentium adunatione cui præsidet Petrus in successore suo Romano Pontifice et quæ eidem Romano Pontifici docenti et gubernanti obsequitur, *ibi* vera Christi *Ecclesia.* Semel autem admisso illo sensu, qui nonnisi stolide negari posset, necessario sequitur jurisdictionalis Romani Episcopi primatus; siquidem tum tenentur omnes Romani Pontificis auctoritati obsequi, si velint in vera Ecclesia Christi remanere.

Synodus Capuensis ad Theophilum Patriarcham Alexandrinum ventilandam remiserat causam Flaviani Patriarchæ Antiocheni. Suis ad Theophilum hac de re litteris eum sic

hortatur sanctus Ambrosius : « Sane referendum arbitramur ad sanctum fratrem nostrum Romanæ sacerdotem Ecclesiæ... Ut nos quoque accepta vestrorum serie statutorum, *cum id gestum esse cognoverimus quod Ecclesia Romana haud dubie comprobaverit*, læti fructum hujusmodi examinis adipiscamur » (Operum tomo III, col. 1172, edit. Migne). Certum nempe supponit sanctus Ambrosius, sententiam synodicam, a Patriarcha Alexandrino circa Flavianum pronuntiandam, subjiciendam esse Romano Pontifici, et vi vacuam fore, nisi eam *Ecclesia Romana haud dubie comprobaverit*. Quod idem profecto est ac jurisdictionalem primatum Sedi Romanæ adscribere.

In sermone de obitu fratris sui Satyri, sic habet sanctus Ambrosius : « Advocavit ad se Episcopum, nec ullam veram putavit nisi veræ fidei gratiam; percunctatusque ex eo est, utrumnam *cum Episcopis catholicis, hoc est, cum Romana Ecclesia* conveniret. Et forte ad id locorum in schismate regionis illius Ecclesia erat » (Operum tomo II, pag. 1126, editionis Maurit.). Nimirum Satyrus, post naufragium, in quemdam locum appulerat, ubi voluit sacramentum baptismatis recipere. Sed metuens ne hujusce regionis Episcopus forte schismaticus esset, ipsum interrogavit, « an conveniret *cum Episcopis catholicis, hoc est, cum Romana Ecclesia.* » Igitur idem Satyro et Ambrosio erat *convenire cum Ecclesia Romana*, ac *convenire cum Ecclesia catholica*. Ergo pro certa habebant necessitatem conveniendi cum Romana Ecclesia, ita ut rejecti a communione Romanæ Sedis, hoc ipso ab Ecclesia catholica resecarentur. Proinde penes Romanam Sedem stat ita fidem tenendam et disciplinæ leges edicere, ut valeat inobedientes extra Ecclesiam catholicam pellere. Sed idipsum est jurisdictionalis primatus in universam Ecclesiam.

Sanctus Epiphanius, natus anno 310, mortuus anno 403. « Ursacius et Valens pœnitentiam agentes, una cum libellis profecti sunt ad beatum Julium Romanum Episcopum pro ratione reddenda de suo errore et delicto » (Hæresi LXVIII). Ad hunc textum sic Bellarminus : « Certe isti Episcopi erant.

Cur igitur a Romano Pontifice veniam petebant, si non est Romanus Pontifex etiam Episcoporum judex et caput » (*de Romano Pontifice*, l. II, c. XV)?

Sanctus Athanasius, qui obiit anno 373. In libro *De sententia Dionysii* (Migne, *Patrologia græca*, tomo XXV, col. 499) : « Quidam ex Ecclesia fratres, sanæ quidem doctrinæ homines, non sciscitati tamen eum (*Dionysium Alexandrinum*) qua d causa ita scripsisset, Romam se contulere, illumque apud cognominem Dionysium Romanum Episcopum accusarunt. » Agitur de Alexandrino Patriarcha Dionysio. Eum in scriptis suis errasse putantes probi ac sanæ doctrinæ viri, se Romam conferunt, et eum accusant apud Romanum Episcopum. Cur scilicet, nisi quia sciebant Romanum Episcopum esse communem omnium Episcoporum judicem?

Marcellus Ancyrensis Episcopus, anno 342, hæc ad sanctum Julium Papam scribebat : « Cum nonnulli ex iis qui quod non recte crederent antea condemnati sunt, quique a me in Nicæna synodo convicti sunt, contra me ad pietatem tuam scribere non dubitaverint, me non recte neque secundum Ecclesiæ doctrinam sentire... propterea *necessario mihi Romam veniendum* et te commonendum putavi, *quo eos qui contra me scripserunt accerseres*... Sed cum illi venire noluerint, tametsi presbyteros ad ipsos miseris, » etc. (apud Coustant, *Epistolæ Romanorum Pontificum*, p. 390). Ibi vides quomodo Romanus Episcopus esset supremus aliorum judex, eosque Romam ad tribunal suum judicandos accerseret.

Sanctus Hieronymus, qui obiit anno 420. « Propterea inter duodecim unus eligitur, ut capite constituto schismatis tollatur occasio » (Libro primo *adversus Jovinianum*, n° 26). Non tolleretur schismatis occasio, si caput mere honorificum, id est absque jurisdictionis primatu, a Christo constitutum fuisset.

« Ego nullum primum nisi Christum sequens, Beatitudini tuæ, id est, cathedræ Petri, communione consocior. Super illam petram ædificatam Ecclesiam scio. Quicumque extra

hanc domum agnum comederit, profanus est. Si quis in arca Noe non fuerit, peribit regnante diluvio... Non novi Vitalem, Meletium respuo, ignoro Paulinum. Quicumque tecum non colligit, spargit » (Epistola ad Damasum Papam, tomo IV, col. 19, editionis Benedictinorum sancti Mauri). Erat Hieronymus Antiochenus presbyter. Erat Paulinus Antiochenus Patriarcha. Et tamen sese agnoscit Hieronymus ovem Romani Episcopi; et declarat se potius Episcopo Romano adhærere velle quam Paulino vel cuilibet alteri; et docet ita teneri omnes ad consentiendum Romanæ Sedi, ut secus facientes certo perituri sint. Non poterat luculentius exprimi jurisdictionalis Romanæ cathedræ primatus.

Leontius Arelatensis Episcopus, in suis litteris ad S. Hilarum, qui creatus est Pontifex anno 471 : « Cum Ecclesia Romana sit *omnium mater*, fuit nobis gaudendum quod... super eam te (Dominus) erexerit, ut *judices populos* in æquitate, et *gentes in terra dirigas* » (Conciliorum Labbe t. IV, col. 1828, edit. Parisiis, 1671).

Sanctus Chrysostomus, qui obiit anno 407. Theophilus, Alexandrinus Patriarcha, depositionis sententiam contra S. Chrysostomum in concilio multorum Episcoporum pronuntiaverat. Scripsit Chrysostomus ad sanctum Innocentium Papam, postulans ut auctoritate sua hocce Theophili judicium irritum decerneret : « Verum, inquit, sicut prius dixi, ea quæ perperam fiunt, non solum deploranda, sed *et corrigenda sunt;* et ideo caritatem vestram obsecro, ut provocetur ad condolendum, *faciendumque omnia quo mala hæc sistantur* » (Conciliorum Labbe t. II, col. 1296, edit. Parisiis, 1671). « Studium vestrum et magnam diligentiam adhibete, *quo retundatur* hæc quæ in Ecclesias irrupit iniquitas » (ibid., col. 1300). « Obsecro ut *scribatis*, quod hæc tam inique facta..., *non habeant robur...*; illi autem qui inique egerunt pœnæ ecclesiasticarum legum subjaceant » (ibid.). Vides quam aperte agnosceret Chrysostomus Romani Episcopi potestatem, cæterorum præsulum, etiam Patriarcharum, judicia corrigendi ac annul-

landi. Fecit Innocentius quod postulaverat Chrysostomus. Excommunicavit Theophilum, imperatorem Arcadium, Eudoxiam, et substitutum Chrysostomo præsulem. A qua tamen excommunicatione postmodum absolvit supplicantem Arcadium et Eudoxiam, prout videre est apud Labbe (Conciliorum t. II, col. 1308 et 1309, edit. Parisiis, 1671).

Imperator Valentinianus, anno 445, ut brachii sæcularis auxilio fulciret sententiam sancti Leonis Papæ contra Hilarium Arelatensem pronuntiatam, hocce decretum edidit : « Cum *Sedis Apostolicæ primatum* sancti Petri meritum, qui princeps est episcopalis coronæ et Romanæ dignitas civitatis, sacræ etiam synodi firmarit auctoritas, ne quid præter auctoritatem Sedis istius inlicitum præsumptio adtentare nitatur. Tunc enim demum Ecclesiarum pax ubique servabitur, si *rectorem suum* agnoscat universitas... Hilarius, Ecclesiæ Romanæ urbis inconsulto Pontifice indebitas sibi ordinationes Episcoporum sola temeritate usurpans invasit... His talibus, per ordinem religiosi viri Urbis Papæ cognitione discussis, certa in eum... lata sententia est. Et erat quidem ipsa sententia per Gallias etiam sine imperiali sanctione valitura. *Quid enim tanti Pontificis auctoritati in Ecclesias non liceret?*... Hac perenni sanctione decernimus ne quid, tam episcopis gallicanis quam aliarum Provinciarum, contra consuetudinem veterem, liceat *sine viri venerabilis Papæ urbis æternæ auctoritate* tentare ; *sed illis omnibusque pro lege sit quidquid sanxit vel sanxerit Apostolicæ Sedis auctoritas* » (apud Sirmond, tomo I, pag. 85). Indubius sane Valentiniano Romani Episcopi jurisdictionalis primatus.

Sozomenus, qui obiit circa annum 450 (libro III, capite VIII, in *Patrologia* Migne, t. LXVII, col. 1051), enarrat quomodo sanctus Athanasius et alii plures Orientis Episcopi, ab Arianis depositi, Romam confugerint. Tum ita subjungit : « Episcopus igitur Romanus cum singulorum causas cognovisset, omnesque in Nicænæ fidei doctrinam consentientes reperisset, tanquam idem cum ipso sentientes in communionem re-

cepit. *Et quoniam propter Sedis dignitatem, omnium cura ad ipsum spectabat, suam cuique Ecclesiam restituit.* Οἷα δὲ τῆς πάντων κηδεμονίας αὐτῷ προσηκούσης διὰ τὴν ἀξιαν τοῦ θρόνου, ἑκάστῳ τὴν ἰδίαν ἐκκλησίαν ἀπεδωκε. Scripsit etiam Orientalibus Episcopis, reprehendens eos quod in supradictorum causis non recte judicassent et quod ecclesiarum statum turbarent, eo quod decretis concilii Nicæni minime acquiescerent. Simulque paucos ex illorum numero *ad constitutum diem adesse jussit*, qui docerent justam ab ipsis prolatam fuisse sententiam : minatusque est se in posterum non passurum, nisi a novandi studio absisterent. Et Julius quidem ista scripsit. Athanasius autem et Paulus suas sedes receperunt, et epistolas Julii ad Orientales miserunt Episcopos. »

Socrates, natus circa annum 380 (Hist. libro II, cap. xv, in *Patrologia* Migne, t. LXVII, col. 211), loquens de sancto Athanasio et aliis qui Romam confugerant : « Ubi, cum Julio Romanæ urbis Episcopo causam suam exposuissent, ille, *quæ est Romanæ Ecclesiæ prærogativa*, liberioribus litteris eos communitos in Orientem remisit, *singulis sedem suam restituens*, simulque perstringens illos qui supradictos Episcopos temere deposuissent. Ὁ δὲ, ἅτε προνόμια τῆς ἐν Ῥώμῃ εκκλησίας ἐχούσης, παρῥησιαστικοῖς γράμμασιν ὠχύρωσεν αὐτοὺς..., τὸν οἰκεῖον ἑκάστῳ τόπον ἀποδιδούς. » Verba, quæ sublineavimus, probant quam indubitata Socrati et Sozomeno fuerit Romani Episcopi jurisdictio in universam Ecclesiam.

Ibidem, capite xvii : « Cum ecclesiastica regula interdictum sit, ne *præter sententiam Romani Pontificis quidquam ab ecclesiis decernatur.* Τοῦ ἐκκλησιαστικοῦ κανόνος κελεύοντος μὴ δεῖν παρὰ γνώμην τοῦ ἐπισκόπου Ῥώμης κανονίζειν τὰς ἐκκλησίας. » Hæc etiam verba Romani Pontificis jurisdictionalem primatum apertissime adstruunt.

Patarensis Episcopus, de quo sic refert Liberatus (in *Breviario*, cap. xxii, in *Patrologia* Migne, t. LXVIII, col. 1040) : « Sed Silverio veniente Pataram, venerabilis Episcopus civitatis ipsius venit ad imperatorem, et judicium Dei contesta-

tus est de *tantæ Sedis* Episcopi expulsione, multos esse dicens in hoc mundo reges, et *non esse unum sicut ille Papa est super Ecclesiam mundi totius*, a sua sede expulsus. Quem audiens imperator, revocari Romam Silverium jussit. »

Theodoretus Cyrensis Episcopus, qui obiit anno 458, in suis ad S. Leonem Papam litteris (in *Patrologia græca* Migne, epistola CXIII, tomo LXXXIII, col. 1313) : « Si Paulus, præco veritatis, tuba Spiritus sancti, ad magnum Petrum se contulit..., quanto magis nos humiles et pusilli ad Apostolicam Sedem vestram accurrimus, ut Ecclesiarum ulceribus remedium a vobis accipiamus. *Vobis enim primas in omnibus tenere convenit.* Διὰ πάντα γὰρ ὑμῖν πρωτεύειν ἁρμόττει. » Ibidem narrat Theodoretus quomodo Alexandrinus Patriarcha ipsum injuste condemnaverit. Tum ita subjungit : « *At ego Apostolicæ vestræ Sedis expecto sententiam, et oro atque obtestor sanctitatem tuam, ut mihi ad rectum ac justum tribunal vestrum provocanti opem ferat, jubeatque ad vos venire...* Ante omnia ut a vobis docear oro, an me oporteat in hac injusta depositione acquiescere, an non : vestram enim sententiam expecto. Quod si in judicatis manere me jusseritis, manebo » (ibid., col. 1315 et 1318).

In epistola ejusdem Theodoreti, ad Renatum, Ecclesiæ Romanæ presbyterum (*Patrologiæ græcæ* Migne t. LXXXIII, col. 1323) : « Oro sanctitatem tuam, sanctissimo et beatissimo Archiepiscopo persuadeat ut apostolica potestate utatur et ad concilium vestrum advolare præcipiat. *Habet enim sanctissima illa Sedes Ecclesiarum quæ in toto sunt orbe principatum.* Ἔχει γὰρ ὁ πανάγιος Θρόνος ἐκεῖνος τῶν κατὰ τὴν οἰκουμένην ἐκκλησίῶν τὴν ἡγεμονίαν. »

Idem Theodoretus, in *Historia ecclesiastica* (libro II, cap. III, in *Patrologia græca* Migne, tomo LXXXII, col 995) : « Ad Romanum enim Episcopum, Julium videlicet, Eusebiani compositas in Athanasium calumnias perscripserant. Is vero, *ecclesiasticam sequens regulam*, et ipsos Romam venire jussit, et divino Athanasio ad judicium diem condixit. Qui simul

ac citationem accepit, in viam quamprimum se dedit. »

Sanctus Prosper, qui floruit medio sæculo quinto, libro *de Ingratitudine :* « Sedes Roma Petri, quæ *pastoralis honoris facta caput mundo*, quidquid non possidet armis relligione tenet. » Idem in libro *de Vocatione gentium*, capite VI : « Roma per sacerdotii principatum amplior facta est arce religionis quam solio potestatis. »

Sanctus Vincentius Lirinensis, in suo *Commonitorio*, quod edidit anno 435 : « Lectæ sunt ibidem quædam ad quosdam epistolæ S. Felicis martyris, et sancti Julii, urbis Romæ Episcoporum. Et ut non solum *caput orbis*, verum etiam latera illi judicio testimonium perhiberent, adhibitus est a meridie beatissimus Cyprianus, a septentrione sanctus Ambrosius, » etc.

S. Cæsarius Arelatensis, qui obiit anno 542 : « Sicut a persona beati Petri Apostoli episcopatus sumit initium, ita necesse est ut disciplinis competentibus sanctitas vestra singulis Ecclesiis, *quid observare debeant*, evidenter ostendat. In Gallia siquidem provincia ab aliquibus personis ecclesiastica prædia diversis titulis alienantur... hoc postulamus ut *fieri prohibeat Apostolicæ Sedis auctoritas*... Hæc omnia *ultione districtionis vestræ fieri prohibete* » (Epistola ad Symmachum Papam, apud Labbe, Conciliorum tomo IV, col. 1294, edit. Parisiis, 1671).

Orientales Episcopi, circa annum 502 in epistola ad Symmachum Papam : « Sicut docuit beatus gloriosorum apostolorum princeps, cujus cathedram beatitudini tuæ credidit Christus... festina ad adjuvandum nos... Non in ligando tantum potestas est tibi data, sed in solvendo quoque... Non enim ignoras ejus ingenium, qui quotidie a sacro doctore tuo Petro doceris *oves Christi per totum habitabilem mundum creditas tibi* pascere, non vi, sed sponte coactas » (Conciliorum Labbe tomo IV, col. 1304, edit. Parisiis, 1671).

Libellus Symmacho papæ oblatus, pro parte Cæsarii Arelatensis Episcopi, circa annum 502 : « Quantum in *omnibus*

Ecclesiarum Pontificibus quæ in toto orbe diffusæ sunt Apostolica Sedes sibimet vindicat *principatum*, et *synodalibus decretis firmior ejus præcellit auctoritas*, tantum potestatis suæ provisione dudum a sese concessa debet inconcussa servare, quatenus Arelatensis Ecclesia fruatur privilegiis suis » (Conciliorum Labbe tomo IV, col. 1310, edit. Parisiis, 1671). Ibi vides Romani episcopi auctoritatem quorumlibet etiam conciliorum decretis *firmiorem*.

Joannes Nicopolitanus Episcopus, in epistola ad S. Hormisdam Papam, qui creatus est Pontifex anno 514 : « Juxta consuetudinem Apostolicæ Sedis vestræ, *quæ cunctarum Ecclesiarum curam habet*, et Nicopolitanorum habere dignemini » (Conciliorum Labbe t. IV, col. 1438, edit. Parisiis, 1671).

Sanctus Avitus Viennensis, ad S. Hormisdam Papam, anno 517 : « Dum... perspicitis convenire, ut *gregem per tota vobis universalis Ecclesiæ membra commissum*, etc. (Conciliorum Labbe t. IV, col. 1445, edit. Parisiis 1671). « Quæsumus... ut quid filiis vestris fratribus meis, id est, Gallicanis, si consulant, respondere debeam, instruatis : quia jam securus, non dicam de Viennensi, sed de totius Galliæ devotione pollicear, omnes vestram super statu fidei captare sententiam (ibid.). »

Monachi Syriæ, ad S. Hormisdam Papam : « Ad vestram beatitudinem refugere velut de hieme et tempestate ad portum tranquillitatis admoniti, etc... Quoniam vero Christus Deus noster *principem pastorum* et doctorem et medicum animarum *constituit vos*... » (Conciliorum Labbe tomo IV, col. 1461, edit. Parisiis, 1671).

Imperator Justinus, ad S. Hormisdam, anno 520 : « Ordinavimus ut venerabilis Ecclesia Constantinopolitana, necnon complures aliæ *vota suscipiant vestra*... in auferendis etiam nominibus ex sacris diptychis, quæ removenda *maxime postulastis*. Verum nonnullæ fuerunt urbes... quarum clerici vel populi... nequaquam flexi sunt ut tollant Antistitem et repellant nomina, quorum apud eos opinio floruit... Quid igitur faciamus hujusmodi pertinaciæ?... *Veniam itaque no-*

minum postulamus (Conciliorum Labbe tomo IV, col. 1541, edit. Parisiis, 1671). Cum veniam petant, id est, facultatem servandorum in diptychis nominum, quæ Hormisdas expungi jusserat, ejus agnoscunt jurisdictionalem primatum.

Possessor Episcopus Africanus, ad Hormisdam, anno 520 : « Decet et expedit ad *capitis* recurrere medicamentum, quoties agitur de sanitate membrorum. Quis enim majorem circa subjectos sollicitudinem gerit, aut *a quo magis est nutantis fidei stabilitas spectanda*, quam ab ejus Sedis præside, cujus primus a Christo rector audivit : Tu es Petrus... » (Conciliorum Labbe t. IV, col. 1529, edit. Parisiis, 1671).

Stephanus, Larissæ Metropolitanus, et alii orientales Episcopi. Anno 531 accusatus fuerat Stephanus apud Epiphanium Constantinopolitanum Episcopum ; qui, licet nullam jurisdictionem haberet in Metropolim Larissæ civitatis, utpote in Illyrico sitam, nihilominus procuravit Stephanum Constantinopolim violenter adduci, et contra ipsum, quamvis ad Sedem Romanam appellasset, depositionis sententiam pronuntiavit. Appellationem Stephani, necnon quatuor aliorum Thessaliæ Episcoporum recepit sanctus Bonifacius II Papa, in concilio Romano anni 531, cujus acta causam illam in extenso exhibent (Conciliorum Labbe t. IV, col. 1691 et seq., ed. Parisiis, 1671). Ex libellis supplicibus, tum Stephani, tum aliorum, Romano Episcopo exhibitis, pauca quæ sequuntur subnectimus : « Nul« lus ecclesiasticus ordo illam vestram, quæ a Salvatore « omnium et primo pastore vobis est conlata, potest præcel« lere potestatem... Ego vero nec accusatorum nec aliquorum « conatus metuens, sed... ad principatum sanctarum Eccle« siarum traditum vobis respiciens, mox inter acta dixi : ut si « oporteret me ad aliquem accusantem respondere... causam « me dicere necesse est ; sed alibi, apud quem sacrorum ca« nonum lex custoditur, et usque hactenus consuetudo serva« tur ; memoriam faciens vestri sancti capitis et Apostolicæ « Sedis ; dicens, vos esse dominos hujus examinationis » (ex priore libello supplici Stephani Episcopi, loco cit., col. 1691).

« Continuo ei dixi : Apostolicam Sedem, id est, vestram « beatitudinem, causas nostræ provinciæ et audire convenit « et finire... Supplicabam ne auctoritas Sedis Apostolicæ quæ « a Domino Nostro Jesu Christo et a sacris canonibus data est, « in aliquo violaretur... Supplicabam ut non ante sententia « diceretur, quam quæ acta sunt ad vos beatissimos referan- « tur, ut inde vestra causæ discussio servaretur... Etenim « dixi, quia auctoritas Sedis Apostolicæ, quæ a Deo et Salva- « tore nostro summo apostolorum data est, omnibus sancta- « rum Ecclesiarum privilegiis antecellit » (ex posteriore libello supplici, ibidem, col. 1695).

« Sed prædictus (Stephanus...) sæpius inter alia contesta- « tus est..., quia non licet eos istam audientiam adsumere, « et quammaxime aliquid decernere; sed Apostolicæ Sedis id « convenire beatitudini. Illi autem contemnentes... immise- « ricordem sententiam protulerunt... Pro his enim et vestram « appellamus beatitudinem et Apostolicam Sedem ; et per « eam ter beatum Petrum atque sanctæ Ecclesiæ primum « pastorem Christum Dominum nostrum audire et adorare « credimus » (ex libello supplici Episcoporum Provinciæ Thessaliæ, ibid., col. 1698).

Lectis hisce libellis, unus ex Episcopis Thessaliæ, in concilio præsens, dixit : « Ex relectione libellorum vestra cognovit « beatitudo quæ acta sunt contra sanctos canones, et ordina- « tionem decessorum vestrorum. Nam *constat venerandos « Sedis vestræ Pontifices, quamvis in toto mundo Sedes Aposto- « lica Ecclesiarum sibi jure vindicet principatum, et solam eccle- « siasticis causis undique appellare necesse sit*, specialiter tamen « gubernationi suæ Illyrici ecclesias vindicasse. Et nota sunt « vobis omnium præcedentium scripta Pontificum. Verum- « tamen quarumdam epistolarum exemplaria profero » (ibid., col. 1699).

Justinianus imperator. 1. « Dominus a vobis, *utpote summis pastoribus*, exacturus est universorum salutem, qui poterunt esse salvi firmata concordia. » In Epistola, quam, nondum

imperator, ad S. Hormisdam Papam direxit (Conciliorum Labbe t. IV, col. 1548, edit. Parisiis, 1671).

2. « Omnia quæ ad Ecclesiarum statum pertinent, festinavimus ad notitiam deferre vestræ sanctitatis... Nec enim patimur quidquam, quod ad Ecclesiarum statum pertinet, quamvis manifestum et indubitatum sit quod movetur, ut non etiam vestræ innotescat sanctitati, *quæ caput est omnium sanctarum Ecclesiarum* » (Epistola imperatoris Justiniani, ad Joannem II Papam, anno 533. Conciliorum Labbe tomo IV, col. 1743, edit. Parisiis, 1671).

In illa epistola postulat Justinianus, ut rescribat summus Pontifex num recte dicatur, *Jesum Christum esse unum de trinitate;* prout tenent, inquit, « omnes sequentes sanctitatem vestram et custodientes *unitatem* sanctarum Dei Ecclesiarum, *quam habent ab Apostolica vestræ sanctitatis Sede.* » Et paulo post : « Manifestum nobis faciatis, quod omnes qui prædicta recte confitentur suscipit vestra sanctitas; et eorum qui judaice ausi sunt rectam denegare fidem, condemnat perfidiam. Plus enim ita et circa vos omnium amor et vestræ Sedis crescet auctoritas, et *quæ ad vos est unitas sanctarum Ecclesiarum*, inturbata servabitur. » Ibi vides quam indubitatum imperatori Justiniano fuerit, *unitatem catholicam* a consensione cum Ecclesia Romana totam dependere, nec aliter haberi posse.

3. In professione fidei, quam idem imperator Justinianus obtulit sancto Agapeto I, anno 536, sic habetur : « Prima salus est rectæ fidei regulam custodire, et a Patrum traditione nullatenus deviare : quia non potest Domini nostri Jesu Christi prætermitti sententia dicentis : *Tu es Petrus*... Hæc quæ dicta sunt rerum probantur effectibus : quia in Sede Apostolica *inviolabilis semper catholica custoditur religio*... Quapropter, sicut præfati sumus, *sequentes in omnibus Sedem Apostolicam*, quæ ab ea statuta sunt prædicamus. Et profitemur ista inconcusse servari; et *compellere* ut juxta tenorem libelli istius omnes faciant Episcopi : *Ut sanctissimi quidem*

patriarchæ ad vestram faciant sanctitatem : Metropolitani vero Patriarchis : et alii ut suis faciant Metropolitanis : quatenus per omnia sancta catholica nostra Ecclesia habeat firmitatem » (Conciliorum Labbe tomo IV, col. 1801, edit. Parisiis, 1671). Hæc fidei formula est illa ipsa quam ab Orientalibus subscribi jubebat Sedes Romana. Addit dumtaxat Justinianus se velle *compellere* omnes Episcopos ut similiter faciant ; videlicet Patriarchæ Romanæ Sedi ; Metropolitani respectivis suis Patriarchis ; Metropolitanis reliqui antistites. Quoad hoc nempe sæcularis brachii auxilium promittebat Romano Pontifici.

Idem Justinianus in suo codice (l. I, tit. I, lege VII) : « Neque enim patimur ut quidquam eorum quæ ad ecclesiasticum spectant statum, non etiam ad ejus (sanctissimi Papæ veteris Romæ) referatur beatitudinem, *cum sit caput omnium sanctissimorum Dei sacerdotum.* »

Objicies. — Edidit Justinianus decreta de fide et de rebus ecclesiasticis ; ergo non agnoscebat Romani Pontificis jurisdictionalem in omnes primatum.

Respondeo. — Edidit ejusmodi decreta, sed *de consensu Episcoporum, ac Romanæ Sedis;* ac proinde non ex sua, sed ex ecclesiastica potestate ; unde non aliud sibi arrogabat, quam huic ecclesiasticæ potestati sæcularis brachii auxilium præstare. Expressum hac de re habemus testimonium in epistola quam ei rescripsit Joannes Papa II, ubi sic legere est : « Fidelibus populis proposuistis edictum amore fidei, pro submovenda hæreticorum intentione, secundum Apostolicam doctrinam, *fratrum et coepiscoporum nostrorum interveniente consensu :* quod, *quia apostolicæ doctrinæ convenit, nostra auctoritate confirmamus* » (Conciliorum Labbe tomo IV, col. 1745, edit. Parisiis, 1671). « Hoc loco intelligis, ait Binius, Justinianum imperatorem ex sententia Episcoporum cuncta de fide edicta statuisse et promulgasse, ipsumque Romanæ Ecclesiæ Episcopum, velut primarium catholicæ Ecclesiæ antistitem, consuluisse, num omnia pie, sancte et orthodoxæ fidei convenienter constituta fuissent » (ibidem, col. 1748).

Cassiodorus, Romæ prætorii præfectus, in suis ad Joannem Papam II litteris : « Monete me quæ sunt gerenda sollicite : bene agere vel correptus exopto; quia difficilius errat ovis, quæ voces desiderat audire pastoris... sum quidem judex Palatinus, sed vester non desinam esse discipulus... Sedes illa *toto orbe mirabilis*, proprios tegat affectione cultores; quæ *licet generalis mundo sit præstita*, nobis etiam cognoscitur *et localiter* attributa » (Conciliorum Labbe t. IV, col. 1750, edit. Parisiis, 1671).

Venerabilis Beda, qui obiit anno 735. Libro II *Historiæ gentis anglicanæ*, capite 1 : « Cum primum in toto orbe gereret (Gregorius) pontificatum, et conversis jamdudum ad fidem veritatis esset prælatus Ecclesiis, nostram gentem eatenus idolis mancipatam Christi fecit Ecclesiam. »

Hincmarus, Rhemensis, sæculo nono : « Omnes senes cum junioribus, scimus, nostras ecclesias subditas esse Romanæ Ecclesiæ et Romano Pontifici; et ob id, salva fide, quæ in Ecclesia semper vigilat et Domino cooperante florebit, nobis est vestræ auctoritati apostolicæ obediendum » (in præfatione *de Divortio* inter Lotharium et Teutbertam).

« Quibus omnibus demonstratur quia synodus, comprovincialium Episcoporum judicia; generalis autem synodus, comprovincialium (synodorum) dijudicationes sive dissensiones, vel probet vel corrigat; Apostolica vero Sedes, et comprovincialium et generalium retractet, refricet, vel confirmet judicia (Libro *de Divortio*, t. II, pag. 686).

« Piis, devotis atque catholicis hoc potest et *hoc debet* sufficere, quod *omnium Ecclesiarum mater* sancta catholica atque apostolica docet Romana Ecclesia » (*De prædestinatione*, dissertatio II, in *Patrologia* Migne, t. CXXV, col. 214).

Ratramnus, Corbeiensis monachus, auctor sæculi noni. « Cernimus omnino Romani Pontificis auctoritatem super cunctas Ecclesias Christi præeminere, ut omnes Episcopi illum habeant caput, et ad ejus judicium pendeat quidquid in ecclesiasticis negotiis disponitur; ut ex ejus arbitrio vel ma-

neat constitutum, vel corrigatur erratum, vel sanciatur quodcumque fuerit innovandum » (*Contra Græcorum opposita*, libro IV, cap. VIII, in *Patrologia* Migne, tomo CXXI, col. 336).

Gallicani Episcopi, in concilio Romano, sub Leone Papa III, dixerunt : « Nos Sedem Apostolicam, quæ est caput omnium Dei Ecclesiarum, judicare non audemus. Nam ab ipsa nos omnes et vicario suo judicamur, ipsa autem a nemine judicatur, quemadmodum et antiquitus mos fuit » (Anastasius in vita Leonis III, apud Labbe, t. VII, col. 1082, edit. Parisiis, 1671).

S. Anselmus, qui obiit anno 1109, librum suum *de Incarnatione* dedicavit Urbano Papæ his verbis : « Domino et Patri universæ Ecclesiæ in terra peregrinantis, summo Pontifici Urbano, frater Anselmus, vita peccator, habitu monachus, sive jubente sive permittente Deo Cantuariæ metropolis vocatus Episcopus, debitam subjectionem cum humili servitio et devotis orationibus. Quoniam divina Providentia vestram elegit sanctitatem, cui vitam et fidem christianam custodiendam, et Ecclesiam suam regendam committeret, ad nullum alium rectius refertur, si quid contra catholicam fidem oritur in Ecclesia, ut ejus auctoritate corrigatur. »

Hugo a Sancto Victore, qui obiit anno 1140, libro II, *de Sacramentis*, parte III, c. XV : « Apostolica Sedes cunctis in orbe terrarum præfertur Ecclesiis. »

Episcopi provinciæ Senonensis, anno 1112, invitati ad concilium Ansanum, ut ibi Paschalis Papæ II causam judicarent, rescripserunt : « Non videtur nobis utile ad illa concilia convenire, in quibus non possumus eas personas contra quas agitur, condemnare vel judicare; quia nec nostro nec ullius hominum probantur subjacere judicio. »

S. Ivo Carnotensis Episcopus. « Quoniam judicia Romanæ Ecclesiæ a nemine foris retractari posse didicimus, si qui aliquando se prægravatos illius auctoritate conqueruntur, hoc eis consilium damus, ut ab ipsa ad ipsam confugiant, et inde

expectent levamen, unde se conqueruntur accepisse gravamen » (Epist. CLIX).

SANCTUS BERNARDUS, qui obiit anno 1153, libro II, *de Consideratione :* « Age, indagemus adhuc diligentius quis sis, quam geras videlicet pro tempore personam in Ecclesia Dei. Quis es? Sacerdos magnus, summus Pontifex. Tu princeps Episcoporum : tu hæres Apostolorum : tu primatu Abel, gubernatu Noe, patriarchatu Abraham, ordine Melchisedech, dignitate Aaron, auctoritate Moyses, judicatu Samuel, *potestate Petrus*, unctione Christus. Tu es cui claves traditæ sunt. Sunt quidem et alii cœli janitores, gregumque pastores; sed tu tanto gloriosius quanto et differentius utrumque præ cæteris nomen hæreditasti. Habent illi sibi assignatos greges, singuli singulos : tibi universi crediti, uni unus. Nec modo ovium, sed et pastorum tu unus omnium pastor... Ergo, juxta canones tuos, alii in partem sollicitudinis, tu in plenitudinem potestatis vocatus es. Aliorum potestas certis arctatur limitibus; tua extenditur et in ipsos qui potestatem super alios acceperunt. Nonne, si causa extiterit, tu Episcopo cœlum claudere, tu ipsum ab episcopatu deponere, etiam et tradere Satanæ potes? Stat ergo inconcussum privilegium tuum tibi, tam in datis clavibus, quam ovibus commendatis. »

REGNI GALLIÆ PROCERES, in libello Clementi V oblato, anno 1305. — « Estis enim vos, Pater sanctissime, Jesu Christi vicarius, totum corpus Ecclesiæ repræsentans, qui claves regni cœlestis habetis; nec congregatum totum concilium sine vobis et nisi per vos posset cognoscere de negotio supradicto, juxta Patrum sancita sententiamque juris et Ecclesiæ sanctæ Dei » (citatum in *Theologia Wirceburgensi*, t. I, pag. 372, edit. Parisiis, 1852).

EPISCOPUS MELDENSIS, primus oratorum Galliæ, in concilio Florentino, coram Eugenio IV, anno 1441. — « Tuum principatum *monarchicum* esse a Deo, nedum secundum universi providentiam communem, sed etiam speciali institutione in-

ter opera restaurationis mundi a Christo institutum, teque vera legitimaque successione illum possidere, palam recognoscimus et confitemur » (citatum in *Theologia Wirceburgensi*, t. I, p. 372, edit. Parisiis, 1852).

CAPUT IV

ARGUMENTUM EX ROMANORUM PONTIFICUM DEFINITIONIBUS A TOTA ECCLESIA RECEPTIS

Ideo ponimus verba hæc, *a tota Ecclesia receptis*, quia nondum probavimus Romani Pontificis in definienda fide infallibilitatem, quæ maximi momenti quæstio parte *secunda* hujusce tractatus expenditur. Cæterum inutiles sunt voces istæ, cum Romani Pontificis definitiones circa fidem debeant recipi ab universali Ecclesia catholica, nec possint ab ipsa non recipi, ut ex dicta secunda tractatus parte plene patebit. Prolatæ autem sunt a Romanis Pontificibus, et a tota Ecclesia catholica recipiuntur sequentes definitiones :

1° Leo X damnavit istam Lutheri propositionem : *Romanus Pontifex, Petri successor, non est Christi vicarius super omnes totius mundi Ecclesias ab ipso Christo in beato Petro institutus* (propositio 25ª inter damnatas). Igitur definita remanet contradictoria, id est, *Romanum Pontificem esse Christi vicarium in omnes totius mundi Ecclesias, ab ipso Christo, in beato Petro institutum.* Haud sane potuit clarius definiri primatus jurisdictionalis Romani Pontificis in universam Ecclesiam.

2° Pius Papa VI, in bulla *Auctorem fidei*, tertiam synodi Pistoriensis propositionem confixit, in hunc modum : « Propositio quæ statuit *Romanum Pontificem esse caput ministeriale*, sic explicata, ut Romanus Pontifex non a Christo, in persona beati Petri, sed ab Ecclesia potestatem ministerii accipiat, qua velut Petri successor, verus Christi vicarius ac totius Ecclesiæ caput pollet in universa Ecclesia : *hæretica.* »

Igitur de fide est Romano Pontifici competere *potestatem, qua pollet in universa Ecclesia*, et vi cujus, tanquam Petri successor, est verus *Christi vicarius et totius Ecclesiæ caput*. Id porro idem est ac definire jurisdictionalem ejus primatum in universam Ecclesiam.

Idem Pius VI in Brevi seu responsione *super Nuntiaturis* (capite III, sect. I, p. 300) ita pronuntiavit : « Dogma catholicum est Apostolos, tametsi extraordinaria præditos potestate, quæ data personis cum ipsis personis interiit, fuisse Petro subjectos, quem solum Apostolis præesse Christus jussit ; et *subesse plenitudini potestatis Romani Pontificis* (quæ velut ordinaria fuit in Petro, ita in ejus successoribus ordinaria est) *omnes Episcopos*, qui extraordinaria potestate Apostolorum destituuntur. » Et in eodem Brevi *super Nuntiaturis* (capite VIII, sect. II, p. 188) : « Veritas e dogmatis fonte profecta, *primatum Summi Pontificis divinitus institutum*... auctoritatem secum ferre stabilem, perpetuam, *numeris omnibus absolutam, pascendi, regendi et gubernandi tam populos quam populorum ipsos pastores.*

Et in Brevi *Super soliditate :* « Non ille (Eybel) veritus est fanaticam turbam appellare, quam prospiciebat ad aspectum Pontificis in has voces erupturam : hominem eum esse qui claves regni cœlorum cum ligandi solvendique potestate a Deo acceperit, cui non alius Episcopus exæquari valeat, a quo ipsi Episcopi auctoritatem suam recipiant... Eumdem porro vicarium esse Christi, caput Ecclesiæ visibile, judicem supremum fidelium. An ergo, quod horribile dictu, fanatica fuerit vox ipsa Christi claves regni cœlorum cum ligandi solvendique potestate Petro pollicentis : quas claves communicandas cæteris, post Tertulianum, Petrum solum accepisse Optatus Milevitanus profiteri non dubitavit? An fanatica dicenda tot solemnia totiesque repetita Pontificum conciliorumque decreta, quibus illi damnati sunt qui negarent, *in beato Petro apostolorum principe successorem ejus Romanum Pontificem constitutum a Deo caput Ecclesiæ visibile ac vicarium Jesu Christi*,

ei regendæ Ecclesiæ plenam potestatem traditam, veramque ab omnibus qui christiano nomine censentur obedientiam deberi; atque vim eam esse primatus quem divino jure obtinet, ut cæteris Episcopis non honoris tantum gradu, sed et supremæ potestatis amplitudine antecellat? »

Et infra : « Et sane quod supradictum ab Augustino retulimus in Romana Sede semper viguisse Apostolicæ cathedræ principatum, huncque apostolatus principatum cuilibet episcopatui præferendum, cum aliis multis, tum et hac insigni nota cernitur : quod Petri successor, hoc ipso quod in Petri locum succedit, assignatum sibi habeat jure divino Christi gregem universum, ut simul cum episcopatu potestatem accipiat universalis regiminis : cæteris porro Episcopis suam cuique peculiarem gregis portionem, non divino, sed ecclesiastico jure, non Christi ore, sed hierarchica ordinatione assignari opus sit, ut ordinariam regiminis potestatem explicare in eum valeat. Cujus assignationis summam auctoritatem quisquis Romano Pontifici abjudicare volet, eum necesse est in legitimam tot in orbe Episcoporum successionem invadere, qui ecclesias apostolica auctoritate de integro fundatas, aut ab aliis divulsas, aut invicem unitas regunt, ad easque regendas a Romano Pontifice missionem acceperunt; ut proinde sine ingenti Ecclesiæ perturbatione, ipsiusque episcopalis regiminis discrimine tentari nequeat magnum hoc et mirabile potentiæ consortium, divina dignatione Petri cathedræ tributum, ut quemadmodum a Leone magno dictum est, omnes proprie regat Petrus, quos principaliter regit et Christus ; et si quid Christus commune cum Petro cæteris voluit esse principibus, numquam nisi per ipsum dedit quidquid aliis non negavit. »

Subjungit ibidem Pius VI : « Unum certe ovile Christi Ecclesia est, cujus unus supremus pastor, Christus ipse regnans in cœlis, unum quoque sui vicarium supremum in terris visibilem pastorem reliquit, in cujus voce Christi vocem oves audirent, ne seductæ alienorum vocibus in venenata quæque ac mortifera pascua dilaberentur. Quo igitur cautius fideles

curæ nostræ concrediti profana ac vaniloqua devitent quæ proficiunt ad impietatem, constantesque maneant huic unitatis cathedræ devincti, in qua Petrus adhuc velut in propria sede vivit et præsidet, neve in hanc fraudem induci se patiantur, ut putent ambitione extortum, aut ignorantia vel adulatione delatum, aut pravis artibus quæsitum quod Christi est ordinatione constitutum, nos... antedictum libellum... damnamus...»

CAPUT V

ARGUMENTUM EX PRIMATUS ORIGINE : ID EST, EX EO QUOD PRIMATUI QUEM EXERCENT ROMANI PONTIFICES NON ALIA POSSIT ORIGO ASSIGNARI QUAM A TEMPORIBUS CHRISTI ET EX INSTITUTIONE CHRISTI

Quod Romani Pontifices a multis sæculis primatum jurisdictionis in universam Ecclesiam sibi vindicent et exerceant, est factum historicum ipsis etiam hæreticis indubitatum. Negant duntaxat primatum istum Christi institutioni adscribendum. Ast negant absone, si nequeant ullam aliam originem asserere, nisi falsam prorsus et chimericam. Porro falsæ revera sunt et absonæ variæ ab ipsis excogitatæ hujusce primatus origines. Alii nempe illum repetunt a concessione imperatorum ; alii a concessione Ecclesiæ.

1° Quod primatus Romanis Pontificibus ex imperatorum dono cesserit cum innumeris historiæ documentis adversa fronte pugnat. Nemo enim dat quod non habet. Porro imperatores omni prorsus in rem sacram potestate carere, fuit perpetua Ecclesiæ fides, quam innumera per seriem sæculorum recurrentia monumenta testantur. — Et vero, si quæramus a quonam imperatore donatus Romanæ Sedi primatus fuerit, respondet Calvinus, a Phoca, a Pipino, a Carolo Magno. Sed ante istos principes jam a pluribus sæculis Romani Præ-

sules primatum sibi vindicarunt et exercuerunt, prout evincunt plenissime citata superius documenta. Imo ante primum etiam christianum imperatorem, id est, Constantinum, luculentissimis documentis exhibentur Romani Pontifices primatum in universam Ecclesiam sibi ex jure divino vindicantes et exercentes. Remanet ut a paganis imperatoribus, Constantino antiquioribus, donatio repetatur. Quod quam stolidum sit nemo non videt. Suppliciis et nece Romanos Episcopos imperatores hi donabant, non primatu.

2° Nec minus aperte falsa hypothesis primatum repetens a libero Ecclesiæ consensu. Ejusmodi enim universalis Ecclesiæ consensus datus fuisset, vel in aliqua œcumenica synodo, vel extra. Falsum utrumque.

Primo, non in aliqua œcumenica synodo. Nam prima œcumenica synodus fuit Nicæna. Porro ante illam synodum jam historica monumenta Romanum Episcopum exhibent primatus jura exercentem, verbi gratia, Dionysius Alexandrinus patriarcha, qui annis circiter 60 ante Nicænam synodum vixit, apud Romanum Pontificem accusatus est. Nec Romanus Pontifex se judicem esse negavit, nec Alexandrinus Patriarcha judicium recusavit; prout testatur sanctus Athanasius (in libro *de Sententia Dionysii*). — Insuper ipsamet Nicæna synodus Romani Pontificis primatum asseruit his verbis : *Ecclesia Romana semper habuit primatum*. Sic enim incipit Nicænus canon sextus, prout in concilio œcumenico Calchedonensi, actione 16, recitatus est.

Secundo, absone assereretur donatio ex tacito Ecclesiæ dispersæ consensu. Nam quod omnes Episcopi, cum prius apprime scirent ipsis nequaquam superiorem esse Romanum Antistitem, aliquando tacite consenserint ut is tanquam supremus rector cæteris omnibus imperaret, esset quid miraculo æquale. Notissima generalis humanæ mentis proclivitas ad detrectandum legitimum etiam imperium ; quanto difficilius, ad inducendum illegitimum, habebitur omnium simul consensus ! — Præterea Romani Pontifices primatum sibi

constanter vindicarunt, non ex libero coepiscoporum consensu, sed *ex jure divino*. Porro nisi id verum credidisset universalis Ecclesia, non debuisset, nec potuisset in eam Romani Præsulis usurpationem consentire; quia hoc ipso errorem quoad dogma recepisset et consentiendo firmasset. Quod nequit contingere, cum errare in dogmate universalis Ecclesia non possit. — Præterea nequit Ecclesia universalis dispersa quoad dogma contradicere Ecclesiæ in synodo œcumenica definienti. Porro contradixisset. Nam, ex hypothesi, apprime novisset Romano Episcopo primatum non competere, nisi ipsa libere hunc ei primatum conferret; et de facto primatum istum ipsi conferendo, hoc ipso professa fuisset, ea prærogativa jure divino Romanam Sedem non potiri. Porro contradictoriam doctrinam definivit Ecclesia in concilio œcumenico Florentino, videlicet a *Christo datam* Romano Præsuli, *in beati Petri persona*, *plenam* totius Ecclesiæ regendæ *potestatem*. Ergo Ecclesia dispersa contradixisset Ecclesiæ in unum collectæ, in materia dogmatica. Quæ contradictio prorsus repugnat; cum Ecclesia universalis, tam dispersa quam in synodum collecta, infallibilis sit quoad fidei dogmata.

Nec prætensam illam ex consensu Ecclesiæ primatus donationem ullatenus probabilem efficit causa quam indicant hæretici; videlicet, ideo a Patribus concessum Romanæ urbis Episcopo primatum, quia ea civitas Sedes esset imperii. « Nam, inquit Bellarminus, id refellunt disertis verbis sanctus Leo, in Epistola LII ad Marcianum, et sanctus Gelasius in epistola ad Episcopos Dardaniæ. Et ratio in promptu est : nam, ut recte Gelasius annotavit, Mediolanum quoque, et Ravenna, et Syrmium, et Trevire, et Nicomedia sedes imperii multis temporibus fuerunt, nec tamen illis Episcopis primatum ullum dederunt. »

CAPUT VI

ARGUMENTUM EX JURE QUOD EXERCUIT ROMANA SEDES ORIENTIS PATRIARCHAS CONFIRMANDI, ITA UT ABSQUE ISTA CONFIRMATIONE FIRMITATEM EORUM ORDINATIO NON HABERET

Si jus istud habuerit Romana Sedes, habuit hoc ipso, ut patet, jurisdictionalem primatum in Patriarchas, et consequenter in cæteros omnes mundi Episcopos. Quod autem jus istud habuerit, sufficienter probatur ex eo quod exercuerit. Si enim injuste usurpasset, et falso contendisset sibi a Christo collatam ejusmodi prærogativam, nec Orientis Patriarchæ in hoc ei obtemperassent, nec etiam usurpationem hanc tolerare ac silere potuisset Ecclesia, utpote quæ sic consensisset errori dogmatico circa divinam constitutionem suam, quod nequit contingere. Igitur dicti juris exercitium primatum probat. Jam vero Romanos Pontifices jus istud exercuisse constat documentis sequentibus :

1° In Episcopum Constantinopolitanum ordinatus fuerat Nectarius. Sciens autem Theodosius imperator ad valorem hujusce ordinationis requiri assensum Romani Pontificis, anno 382 legatos Romam misit ad Damasum Papam, qui peractæ ordinationis confirmationem impetrarent. Id narrat atque testatur Bonifacius I, his verbis : *Clementissimæ recordationis princeps Theodosius, Nectarii ordinationem, propterea quia in nostra notione non esset, habere non existimans firmitatem, missis e latere suo aulicis cum Episcopis, formatam huic a Sede Romana dirigi regulariter depoposcit,* QUÆ EJUS SACERDOTIUM ROBORARET (apud Coustant, *Epistolæ Romanorum Pontificum*, col. 1043). Adnotat Coustant : « Habemus synodi Constantinopolitanæ epistolam, Theodosio imperatore præsente conscriptam, qua Damasus et socii de Nectarii ordinatione

certiores fiunt, ac de illa gratulari rogantur... Hic *formatæ* nomine intelliguntur litteræ communionis indices, quibus recentis Episcopi ordinatio approbatur » (loco citato).

Ex isto documento constat, penes Romanum Pontificem stetisse Constantinopolitanorum præsulum ordinationem vel assensu roborare, vel dissensu, id est, formatam seu communionis epistolam denegando, annullare. Id porro arguit jurisdictionalis primatus exercitium.

2° In Episcopum Constantinopolitanum electus fuerat Anatolius. Eum autem in sua communione recipere noluit sanctus Leo Magnus, nisi prius subscripsisset professioni fidei, a Legatis pontificiis, ad id Constantinopolim missis, ipsi exhibendæ. Obsecutus est Anatolius et communionis litteras obtinuit. Cum vero postea idem Anatolius obtinere tentasset, ut Constantinopolitana sedes prima post Romanam declararetur, scripsit sanctus Leo ad imperatorem Marcianum in hunc modum : *Satis sit prædicto, quod vestræ pietatis auxilio, et* MEI FAVORIS ASSENSU, *episcopatum tantæ urbis obtinuit* (Opera sancti Leonis, edit. Ballerinorum, tomo I, col. 1149, epist. CV). Et in suis ad Pulcheriam litteris : *Frater enim et coepiscopus meus Anatolius, parum considerans, quanto pietatis vestræ beneficio et* MEI FAVORIS ASSENSU, *Constantinopolitanæ Ecclesiæ sacerdotium fuerit consecutus...* (loco citato, col. 1155). Ex illo duplici documento anni 449 pariter constat necessarium fuisse Romani Pontificis *assensum*, ut quis legitime Constantinopolitanam sedem occuparet.

3° In Patriarcham Antiochenum nulliter ordinatus fuerat Maximus a pseudo-synodo Ephesina secunda ; ast illam ordinationem sanctus Leo confirmaverat. Hinc quamvis postmodum rescissa fuerint cunctæ dictæ synodi acta, firma tamen permansit ordinatio Maximi, eo quod scilicet Romani Pontificis approbatio electionis vitium sanasset et legitimam effecisset. Quapropter in concilio œcumenico Calchedonensi, cum quamdam facultatem sibi concedi Maximus postulasset, ad annuendum hortati sunt legati Pontificii. De quo sic in

actis : *Paschasinus et Lucentius reverendissimi Episcopi et Bonifacius presbyter, vicarii Sedis Apostolicæ, per Paschasinum reverendissimum Episcopum dixerunt : sanctus et beatissimus Papa,* QUI EPISCOPATUM *sancti et venerabilis Maximi Episcopi Antiochenæ Ecclesiæ* CONFIRMAVIT, *justo satis judicio ejus meritum approbasse videtur* (Concilia Mansi, edit. Florentiæ, t. VII, col. 270 : sub finem actionis 10). Et in eadem sessione 10, sic definitum fuit : *Definimus nihil horum valere quæ in illa quæ synodus dicitur confecta sunt, nisi illud circa sanctissimum magnæ Antiochenæ civitatis Episcopum ; quoniam et sanctissimus Leo Romanus Archiepiscopus in communionem eum recipiens, præesse eum Antiochenæ judicavit Ecclesiæ.* Igitur ordinatio Maximi ideo duntaxat fuit valida, quia eum Romanus Episcopus *in communionem receperat*, et *Antiochenæ Ecclesiæ præesse judicaverat.* Proinde penes Romanum Pontificem stabat, communionis litteras concedendo, legitimas efficere Patriarcharum ordinationes, etiam anticanonice peractas, quæ potestas in concilio œcumenico anni 451 sic agnita, palam facit necessarium fuisse Apostolicæ Sedis assensum ad firmandam eorumdem Patriarcharum ordinationem.

In suis ad Arelatensis provinciæ præsules litteris, *de ordinatione* Ravennii in Episcopum Arelatensem, sic pronuntiat sanctus Leo : « Bonum fraternitatis vestræ opus *nostro judicio roboramus* » (Conciliorum Labbe tomo III, col. 1439, edit. Parisiis, 1671).

4° In epistola Simplicii Papæ ad Acacium, anno 482, sic habetur de Joanne, in Patriarcham Alexandrinum ordinato, pro quo postulata fuerat Sedis Apostolicæ confirmatio : *Nuper ab Ægyptia synodo, quæ et numero plurima et fidei catholicæ esset communione suffulta, atque ab ipso omni propemodum clero Alexandrinæ sedis, ad nos ex more relatio missa patefecit, sanctæ memoriæ fratrem quondam et coepiscopum nostrum obiisse Timotheum; inque ejus vicem consona fidelium voluntate Joannem, cui ad sacerdotium constare crederentur omnia, subrogatum; ut nihil omnino restare videbatur, nisi ut*

Deo nostro gratias agentibus nobis atque gaudentibus (ut sine strepitu quod catholicus in defuncti ministerium successisset Antistes), apostolicæ quoque moderationis ASSENSU *votivam sumeret* FIRMITATEM. *Cum ecce secundum consuetudinem mihi talia disponenti, tranquillissimi principis scripta sunt reddita, quibus memoratum, tanquam perjurii reum (quod fraternitati quoque tuæ non esse diceretur incognitum), sacerdotio perhiberet indignum. Illico retraxi pedem, et* MEAM REVOCAVI SUPER EJUS CONFIRMATIONE SENTENTIAM, *ne quid contra tantum ac tale testimonium præpropere fecisse judicarer* (Epistola XVII, apud Concilia Mansi, edit. Florentiæ, tomo VII, col. 992). Ibi vides quomodo post peractam ordinationem Alexandrini Patriarchæ, necessarius remaneret Romani Pontificis *assensus*, ut ordinatio illa *sumeret firmitatem*. Item quomodo imperator procurare volens ut irrita remaneret eadem ordinatio, Joannem perjurii accusaverit apud Romanum Pontificem ; sicque obtinuerit ut Simplicius, qui ordinationem istam de more confirmare statuerat, suam revocaret *super Joannis confirmatione* sententiam. Igitur penes Romanum Episcopum erat jus Patriarchas ita confirmandi, ut, denegata ista confirmatione, ipsorum ordinatio nutaret ac invalida remaneret.

5° Mortuo Acacio Constantinopolitano Episcopo, in ejus locum ordinatus est Flavitas. Sed is noluit inthronizari, seu sedis possessionem capere, ante obtentum Romani Pontificis consensum. Quod sic narrat Liberatus (in suo *Breviario*, capite XVIII) : *Ordinatur post eum Flavitas presbyter... ; qui non consensit sine Romano Pontifice inthronizari, sed transmisit synodicam Papæ Romano Felici*. Plus præstitit Flavitas quam exigebat Sedes Apostolica. Enimvero Romani Pontifices consentiebant ut ordinatus Patriarcha sedis suæ statim possessionem caperet et valide suam regeret Ecclesiam, dummodo sine mora confirmationem peteret et obtineret. Qua accepta petitione, Romanus Pontifex vel communionis litteras concedendo confirmabat ordinationem, vel eas denegando annula-

bat. Flavitas autem, ut melius perfidiam suam obtegeret, etiam ante inthronizationem suam voluit confirmationem obtinere. At litteras communionis concedere distulit Felix Papa, qui jam suspectum in fide Flavitam habebat. Interea tamen diligentiam ejus in recurrendo ad Sedem Romanam laudavit his verbis : *Dum scilicet ad Apostolicam Sedem regulariter destinatur, per quam,* LARGIENTE CHRISTO, OMNIUM SOLIDATUR DIGNITAS SACERDOTUM (eam Felicis epistolam habes apud Mansi, tomo VII Conciliorum, col. 1100, edit. Florentiæ). Igitur, testante Felice Papa, anno 489, per Romanum Pontificem *solidatur omnium Episcoporum* potestas ; idque *largiente Christo*, id est, jure divino. Notetur autem vox *omnium*. In Oriente scilicet, ad firmandam ordinationem metropolitanorum et cæterorum necessarius erat respectivi Patriarchæ consensus. At cum ipsorummet Patriarcharum firma non fieret ordinatio nisi per Romanum Pontificem, sequitur *omnium* Orientis Episcoporum dignitatem a Sede Apostolica robur suum excepisse. In Occidente autem idem præstabat Romanus Episcopus, etiam quatenus Patriarcha.

6° Euphemio, qui Flavitæ successerat, concessit quidem Felix Papa litteras communionis, at non *communionis episcopalis ;* id est, eum noluit ut Episcopum admittere. Quod sic narrat Theophanes : *Hoc anno* (490) *synodales Euphemii litteras Felix accepit, et, ut catholico, communionis impertiit consortium ; haud tamen Episcopum agnovit ; quod Acacii, quique in episcopatu successerat Flavitæ nomen e tabulis ecclesiasticis non expunxerit* (vide textum apud Zaccariam, *Antifebronio*, t. III, pag. 133 et 134, edit. Cesenæ, 1770). Idem testatur Nicephorus Callistus (libro XVI *Historiæ eccl.*, cap. 19) his verbis : *Porro Papa scripta quidem illius recepit, et Euphemio veluti orthodoxo favit ; sed illum in episcopalem communionem non admisit.* Igitur non meræ communionis litteras a Romano Pontifice accipere debebant Patriarchæ, ut legitimi Episcopi evaderent, sed litteras *communionis episcopalis*, id est, quibus tanquam legitimi Episcopi admitterentur, seu, ut ait ipse

Felix, quibus reciperentur in *consortium*, *collegii unione* (apud Mansi, tomo VII Conciliorum, col. 991).

7° Anno circiter 1055, sanctus Leo IX Petri Antiocheni Patriarchæ promotionem approbavit his verbis : *Mea vero humilitas, in culmine Apostolici throni ideo exaltata, ut approbanda approbet, improbanda quoque improbet, tuæ sanctissimæ fraternitatis promotionem libens approbat, collaudat et* CONFIRMAT... *Noveris tamen, nos ipsam tuam promotionem taliter approbare, si non neophytus, aut curialis, seu digamus, vel pretio aut alio quolibet modo sacris canonibus contrario* (*quod absit*) *obtinuisti* (apud Labbe, tomo IX, col. 976, edit. Parisiis, 1671). Hic etiam loquendi modus haud obscure innuit necessitatem obtinendæ a Romana Sede confirmationis.

Igitur Romani Pontifices potestatem exercuerunt Patriarchas ita confirmandi, ut absque ista confirmatione firma ipsorum promotio esse non potuerit. Exercuerunt proinde primatum jurisdictionis. Id fateri coactus est Roussel, etsi Pontificiæ jurisdictioni haud mediocriter infensus : « Hæc mihi comperta, inquit, ex veteribus exemplis ad adstruendam Pontificis Romani prærogativam in confirmandis Patriarchis orientalibus. Quæ sane *satis indicant principatum ejus in omnes ecclesias*. Quod si non sæpius aut absolutius eam prærogativam exercuit, tribuendum est illius modestiæ, qui non putavit summa sua potestate utendum, nisi ubi necessitas exigeret » (Hist. Pontif. jurisd. l. II, n. 12).

CAPUT VII

ARGUMENTUM EX JURE QUOD EXERCUIT ROMANA SEDES EPISCOPOS DEPONENDI, ETIAM IN ORIENTE, ATQUE IPSOS ETIAM PATRIARCHAS

Valet argumentatio : si jus istud exercuit Romana Sedes, illud habuit ; si vero hocce jus habuit, hoc ipso habuit pri-

matum. Quod sic merito arguatur, nisi per se pateret, evinci posset applicando rationes initio superioris capitis VI positas. Remanet ut documentis probetur asserta Romanæ Sedis potestas Episcopos, atque ipsos etiam Patriarchas, deponendi.

1° Certam istam potestatem supponit S. Cyprianus, qui rogat sanctum Stephanum Papam, ut Arelatensi Episcopo Marciano alium substituat.

2° In supra citata sancti Gelasii epistola, anni 492 : « Nobis opponunt canones dum nesciunt quid loquantur... Ipsi sunt canones qui appellationes *totius Ecclesiæ* ad hujus sedis examen voluere deferri ; ab ipsa vero nusquam prorsus appellari debere sanxerunt. Ac per hoc ipsam *de totâ Ecclesia judicare*, ipsam ad nullius commeare judicium. In hac ipsa causa Timotheus Alexandrinus, et Petrus Antiochenus, Petrus, Paulus, Joannes, et cæteri, non solum unus sed plures, utique nomen sacerdotii præferentes, *sola Sedis Apostolicæ sunt auctoritate dejecti* » (Conciliorum Labbe tomo IV, col. 1168, edit. Parisiis 1671). Ibi vides enumeratos quinque Orientales præsules, *sola Sedis Apostolicæ auctoritate* depositos.

3° Sanctus Damasus deposuit Flavianum Patriarcham Antiochenum.

4° Perpendenda imprimis exauctoratio Anthimi, quem S. Agapetus Papa, etsi imperatrix vehementer adversaretur, ipsemet Constantinopoli deposuit, et in cujus locum Mennam ordinavit. Quod refert Liberatus (*Breviarii* capite XXI, pag. 147, edit. Garnerii) in hunc modum : *Denique petentibus principibus, ut Anthimum Papa in salutatione et communione susciperet, ille fieri inquit posse, si se libello probaret orthodoxum et ad cathedram suam reverteretur. Impossibile esse aiebat translatitium hominem in illa Sede permanere. Augusta vero clam promittente munera multa, et rursus Papæ minas intentante, in hoc Papa perstitit ne ejus audiret petitionem. Anthimus autem videns se* SEDE PULSUM, *pallium quod habuit imperatoribus reddidit et discessit, ubi eum Augusta suo patrocinio tueretur. Tunc Papa, Principis favore, Mennam pro eo ordinavit Antistitem,*

consecrans eum manu sua in Basilica sanctæ Mariæ. Notet lector Anthimum *Sede pulsum* fuisse, per hoc solum quod noluerit Romanus Pontifex in communionem eum recipere. « Primatum, inquit Natalis Alexander, gloriosius exercere non potuit Romanus Pontifex, quam Constantinopolitanum patriarcham exauctorando, et in ejus locum alium ordinando, idque nulla synodo convocata » (ad sæculum VI, cap. II, art. 7).

5° Sixtus III deposuit Polychronium Episcopum Hierosolymitanum.

6° Sanctus Nicolaus I octo enumerat Constantinopolitanos Patriarchas a Romanis Pontificibus depositos.

CAPUT VIII

ARGUMENTUM EX JURE QUOD EXERCUIT ROMANA SEDES RESTITUENDI EPISCOPOS AB ALIIS DEPOSITOS

1° Anno 254, Basilides a concilio Provinciæ Bæticæ depositus appellavit ad sanctum Stephanum, *ut exambiret* (sunt verba S. Cypriani) *se reponi in episcopatum de quo fuerat juste depositus.* Eum in sede sua restituit Stephanus; sed ob fraudes Basilidis, sententia hæc habita fuit tanquam obreptitie obtenta proindeque nulla.

2° Sanctus Julius I restituit sanctum Athanasium Patriarcham Alexandrinum, Paulum Constantinopolitanum et Marcellum Ancyranum, ab Orientali synodo depositos.

3° Sanctus Leo restituit Theodoretum ab Ephesina synodo secunda depositum. De quo sic in concilio œcumenico Calchedonensi, actione prima : « Ingrediatur et reverendissimus Episcopus Theodoretus, ut sit particeps synodi, *quia restituit ei episcopatum sanctissimus Archiepiscopus Leo.* »

CAPUT IX

ARGUMENTUM EX JURE APPELLATIONUM

Si revera viguerit et in Ecclesia catholica indubitatum fuerit jus Romani Pontificis, ut ad ipsum ex quavis mundi parte provocetur, ab ejus vero sententia nulla possit fieri appellatio, plane sequitur ipsi competere jurisdictionis primatum. Nam, ut ipse heresiarcha Calvinus profitetur, *summum imperium penes eum esse constat ad cujus tribunal provocatur* (Calvinus, lib. IV *Instit.*, cap. VII, § 9). Porro ejusmodi appellationum jure nihil in tota historia ecclesiastica certius.

I. *Constat factis.* — Anno 142, Marcion excommunicatus ab Episcopo suo in Ponto, Romam petiit ut ab Ecclesia Romana absolveretur, prout refert sanctus Epiphanius (Hæresi XLII). (De quo vide meum tractatum *de Concilio provinciali*, parte III, cap. VI.)

Anno circiter 205, Montanum, Florianum ac plures alios in suis respective diœcesibus damnatos, ad Zephirinum Papam appellasse, postulantes sibi ac Ecclesiis suis reddi ablatam communionis pacem, probatum vide apud Christianum Lupum (*de Romanis appellationibus*, operum tomo I, pag. 292).

Anno circiter 251, Privatus Episcopus, a concilio Carthaginensi damnatus, ad Sedem Romanam appellavit (vide in meo tractatu *de Concilio provinciali*, loco cit.).

Anno 252, Fortunatus et Felix, in Africa a Cypriano condemnati, Romam navigarunt, atque ad Cornelium Papam appellaverunt (vide ibid.).

Anno 254, Basilides et Martialis Episcopi, quos provinciæ Bæticæ synodus deposuerat, ad sanctum Stephanum Papam appellarunt. Basilidis fraudibus deceptus sanctus Stephanus, eum in episcopatu suo restituerat. Quam restitutionem pro

invalida esse habendam contendit sanctus Cyprianus, ex ea sola ratione quod *obreptitie* obtenta fuisset : « Romam pergens (Basilides) Stephanum collegam nostrum... fefellit, ut exambiret se injuste *reponi in episcopatum* de quo fuerat juste depositus. Hæc eo pertinent ut Basilidis non tam abolita sint quam cumulata delicta... Neque enim tam culpandus est ille cui negligenter obreptum est, quam hic execrandus qui fraudulenter obrepsit » (vide tractatum meum *de Concilio provinciali*, loco cit.).

Anno 342, sanctus Athanasius et plures alii, qui a duabus Eusebianorum synodis depositi fuerant, ad Romanum Pontificem Julium I appellarunt; qui jussit eos ac etiam eorum judices Romam venire, ut Sedis Apostolicæ judicium subirent. Ariani Episcopi, qui Athanasium deposuerant, comparere renuerunt. Eorum synodalem sententiam rescidit Julius, Athanasiumque ac alios in suis sedibus restituit. Peractum id ante concilium Sardicense, ut testatur S. Athanasius initio secundæ suæ apologiæ. Postmodum vero Sardicenses Patres in synodali epistola sua, Eusebianis potissimum crimini verterunt, quod citati comparere refugissent : « Eusebianorum sycophantia ex eo præcipue cognosci potuit, quod accerciti a dilecto nostro comministro Julio, judicio non steterint. » Ubi vides, jus Romani Pontificis recipiendi appellationes, et Episcopos ac ipsos etiam Patriarchas ac synodos supremo judicio judicandi, non initium sumpsisse ex libera concilii Sardicensis concessione, prout nonnulli somniarunt; siquidem ipsimet Sardicenses Patres jus istud certum et indubitatum habent quoad causam Sardicensi concilio anteriorem. Item teste Theodoreto, hanc Athanasii et aliorum appellationem Julius receperat, sententiamque pronuntiaverat, *secutus Ecclesiæ canonem*. Is ergo sane vigebat *Ecclesiæ canon*, nondum coacta synodo Sardicensi.

Anno circiter 350, presbyter Pistus, qui in Nicæna synodo damnatus fuerat, appellavit ad Julium Papam, atque istam appellationem juvavit ac promovit Eusebianorum factio. Hinc

quando postea iidem Eusebiani negare ausi sunt jus Romanæ Sedis synodalia judicia rescindendi, eis objecit sanctus Julius quod in contrarium pro causa Pisti presbyteri peregerant (vide meum tractatum *de Concilio provinciali*, loco cit.).

Anno 410, sanctus Joannes Chrysostomus, a Theophilo Alexandrino Patriarcha per synodalem sententiam depositus, appellavit ad Innocentium Papam, qui utrumque Romam venire jussit ad subeundum judicium.

Anno 417, Patroclus Arelatensis Episcopus appellavit ad Papam Zozimum, contra Proculum Massiliensem, et contra sententiam Taurinensis concilii quæ Proculo favebat. De quo vide Christianum Lupum, *de Romanis appellationibus*, cap. x.

Anno circiter 418, Briccius, Turonensis Episcopus, qui synodali sententia depositus fuerat, appellavit ad Zozimum Papam (vide meum tractatum *de Concilio provinciali*, parte III, c. VIII).

Eodem circiter anno, Cœlestius presbyter, Carthaginensis concilii sententia excommunicatus, appellavit ad Zozimum Papam; quod Marius Mercator, sancto Augustino coævus et amicitia conjunctus, refert his verbis : *A qua sententia ad Romani Episcopi examen credidit appellandum* (vide ibid.).

Item ad Zozimum Papam appellavit Tuentius, Galliæ presbyter, prout constat ex epistola Zozimi ad Episcopos Africæ, Galliæ ac Hipaniæ directa.

Anno circiter 427, ad sanctum Cœlestinum I appellarunt plures Episcopi ac clerici quos Nestorius synodali sententia condemnaverat. De quo vide S. Cœlestini epistolam XIX.

Anno circiter 449, ad sanctum Leonem Magnum appellarunt Theodoretus Episcopus Cyrensis, Eusebius Dorylensis, et sanctus Flavianus Episcopus Constantinopolitanus, quos pseudosynodus Ephesina deposuerat. « At ego (inquit Theodoretus, in suis ad sanctum Leonem Papam litteris) Apostolicæ vestræ Sedis expecto sententiam, et oro atque obtestor sanctitatem tuam ut mihi rectum et justum tribunal vestrum invocanti opem ferat, jubeatque ad vos venire. » Et in sequenti epistola, quæ est CXVI : « Habet enim sanctissima illa Sedes Eccle-

siarum quæ in toto sunt orbe principatum.» Et infra : « Ante omnia ut a vobis docear oro an me oporteat in hac injusta depositione acquiescere, an non : vestram enim sententiam expecto. Quod si in judicatis manere me jusseritis, manebo... Ne ad vos contenderem regiarum litterarum vincula retinuerunt. »

De appellatione Flaviani, Constantinopolitani Episcopi, notanda potissimum hæc verba imperatoris Valentiniani III ad Theodosium Augustum : « Debemus... dignitatem propriæ venerationis beato Apostolo Petro intemeratam et in nostris temporibus conservare : quatenus beatissimus Romanæ civitatis Episcopus, cui *principatum sacerdotii super omnes* antiquitas contulit, locum habeat et facultatem *de fide et sacerdotibus judicare*... Hujus enim rei gratia, secundum solemnitatem conciliorum, et Constantinopolitanus Episcopus *ipsum per libellos appellavit*, propter contentionem quæ orta est de fide » (Conciliorum Labbe tomo IV, col. 51, edit. Parisiis, 1671).

Anno 450, Eutiches appellavit ad sanctum Leonem Papam, ut constat ex epistola S. Leonis ad S. Flavianum (apud Labbe Conciliorum tomo IV, col. 10, edit. Parisiis, 1671).

Item ad sanctum Leonem Magnum appellavit Aetius, archidiaconus Constantinopolitanus. De quo vide S. Leonis epistolam ad Pulcheriam Augustam (conciliorum Labbe tomo III, col. 1341, edit. Parisiis, 1671), necnon meum tractatum *de Concilio provinciali*, parte III, cap. VIII.

Item ad sanctum Leonem appellavit Lupicinus, per sententiam synodicam in Mauritania depositus. De quo ad Episcopos Mauritaniæ hæc scripsit sanctus Leo : « Causam quoque Lupicini Episcopi illic *jubemus* audiri. Cui multum et sæpius postulanti, communionem hac ratione reddidimus, quoniam cum *ad nostrum judicium provocasset*, immerito eum, pendente negotio, a communione videbamus fuisse suspensum » (Conciliorum Labbe tomo III, col. 1394, edit. Parisiis, 1671). Objectionem Quesnelli, hanc scilicet epistolæ partem non

esse authenticam, confutatam vide a Christiano Lupo, *de Romanis appell.*, cap. XXV.

Item Chelidonius Episcopus, ab Hilario Arelatensi depositus, ad Sedem Romanam appellavit, et eum in episcopatu restituit sanctus Leo, cujus hac de re litteras vide apud Labbe (Conciliorum tomo III, col. 1396, edit. Parisiis, 1671). Atque ibidem memoratam reperies Projecti Episcopi appellationem. Item ad sanctum Leonem appellaverant Sabinianus et Leo presbyteri, a Rustico Narbonensi Episcopo condemnati. Sed hanc suam appellationem non prosecuti sunt. De quo sic sanctus Leo in suis ad Rusticum litteris : « Sabiniano et Leoni presbyteris actionis suæ intelleximus fiduciam defuisse; nec eis justam superesse querimoniam, qui se ab inchoatis disceptationibus sponte subtraxerunt. Circa quos quam formam quamve mensuram debeas tenere justitiæ, tuo relinquo moderamini » (Conciliorum Labbe tomo III, col. 1404, edit. Parisiis, 1671).

Anno 520 scripsit sanctus Avitus Viennensis de quodam juvene, quem ad pœnitentiam publicam condemnaverat : « Licet diversas in me flammas evomat, et *ad Romanæ forsan Ecclesiæ audientiam vocet*, nec minas adsentatione placabo, *nec fatigationes itineris verebor* » (in Epistola ad Ansemundum). Prævidens nempe Avitus futuram illius juvenis ad Romanum Episcopum appellationem, ex qua consequi poterat ut ipse Romam citatus comparere deberet, non negat hocce jus Romani Pontificis causas in gradu appellationis judicandi, sed econtra indubitatum jus istud supponens, dicit : *fatigationes itineris non verebor*.

Anno circiter 526, Salomon Constantinopolitanus presbyter, ab Acacio depositus, appellavit ad Felicem Papam III, qui eum in gradu suo restitui jussit, ut constat ejusdem Felicis epistola ad clerum Constantinopolitanum directa.

Anno circiter 535, Contumeliosus in Narbonensi provincia Episcopus, a synodali sententia, qua depositus fuerat et in monasterium trusus, appellavit ad Sedem Apostolicam, prout

testantur hæc Agapeti Papæ verba : *Sedis Apostolicæ appellatione interposita, desideravit examen* (vide meum tractatum *de Concilio provinciali*, parte III, cap. VIII).

Circa annum 558, ad Pelagium papam I appellarunt nonnulli Arelatensis diœcesis presbyteri (vide apud Christianum Lupum, *de Romanis appellationibus*, cap. XIX).

Sanctus Gregorius Magnus, qui creatus est pontifex anno 590, Honoratum archidiaconum, qui ad Sedem Apostolicam recursum instituerat, restitui jussit in archidiaconatu, a quo eum Solitanus episcopus amoverat. De quo vide hujus Pontificis epistolam ad Natalem episcopum Solitanum, et duas quæ sequntur (conciliorum Labbe tomo V, col. 1081 et 1082, edit. Parisiis, 1671). Et ibi notetur injungi Solitano episcopo ut pareat, sub pœna privationis pallii et excommunicationis.

Idem sanctus Gregorius Magnus communione privavit Joannem Primæ Justinianæ episcopum, eo quod deposuisset Hadrianum Thebanum Episcopum postquam is ad Sedem Romanam appellaverat. « Cassatis prius atque ad nihilum redactis prædictæ sententiæ tuæ decretis, ex beati Petri principis apostolorum auctoritate decernimus, triginta dierum spatio te sacra communione privatum » (Epist. ad Joannem Episcopum Primæ Justinianæ, Conciliorum Labbe tomo V, col. 1102, edit. Parisiis, 1671).

Appellationem Joannis presbyteri et aliorum, quos Joannes Episcopus Constantinopolitanus deposuerat, vide in epistola Gregorii Magni ad præfatum Episcopum (Conciliorum Labbe tomo V, col. 1125, edit. Parisiis, 1671).

Post sanctum Gregorium Magnum adeo frequentes exstant ad Sedem Romanam appellationes, ut inutile sit eas recensere; cum præsertim ipsi etiam hæretici nullum hac de re dubium moveant.

Igitur jus istud appellationum constat I° factis historicis, quibus constanter vigens ostenditur non tantum post sed etiam ante Sardicense concilium.

II. *Constat insuper Patrum, jus istud asserentium, doctrina.* —

« Ipsi sunt canones, ait Gelasius papa, qui appellationes totius Ecclesiæ ad hujus Sedis examen voluere deferri, ab ipsa vero nusquam prorsus appellari debere sanxerunt » (Epistola ad Faustum). «Ad illam de qualibet mundi parte canones appellari voluerunt, ab illa autem nemo est appellare permissus » (idem sanctus Gelasius, Epistola ad Episcopos Dardaniæ).

Sanctus Leo, ad provinciæ Viennensis episcopos : « Nobiscum itaque recognoscat fraternitas vestra, apostolicam sedem, pro sui reverentia, a vestræ etiam provinciæ sacerdotibus innumeris relationibus esse consultam, et per diversarum quemadmodum *vetus consuetudo* poscebat *appellationem* causarum, aut retractata aut confirmata fuisse judicia » (Conciliorum Labbe tomo III, col. 1396, edit. Parisiis, 1671).

Jam supra capite II, transcripsimus verba Zozimi Papæ, anno 418, ad Africanos Episcopos. Ibi porro laudatus pontifex hæc tanquam notoria et omnibus indubitata edocet : 1° *de Sedis Apostolicæ judicio nullus disceptare audet.* 2° Id traditio *semper* servavit. 3° Antiquitas voluit Petro apostolo tantam esse potentiam ut et ligata solveret et soluta vinciret. 4° Hanc potentiam sanctus Petrus habuit *ex ipsa quoque Christi Dei nostri promissione.* 5° *Par potestatis conditio data est* ipsius in Sede Romana successoribus. 6° In hac potestate firmatur Ecclesia Romana tam humanis *quam divinis* legibus. 7° Hinc ipsi Zozimo, tanquam Petri successori, competit *tantum auctoritatis ut nullus de ipsius possit retractare sententia.* Sane non poterat jus Romanarum appellationum fortius asseri, quam hac formula : *de Sedis Apostolicæ judicio nullus retractare potest.* Hoc ipso enim quod omnes teneantur Romani Pontificis sententiæ obsequi, et nullus ab ea possit appellare, rigorose sequitur posse omnes ad Romanum Pontificem appellare a quocumque alio tribunali, et esse Romani Pontificis prærogativam ut supremo judicio pronunticet.

Item supra transcripsimus quæ in concilio Romano anni 531 dicta sunt, in causa Stephani Larissæ Episcopi. Notanda im-

primis hæc ab uno Thessaliæ præsulibus prolata verba : *Quamvis in toto mundo Sedes Apostolica Ecclesiarum sibi jure vindicet principatum, et solam ecclesiasticis causis undique appellare necesse sit* (Labbe, t. IV, col. 1699, edit. Parisiis, 1671). Is sane indubitatum habebat jus appellationum Romanarum.

III. *Solvuntur objectiones.* — Nihilum moverunt hæretici ut vim hujusce argumenti ex appellationibus deducti labefactarent. Sed inani prorsus conatu ; prout patebit præcipuas eorum objectiones recensendo.

Objectio prima. — Jus istud appellationum Romano Pontifici concesserunt Patres Sardicenses, ut probant præmissa ipsorum canonibus verba : *Si vobis placet, sancti Petri memoriam honoremus.* Proinde ante Sardicense concilium dictum jus Romanæ sedi non competebat. Est igitur juris ecclesiastici, nec probat Romani Pontificis *ex jure divino* primatum.

Respondeo 1° : Falsum est jus istud non viguisse ante Sardicense concilium, prout constat ex supra relatis pluribus appellationibus, dicto synodo anterioribus.

Respondeo 2° : Verba *Si vobis placet, etc.*, optime proferri potuerunt stante omnimoda Patrum Sardicensium persuasione de potestate Romani Pontificis, a Christo accepta, causas omnes in gradu appellationis judicandi. Enimvero post interjectam a sancto Athanasio ad Julium papam appellationem, Eusebiani, qui eum damnaverant, accersiti Romam ad judicium fuerant, et comparere renuerant. Quam inobedientiam ut aliquatenus excusarent, negabant penes Romanum Pontificem stare de synodicis judiciis judicium. Hanc tantam Eusebianorum audaciam publico documento confundere opportunum æstimarunt Sardicenses Patres. Et ideo dicitur, *si vobis placet, sancti Petri memoriam honoremus.* Id est : cum Romani Pontificis potestas appellationes recipiendi et judicandi ab Eusebianis scandalose negata fuerit, nos condamus canones, quibus potestatem illam, sedi Romanæ a Christo collatam, solemniter profiteamur.

Respondeo 3° : Adeo Sardicensibus Patribus indubitata fuit

dicta Romani Pontificis quoad appellationes potestas, ut Eusebianos *sycophantas* vocent, eo quod Julii papæ judicio, in causa appellationis Athanasii, stare noluerint. Sane si hocce jus indebite sibi usurpasset Romanus Pontifex, non redarguendi sed potius laudandi fuissent Eusebiani, quod tali usurpationi restitissent. Ast eos e contra sic perstringunt Sardicenses Patres in synodica sua epistola *ad omnes Episcopos* : « Cum igitur jampridem litteras suas accusatrices de Athanasio et Marcello et Asclepa comministris nostris, Eusebiani ad Julium Romanæ Ecclesiæ Episcopum misissent, alii quoque ex aliis locis Episcopi ad eumdem Julium litteras suas miserunt, quibus et Athanasii innocentiam et Eusebianorum sycophantiam contestabantur. Et quanquam id ita esse, *ex eo præcipue cognosci potuit, quod accersiti a dilecto nostro comministro Julio, judicio non steterunt*, et ex ipsius Julii litteris manifesta illorum sycophantia apparuit : accessissent enim si actorum suorum in comministros nostros fiduciam habuissent » (Conciliorum Labbe t. II, col. 670, edit. Parisiis, 1671).

Objectio secunda. — Sardicenses canones non tribuunt Romano Pontifici potestatem judicandi *per seipsum* synodales sententias a quibus fuit appellatum, sed duntaxat mittendi legatos ; cæterum causam esse judicandam in pleniori concilio, cui intersint isti legati, cum Episcopis ex vicinia convocatis.

Respondeo 1° : Falsissimam esse hanc Sardicensium canonum interpretationem probat vel ipsa concilii Sardicensis agendi ratio erga Julium papam. Is nempe synodalem sententiam contra Athanasium prolatam resciderat, non in Oriente ac in pleniori synodo adstantibus legatis suis, sed Romæ. Huc nempe Athanasium et Episcopos qui eum synodice condemnaverant, accersiverat, ut utrosque judicaret. Et quia Eusebiani huic Julii judicio stare renuerant, sycophantæ vocantur a Sardicensi concilio. Igitur indubitatum prorsus fuit Sardicensibus patribus, liberum esse Romano Pontifici, ut

Romæ, si opportunum existimaverit, ipsemet appellationum causas dirimat.

Respondeo 2° : Colligitur insuper dictæ interpretationis falsitas ex ipso Sardicensium canonum tenore. Equidem canone 3, de Episcopo qui synodaliter condemnatus est et qui ad sedem Romanam appellavit, dicitur : *Ab iis qui judicaverint scribatur Julio Romanorum Episcopo et per propinquos provinciæ Episcopos judicium renovetur, et cognitores ipse præbeat.* Sed additur, *si opus sit.* Proinde si Romanus Pontifex ex documentis sibi transmissis satis causam cognoscat, opus non est ut judicium per propinquos provinciæ Episcopos et per cognitores ab ipso expeditos renovetur ; sed posse tunc ab ipso Romæ causam dirimi tanquam certum supponitur.

Idem innuit canon 4, ubi habetur : « Si quis Episcopus fuerit depositus judicio Episcoporum qui sunt in vicinia, et dicat rursus sibi defensionis negotium competere, non prius in cathedram alius substituatur, quam Romanus Episcopus, causa cognita, sententiam tulerit. » Agitur de Episcopo cujus causa in gradu appellationis ad Romanam Sedem interjecta, judicata est ab Episcopis viciniæ et a cognitoribus a Romano Pontifice delegatis. Porro si *rursus* ab isto judicio appellet, dicitur exspectandam esse definitivam Romani Pontificis sententiam. Agitur ibi de sententia, quam ipse Romanus Pontifex pronuntiet, non quæ pronuntietur a novo concilio ad id cogendo. Proinde agnoscitur potestas Romani Pontificis definitive judicandi per seipsum.

Tandem attente si legatur canon 5, totam concilii mentem exponens, idem reperietur. Nam ibi hæc statuuntur : Si Episcopus synodice damnatus appellet ad Romanum Pontificem, et Romanus Pontifex *justum existimaverit examinationem renovari*, scribere dignabitur coepiscopis qui sunt propinqui provinciæ. Ubi vides necessariam non esse novam examinationem per vicinos Episcopos, *nisi id opportunum existimaverit Romanus Pontifex ;* quod idem est ac dicere, si id inutile existimaverit et causam satis jam cognoscat, ipsius est defi-

nitivam sententiam proferre. Sed magis adhuc res patet ubi agitur de iterata appellatione post judicium a vicinis Episcopis et papæ cognitoribus pronuntiatum : « Si quis autem postulet suum negotium rursus audiri (intellige post secundum judicium ab Episcopis *qui sunt propinqui provinciæ*), et ad suam supplicationem Romanorum Episcopum judicare visum fuerit, ut a proprio latere presbyteros mittat, et sit in potestate ipsius quodcumque recte habere probaverit. *Et si decreverit oportere eos mitti, qui cum episcopis sint judicaturi, habentes auctoritatem ejus a quo missi sunt, et hoc ponendum est. Si autem sufficere putaverit ad rei cognitionem et episcopi sententiam* (πρός τὴν τοῦ πράγματος ἐπιγνωσιν καὶ ἀποφασιν τοῦ ἐπίσκοπου), *faciet quod prudentissimo ejus consilio recte habere videbitur* » (Conciliorum Labbe tomo II, col. 630 et 631 edit. Parisiis, 1671). Igitur in casu hujus secundæ appellationis ad Romanum pontificem, fatetur Sardicense concilium liberum esse Romano Episcopo, vel statim per seipsum definitivam sententiam pronuntiare, si putaverit sufficienter a se cognosci causam ut de isto Episcopo pronuntiare valeat ; vel a proprio latere mittere novos judices, qui ex ipsius auctoritate cum vicinis Episcopis pronuntient. Proinde a Patribus Sardicensibus plene agnoscitur potestas Romani Pontificis appellationum causas *per seipsum*, si bene visum ipsi fuerit, definitive dirimendi.

Objectio tertia. — Sanctus Cyprianus, de pseudoepiscopis in Africa condemnatis qui Romam navigaverant, scripsit ad Cornelium Papam in hunc modum : « Nam cum statutum sit omnibus nobis, et æquum sit pariter et justum, ut uniuscujusque causa illic audiatur ubi est crimen admissum, et singulis pastoribus portio gregis sit adscripta, quam regat unusquisque et gubernet, rationem sui actus Domino redditurus, oportet utique eos quibus præsumus non circumcursare, nec Episcoporum concordiam cohærentem sua subdola et fallaci temeritate collidere, sed agere illic causam suam ubi et accusatores habere et testes sui criminis possint. Nisi si paucis desperatis et perditis minor videtur esse auctoritas Episcoporum

in Africa constitutorum, qui jam de illis judicaverunt et eorum conscientiam multis delictorum laqueis vinctam judicii sui nuper gravitate damnarunt. Jam causa eorum cognita est : jam de eis dicta sententia est ; nec censuræ congruit sacerdotum mobilis atque inconstantis animi levitate reprehendi » (Conciliorum Labbe tomo I, col. 698 et 699, edit. Parisiis, 1671). Fuit ergo sancti Cypriani doctrina, non dari a sententiis conciliorum ad Romanum Episcopum appellationem.

Respondeo 1° : Quod sanctus Cyprianus legitimas existimaverit appellationes ad Romanum Pontificem, testantur supracitata ejus verba de Basilide, qui sententia synodali depositus in Hispania fuerat, et quem Stephanus Papa, fraudibus deceptus, in episcopatu suo restituerat. Nam ipsemet Cyprianus factam a Basilide appellationem sic memorat : « Romam pergens Stephanum collegam nostrum... fefellit, ut exambiret *reponi in episcopatum* de quo fuerat juste depositus. » Postea vero ut ostendat eam restitutionem validam non esse, solummodo rationem allegat, quod *obreptitie* fuerit extorta. « Neque enim tam culpandus est ille (Stephanus) cui negligenter obreptum est, quam hic execrandus (Basilides), qui fraudulenter obrepsit. » Si existimasset Cyprianus Romano Pontifici jus non competere appellationes ejusmodi recipiendi, sane ante omnia dixisset non valere sententiam qua Basilides restitutus in episcopatu fuerat, ex defectu potestatis in pronuntiante ; ac Stephanum Papam redarguisset quod indebite hanc sibi prærogativam usurpasset. Igitur dum solum allegat *obreptionis* vitium, supponit Romanos Pontifices esse legitimos appellationum judices. Cun ergo inde certo innotescat Cypriani hac de re doctrina, etiamsi ambiguum quid in objecto textu reperiretur, deberet juxta notam ipsius mentem exponi.

Respondeo 2° : Potest locus exponi hoc sensu : Non negat sanctus Cyprianus jus Romani Pontificis causam illam in gradu appellationis judicandi ; sed negat id *expedire*, in casu præsenti, et probare contendit valde nocivum fore.

Respondeo 3° : Si revera intellexisset sanctus Cyprianus jus Romano Pontifici non competere appellationes recipiendi et definitive ubi voluerit definiendi, dicendum foret hac in re ipsum errasse et deserendum esse ; quippe qui adversaretur doctrinæ ab universali Ecclesia receptæ, quam testatur Patrum traditio, necnon perpetua Ecclesiæ praxis, in Africanis etiam regionibus ante et post Cyprianum vigens.

Respondeo 4° : A Donatistis adulterata vel conficta fuisse sancti Cypriani scripta quibus nititur celebris ejus cum Stephano papa de baptismate controversia, tenent nonnulli eruditi. Cujus opinionis gravissima fundamenta exposuimus infra (parte secunda, sect. V, cap. IV). Porro similiter potuerunt iidem hæretici adulterare alia sancti Cypriani loca, quæ invisam ipsis Romanæ Sedis potestatem respiciunt. Igitur si allegatus textus assertum sensum haberet, potius pro spurio esset habendus ; cum aliunde certa sit contraria hujus ævi disciplina, immo et mens ipsius Cypriani, ut patet ex ejus loquendi modo de Basilidis appellatione.

Objectio quarta.—Concilium Milevitanum anni 416, canone 22, prohibet appellationes ad Romanam Sedem. Sic nempe ibi habetur : *Ad transmarina autem* (concilia) *qui putaverit appellandum, a nullo intra Africam in communione suscipiatur* (Conciliorum Mansi tomo IV, p. 331).

Respondeo : « Canon iste 22 Milevitani concilii de presbyteris et minoribus clericis loquitur, non de Episcopis ; ut patet tum ex Augustino, qui huic concilio interfuit, et tamen scribit, in epistola 162, licere Episcopis Africanis appellare ultra mare, clericis minoribus non licere ; tum ex verbis ipsius concilii : sic enim incipit : *Placuit ut presbyteri, diaconi vel cæteri inferiores clerici*... Quare totum concilium Milevitanum probavit Innocentius I, in epistola ad ipsum concilium » (Bellarminus, *de Romano Pontifice*, l. II, c. XXIV). Igitur dicti concilii Patres nequaquam prohibuerunt episcoporum appellationes ad Romanum Pontificem. Quod autem, consentiente seu tolerante Sede Apostolica, inferiorum clericorum ultra-

marinas appellationes prohibuerint, non probat negatum ab ipsis fuisse jus Romani Pontificis has etiam recipiendi. Nam cum decreta sua ei subjecturi essent, prout de facto subjecerunt, potuerunt et istud proponere, licet scirent non valiturum nisi ex Romani Pontificis consensu. Et potuit Romanus Pontifex illud decretum tolerare, et sic vim ei conferre, prout optabant Milevitani Patres. Habendus nempe iste canon tanquam quoddam concordatum, quo Romanus pontifex aliquid remisit de jure suo, ab omnibus, atque ab ipsis etiam Africanis Episcopis agnito.

Objectio quinta. — Occasione appellationis Apiarii presbyteri, anno 418, variis actis palam fecerunt Africani Præsules, respui a se jus quod sibi Romana Sedes usurpabat appellationes recipiendi.

Respondeo 1° : Nonnullis eruditis conficta visa sunt documenta, quibus tota nititur historia ista de Apiario et de consecuto conflictu inter Sedem Romanam et Africanos Præsules. De quo vide meum tractatum *de Concilio provinciali* (parte III, c. x).

Respondeo 2° : Si genuina sit Aurelii Carthaginensis et aliorum Africanorum præsulum ad Cœlestinum Papam epistola synodica, de ea dicimus, cum Christiano Lupo : *Infelix, devia, ac prævaricatoria epistola... Fuit horrenda audacia. Africani namque Episcopi usque tunc Romam semper appellaverant, ac postea etiam perrexerunt appellare : et ecce ista synodus, dum de Apiarii facta per Zozimum reparatione se vindicare studet, tentat evertere omnia. Et canones Nicænos intellexit pessime. Quod enim hi Romanas appellationes non circumscribant, est nimis exploratum* (de Africanarum Ecclesiarum Romanis appellationibus, cap. xxix). Ad sanctum Augustinum, necnon Alipium et Possidium Episcopos quod attinet, nullam eos partem in hac synodo et epistola habuisse, evincunt citatus Christianus Lupus et alii eruditi.

Jam vero talis prævaricatio, si revera contigisset, fuisset duntaxat momentanea, et eam Africani Præsules statim cor-

rexissent ; siquidem posteà, sicut ante, Romam ex Africanis regionibus appellatum est. Igitur ejusmodi erratum potius confirmaret quam infirmaret Romani Pontificis prærogativam.

CAPUT X

ARGUMENTUM EX JURE QUOD EXERCUERUNT ROMANI PONTIFICES IN VARIIS REGIONIBUS SUOS CONSTITUENDI VICARIOS, QUIBUS EARUM REGIONUM EPISCOPI SUBDERENTUR, ET SIMUL SIBI RESERVANDI MAJORES CAUSAS

Thesim illam fuse probatam reperies in meo tractatu *de Curia Romana* (parte IV, sect. I, cap. III et seq., p. 595). Ad quem locum remittimus, ne bis eadem redeant. Adjicimus duntaxat quæ de eodem argumento scripsit Bellarminus, in hunc modum.

« Quemadmodum, ex eo quod Rex mittit pro-reges ad provincias, intelligimus Regi eas provincias subjectas ; et similiter ex eo quod Rex injungit judicia præsidibus provinciarum cum reservatione certarum causarum, intelligimus Regem esse summum judicem ; ita quoque ex eo quod Apostolica Sedes vicarios habebat in omnibus fere longinquis regionibus, vel vices suas ad tempus alicui committebat, et tamen ad se graviora negotia referri volebat, recte colligimus ad Apostolicam Sedem summum judicium totius Ecclesiæ pertinere. Exempla sunt plurima.

« Leo, epistola LXXXIV, facit Anastasium Episcopum Thessalonicensem vicarium suum per Orientem, sicut ejus prædecessores vicarii fuerant prædecessorum sancti Leonis, ut ipse ibidem indicat. Quæ causa videtur fuisse cur in Sardicensi concilio, canone 20, statueretur ne clerici extranei diu morarentur Thessalonicæ. Quoniam enim ibi sedebat Vicarius Papæ, eo confluebant ex tota Græcia clerici, et sæpe diutius

hærebant quam oportebat. Idem, epistola LXXXVII, committit vices suas Potentio Episcopo in regionibus Africæ.

« Cœlestinus Papa Cyrillo Alexandrino vices commisit in causa Nestorii Episcopi Constantinopolitani, et Ecclesia illa Constantinopolitana regenda, Episcopo deposito...

« Gelasius in epistola ad Episcopos Dardaniæ : *Cur*, inquit, *non ad Sedem Apostolicam, a qua sibi curam illarum regionum noverat delegatam, referre curavit Acacius?* Loquitur de Episcopo Constantinopolitano Acacio, cui commiserat Romanus Pontifex curam Ægypti, ac mandaverat ut deponeret Episcopum Alexandrinum.

« Hormisdas, in epistola ad Sallustium Episcopum Hispalensem, facit eum suum vicarium per Bæticam et Lusitaniam.

« Justinianus (in *Authent.*, collat. 9, tit. VI, sive novella constitutione CXXXI) scribit Episcopum Primæ Justinianæ locis quibusdam præesse debere, tanquam vicarium Romani Pontificis, quoniam ita Vigilius Papa constituisset.

« Gregorius (libro IV, epist. LII) vicarium suum per Gallias constituit Virgilium Episcopum Arelatensem, et similiter reservat sibi causas graviores » (Bellarminus, *de Romano Pontifice*, lib. II, cap. XX).

CAPUT XI

ARGUMENTUM EX LEGIBUS, DISPENSATIONIBUS ET CENSURIS

« Argumentum duci potest, ait Bellarminus, ex auctoritate leges ferendi, dispensandi et puniendi, quam Romanus Episcopus in Ecclesiæ filios, quamvis maximos et nobilissimos, exercuit » (*de Romano Pontifice*, l. II, c. XIX).

I. Jus exercuisse Romanos Pontifices leges et præcepta indicendi, quæ cæteros per orbem Episcopos constringerent, testantur documenta quamplurima.

Sanctus Leo Magnus, anno 443, epistolam scripsit ad uni-

versos per Italiæ provincias constitutos Episcopos, qua plures edicit circa disciplinam ecclesiasticam leges; et eam claudit hisce verbis : *Quod si quis fratrum contra hæc constituta venerit vel venire tentaverit, et prohibita fuerit ausus admittere, a suo se noverit officio submovendum, nec eum communionis nostræ futurum esse consortem, qui socius esse noluit disciplinæ. Ne quid vero sit quod prætermissum a nobis forte credatur, omnia decretalia constituta, tam beatæ recordationis Innocentii, quam omnium præcessorum nostrorum quæ de ecclesiasticis ordinationibus et canonum ordinata sunt disciplinis, ita vestram dilectionem custodire debere mandamus, ut si quis illa contempserit, veniam sibi deinceps noverit denegari* (Conciliorum Labbe tomo III, col. 1294, edit. Parisiis, 1671).

Idem sanctus Leo in litteris suis ad Julianum Aquileiensem Episcopum : *Dilectio tua injungat curam suam dispositionibus nostris et det operam ut circumspecte atque velociter impleantur quæ ad totius Ecclesiæ incolumitatem et laudabiliter digesta sunt et salubriter ordinata* (ibid., col. 1296).

Idem sanctus Leo ad Dorum Beneventanum Episcopum : *Miramur te, quem auctoritatum Apostolicæ Sedis observantissimum esse convenerat, tam negligenter, ac potius insolenter egisse, ut traditarum tibi legum non custos, sed transgressor existeres... Sine dissimulatione hæc quæ decernimus tradantur effectui... Executionem vero præceptionum nostrarum fratri et coepiscopo nostro Julio commisisse nos noveris* (ibid., col. 1301 et 1302).

Idem sanctus Leo ad universos per Siciliam Episcopos : *Hanc præcepti nostri formam apud dilectionem vestram volumus esse perpetuam : qua sine exceptione decernimus, ut ne quis Episcopus de Ecclesiæ suæ rebus audeat quidquam vel donare, vel commutare vel vendere, nisi forte... cum totius cleri tractatu atque consensu id eligat, quod non sit dubium Ecclesiæ profuturum* (Conciliorum Labbe tomo III, col. 1439 et 1440, edit. Parisiis, 1671).

Item in epistola LXXXI ad Dioscorum Patriarcham Alexan-

drinum duas leges edicit, et in utraque hac utitur formula : *Id quoque a vobis volumus custodiri.*

Anno 465, Hilarius Papa in concilio Romano ita decrevit : *Nulli fas sit sine status sui periculo, vel divinas constitutiones, vel Apostolicæ Sedis decreta temerare* (Conciliorum Labbe t. IV, col. 1060, edit. Parisiis, 1671).

In privilegio quod concessit S. Gregorius Magnus monasterio sancti Medardi, sic habetur : « Si quis autem regum, Antistitum... hujus apostolicæ auctoritatis et nostræ præceptionis decreta violaverit... honore suo privetur » (Conciliorum Labbe t. V, col. 1584, edit. Parisiis, 1671). Quod documentum omittendum non duximus, licet ejus authenticitas inter eruditos controvertatur.

II. Jus dispensandi in universalibus Ecclesiæ legibus exercuerunt Romani Pontifices. In exemplum sit epistola Gelasii I ad Episcopos Lucaniæ, cujus exordium sic habet : « Necessaria rerum dispensatione constringimur, et Apostolicæ Sedis moderamine convenimur, sic canonum paternorum decreta librare, et retro præsulum decessorumque nostrorum præcepta metiri, ut quæ præsentium necessitas temporum restaurandis Ecclesiis relaxanda deposcit, adhibita consideratione diligenti, quantum potest fieri temperemus » (Conciliorum Labbe t. IV, col. 1188, edit. Parisiis, 1671). Et hac ipsa epistola præfatus Pontifex in pluribus dispensat.

« Item Gregorius, libro XII, epistola XXXI, Felici Episcopo Siciliæ dicit se dispensasse cum Anglis circa matrimonia in gradibus prohibitis, et rursum cum Siculis, ut semel tantum in anno concilium celebrent, cum alioqui regulæ præscribant bis in anno concilia celebrari. Porro regula ista, in qua Gregorius dispensabat, est canon 5 concilii primi generalis » (Bellarminus, *de Romano Pontifice*, l. II, c. XIX).

III. Jus censuras ferendi pariter exercuerunt Romani Pontifices, absque ulla territorii limitatione. De quo, inter alia plurima exempla, juvat sequentia recensere.

S. Victor Papa, qui ad summum Pontificatum evectus est

anno 192, excommunicationem comminatus est Asiaticis Episcopis nisi morem suum corrigerent quoad diem celebrandi paschalis festi, teste Eusebio (*Histor.* l. V, c. XXIV).

S. Innocentius I excommunicavit Arcadium imperatorem et uxorem ejus Eudoxiam his verbis : *Itaque ego minimus et peccator, cui thronus magni apostoli Petri traditus est, segrego te et illam a perceptione immaculatorum mysteriorum Christi Dei nostri. Episcopum etiam omnem aut clericum... qui administrare aut exhibere ea vobis ausus fuerit, ab ea hora qua præsentes vinculi mei legeritis litteras, dignitate sua excidisse decerno* (Epistola ad Arcadium, apud Labbe tomo II, col. 1339, edit. Parisiis, 1671). Nec objiciatur, a sancto etiam Ambrosio excommunicatum fuisse Theodosium imperatorem, quin inde sancto Ambrosio vindicari queat primatus jurisdictionis in universam Ecclesiam. Nam Ambrosius id fecit in Ecclesia sua, quando imperator Theodosius Mediolani sedem haberet. At excommunicare aliquem extra Mediolanensem diœcesim nunquam ausus fuisset. Innocentius autem imperatorem Constantinopoli extantem et commorantem excommunicat. Simulque excommunicationem minatur cuilibet Episcopo qui præfatos imperatorem et imperatricem ad sacramenta recipere attentaret.

Gregorius Papa III excommunicavit Leonem imperatorem, teste Zonara in Vita Leonis Isauri.

Nicolaus I excommunicationem minatus est Lothario regi, et reipsa excommunicavit concubinam ejus Valdradam, necnon Coloniensem et Trevirensem Archiepiscopos.

CAPUT XII

ARGUMENTUM EX EO QUOD ROMANUS PONTIFEX SIT SUCCESSOR SANCTI PETRI.

Sanctus Petrus a Christo accepit jurisdictionis primatum in universam Ecclesiam, et ex eadem Christi institutione

habere debuit in hocce primatu successorem. Id superiore sectione probatum est. Proinde agnoscendus omnino erit in Romano Pontifice idem primatus, si probetur Romanum Pontificem, quoad hunc ipsum primatum, sancto Petro *successisse*. Porro quod revera Romanus Pontifex sancto Petro successerit in suprema regendæ totius Ecclesiæ potestate, evincitur.

I. *Ex Ecclesiæ catholicæ historia et praxi.* — Quis Petro successerit in suprema regiminis potestate, debuit esse in Ecclesia notorietatis publicæ, nec ullatenus potuit dubium et incertum remanere. Nam, ex ipsamet institutione Christi, debuit Petrus habere in dicta potestate successorem, prout sectione præcedenti probatum est. Id vero intelligendum est de successore quem Ecclesia certo dignoscere posset. Enimvero successor Ecclesiæ ignotus, aut dubius, hoc ipso caruisset potestate obedientiam exigendi, ac proinde non fuisset vere successor Petri quoad jurisdictionalem primatum. Igitur providere debuit Christus sive per se, sive per Apostolum suum Petrum, ut Ecclesiæ apertissime intimaretur ac prorsus notum fieret, quis, defuncto Petro, pro ejus successore ac supremo totius Christiani gregis rectore esset agnoscendus. Proinde quod Ecclesia, post Petri obitum, apprime cognoverit quis ei tanquam universali rectori successisset, est factum certissimum *a priori*, utpote ex ipsa Christi institutione necessario consequens.

Jam vero factum istud debuit necessario in Ecclesia producere ac determinare constantem ac publicam praxim agnoscendi pro successore Petri illum ipsum, quem vel Christus ipse, vel Petrus ex auctoritate Christi, agnoscendum edixerat. Non enim quoad hoc inobediens esse potuit Christi Ecclesia, utpote contra quam alioquin portæ inferi prævaluissent. Igitur ex constanti Ecclesiæ praxi, seu ex ejus historia, facillimum esse debet agnoscere quis fuerit verus Petri successor in universali regimine. Si nempe Christus edixerit, vel per Petrum edicendum procuraverit, legitimos Petri suc-

cessores fore certæ alicujus Sedis Episcopos, reperietur per totam ecclesiasticæ historiæ seriem manifestissima praxis agnoscendi Sedis illius præsules tanquam legitimos Petri successores et totius Ecclesiæ rectores. Econtra, si ex auctoritate Christi primatus jurisdictionis nulli certæ sedi alligatus fuerit, sed voluerit Christus illos Petro in hocce primatu succedere, quos universalis Ecclesia elegerit, reperietur per totam sæculorum seriem constans praxis generalium totius Ecclesiæ comitiorum ad eligendos Petri successores. Porro : 1° nullum omnino in tota historia ecclesiastica occurrit vestigium praxeos, qua Ecclesia per generalia comitia Petri successorem elegerit; 2° item nullum prorsus reperitur vestigium praxeos, qua alterius præterquam Romanæ Sedis Episcopum agnoverit tanquam legitimum Petri in universali regimine successorem; 3° econtra, quod Romanæ Sedis Præsules tanquam legitimos Petri successores, et universalis ejus potestatis hæredes, Ecclesia perpetuo habuerit, crediderit ac professa sit, testatur tota quanta monumentorum ecclesiasticorum copia. Ergo certum est successionem in universali primatu Sedi Romanæ fuisse alligatam; idque verum remanet, sive Christus immediate per seipsum ita disposuerit, et Petro exequendum mandaverit, sive Petro liberum reliquerit ut Sedi sibi bene visæ primatum alligaret, et promiserit dumtaxat illius Sedis præsules, quam elegisset Petrus, fore auctoritate divina in primatu successores.

Potest autem argumentum istud sic brevius exhiberi : si alii quam Romanæ Sedis præsules debuissent ex dispositione Christi aut Petri succedere in primatu, id executioni mandatum manifestaret Ecclesiæ historia et praxis. Atqui ne vestigium quidem extat de ullo alio præter Romanum Pontificem in primatu successore. Ergo.

II. *Ex Ecclesiæ definitione.* — Nimirum œcumenica synodus Florentina expresse definivit, *Pontificem Romanum successorem esse Beati Petri, et ipsi in Beato Petro pascendi, regendi ac gubernandi universam Ecclesiam a Domino nostro plenam*

potestatem traditam esse (Labbe, t. XIII, col. 515, edit. Parisiis, 1672).

Igitur Romanus Pontifex est revera successor Petri quoad primatum jurisdictionis; ergo ipsi competit primatus ejusmodi, seu plena regendæ Ecclesiæ potestas.

CAPUT XIII

AN ET QUATENUS SIT DE *JURE DIVINO* ET *DE FIDE*, ROMANUM PONTIFICEM ESSE SUCCESSOREM SANCTI PETRI IN PRIMATU AUCTORITATIS.

Quadruplex hic expendenda venit quæstio : 1° an quod ita succedat sit vere ac proprie de *jure divino;* 2° an sit *de fide;* 3° utrum *de fide* sit talem, verbi gratia Pium IX, esse summum Pontificem; 4° an per aliquam potestatem ecclesiasticam primatus a Sede Romana separari posset, ac in aliam (verbi gratia, Lugdunensem) transferri.

§ 1. — Quod Romani Pontifices in primatu auctoritatis sancto Petro succedant, est vere ac proprie *de jure divino*.

Erronea nempe foret opinio quæ teneret Romano Pontifici primatum competere ex solo *jure humano*, id est, quia sic disposuisset Ecclesia, vel etiam ipse sanctus Petrus ex mera sua humana voluntate. Quem errorem antequam confutemus, nonnulla prænotanda sunt, videlicet :

1° Auctoritatis primatum habuit sanctus Petrus ex *jure divino*, prout constat ex superiori sectione.

2° Item quod primatus Petri ad successores ejus sit usque ad finem mundi transmittendus, est pariter de *jure divino*, id est, ex ipsamet Christi institutione ut ibidem probatum est. Ac proinde, vi ejusdem institutionis Christi, deficere in Ecclesia nequit successio illa, qua primatus Petri, cum desinit in uno (ob ejus obitum aliamve causam) ad alium transeat.

3° Quod Christus ipse instituerit ac decreverit Romanos Episcopos, et non alios, Petri successores fore quoad primatum seu potestatem regendæ universalis Ecclesiæ, valde quidem probabile est; at non est definitum, nec etiam extra controversiam positum. Dicimus esse *valde probabile*: cum enim tot alia Christus sancto Petro revelaverit, ac ita ipsi primatum contulerit, ut simul ad successores prærogativam illam transfundendam apertissime docuerit, verisimile non est eum siluisse de modo seu ratione hujusmodi successores determinandi ac constituendi. Enimvero determinatio hæc ad Ecclesiæ bonum quam maxime conferebat. Insuper ipsimet sancto Petro valde optandum fuit ut in re tanti momenti quomodo sese gerere deberet, ipso Domino docente ac præcipiente disceret. Pro summa ergo sua benignitate verisimile est Dominum Jesum Petro significasse, ut episcopatum urbis Romæ sibi assumeret, ac isti episcopali Sedi alligatum ex divina dispensatione primatum sciret ac declararet; ita ut Episcopi in hac sede ipsi succedentes, in supremo etiam totius Ecclesiæ regimine succederent. Id quidem probabile. At cum nec in sacris scripturis legatur, nec fuerit ab Ecclesia, tanquam ad traditionis depositum pertinens, definitum, adhuc licite inter catholicos controversiæ subjicitur.

4° Hinc probabilis etiam aliquatenus remanet hypothesis, quod Christus ipse non determinaverit quinam futuri forent in primatu successores, sed determinationem hanc Petro faciendam reliquerit, et statuerit dumtaxat eos successores fore et a se dicto primatu donandos, quos ipse sanctus Petrus ad id elegisset ac designasset. In hac autem hypothesi, quod Romanus præsul, potius quam Antiochenus vel alterius Sedis, Petro in primatu succedat, proveniret conjunctim tum ex facto humano ac libero Petri, Romanam Sedem eligentis ac designantis ut ei primatus alligaretur, tum ex institutione divina Christi, qui regendæ universalis Ecclesiæ potestatem alligatam voluisset ei Sedi, quam ad id libere elegisset ac determinasset Petrus.

5° Quod autem Romani Episcopi de facto in primatu successerint, est omnino certum ac tenendum; sive id immediate statuerit Christus Dominus, juxta priorem hypothesim, sive opus insuper fuerit libera Petri electione, ad sensum posterioris systematis.

Quibus prænotatis, sic facile probari potest asserti veritas, videlicet, ad jus *vere ac proprie divinum* pertinere, quod Romani Pontifices in primatu succedant :

Nam, vel Christus ipse decrevit et Petro revelavit Romanæ Sedis Episcopos, et non alios, in primatu successores fore; vel decrevit dumtaxat eos fore successores, si Petrus ita voluerit et disposuerit. Porro in utroque casu successio hæc Romanorum Pontificum est, et dicenda est, de *jure divino*. Et in priori quidem casu res per se patet, cum supponatur a Christo ipso absolute et sine conditione decreta Romanorum Præsulum successio. Sed et in posteriori hypthesi adhuc successio hæc est vere ac proprie *de jure divino*. Nam tunc, quod Romani Præsules succedant, pendet quidem etiam ex parte a libero sancti Petri actu. At semel posito ejusmodi actu, quo sanctus Petrus Sedem Romanam primatus sui hæredem voluerit ac elegerit, verum remanet esse Christi Domini voluntatem ut Romani Pontifices, et non alii, succedant. Quod autem fit ex *voluntate* seu decreto Christi, est vere ac proprie *de jure divino*.

Cujus ratiocinii ut facilius vim percipiat lector, advertat quæstionem hic non esse *an Romani Pontifices in primatu Petri succedant*. Id certum et indubitatum supponitur ; et quæritur dumtaxat, an *jure divino* succedant. Porro cum certum sit eos succedere, certum etiam est a Petro positam fuisse conditionem sine qua non successissent, id est, electos ab ipso fuisse in successores Sedis Romanæ Præsules. Qua verificata conditione (si necessaria fuit), statim verificatur quod Christus ipse statim post obitum Petri voluerit et disposuerit, Romanos Præsules, et non alios, in primatu succedere. Quod autem fit ex voluntate et dispositione Christi Domini, est *de jure divino*, ut patet.

Idem sic alio modo illustrare juvat : num Romani præsules *jure divino* succedant, ambigi posset duntaxat in hypothesi quod Christus, non absolute, sed *conditionate* tantum illos succedere statuerit, id est, sub conditione quod Petrus eos in primatus sui successores libere elegerit. Porro in hac hypothesi perinde res se habet ac si Christus Petrum allocutus fuisset hoc modo : *Tibi confero auctoritatis in Ecclesia mea primatum ; et hunc primatum simul nunc confero in tua persona et continuo conferam successoribus tuis in sede quam eligeris : et quisquis tibi in hac sede a te electa tibi successerit, per electionem canonicam et juxta regulas ab Ecclesia mea seu a te ipso et successoribus tuis determinandas peragendam, hoc ipso et a me habebit tuum auctoritatis primatum ; unde, si Romanam Sedem elegeris, ex hoc ipso successores tui in hac sede habebunt a me hunc ipsum quem tibi confero primatum auctoritatis.* Jam vero in hypothesi quod Christus ita statuerit, planum est primatum Romano Pontifici competere *jure divino*. Ideo enim hunc primatum habet, quia ipse Christus eum ipsi contulit in persona Petri. Equidem Christus ei primatum non contulit, nisi sub conditione quod Petrus Sedem Romanam elegisset, quæ electio, utpote actus humanus Petri, non est juris divini. Sed cum conditio hæc verificata fuerit, licet per actum qui non fuit juris divini, verum fit primatum penes Romanum præsulem existere per ipsammet Christi collationem, ac proinde *jure divino*.

Hac de re adnotat Bellarminus, « aliud esse successionem, aliud rationem successionis. Nam successio Romani Pontificis in Pontificatum Petri ex institutione Christi est : ratio autem successionis, qua Romanus Pontifex potius quam Antiochenus vel aliquis alius succedat, ex facto Petri initium habuit. Successio, inquam, ipsa ex Christi instituto et jure divino est, quia Christus ipse instituit in Petro Pontificatum duraturum usque ad finem mundi ; et proinde quicumque Petro succedit, *a Christo* accipit Pontificatum » (*de Romano Pontifice*, libro II, cap. XII). Utendo ultimis Bellarmini verbis sic

breviter præsentem disceptationem concludimus : Romanus Pontifex succedit Petro in primatu : quicumque succedit Petro in primatu , accipit primatum *a Christo* : quicumque accipit primatum *a Christo*, illum habet *jure divino* : ergo Romanus Pontifex *jure divino* primatum obtinet : ergo est successor Petri in primatu *ex jure divino*.

§ 2. — Romanos Pontifices in primatu auctoritatis sancto Petro succedere, *est* simpliciter *de fide*.

Nam illud *de fide* est quod Ecclesia definire potuit ac revera definivit. Atqui,

1° *Ecclesia definire potuit* Romanos Pontifices in primatu auctoritatis sancto Petro successores esse. Enimvero Ecclesia jus habet definiendi fidem et quidquid ad sui ipsius constitutionem pertinet. Hinc si factum aliquod fidem attingat aut ad Ecclesiæ constitutionem pertineat, potest Ecclesia factum istud definire, ita ut fideles omnes teneantur firmiter ac sincere credere quod de facto illo definierit. Jam vero quod Romani Episcopi sancto Petro in primatu successerint, est quidem factum quod non legitur in Sacris Scripturis, imo quod forte initium habuit ex humano arbitrio Petri, Romanos præsules in successores eligentis, cum potuisset forsan alios eligere. Sed tamen factum istud ad fundamentalem Ecclesiæ constitutionem pertinet; siquidem ex illo facto sequitur Romanum Episcopum esse totius Ecclesiæ caput. Ergo potuit Ecclesia factum istud definire, et exigere ut firmiter ab omnibus credatur.

2° *Ecclesia definivit* Romanum Episcopum esse successorem Petri quoad primatum seu quoad supremam totius Ecclesiæ regendæ potestatem. Varias hac de re definitiones supra retulimus. Attendenda imprimis concilii œcumenici Florentini verba : *Definimus... ipsum Romanum Pontificem successorem esse beati Petri..., et ipsi in beato Petro pascendi, regendi ac guber-*

nandi universam Ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse.

Præterea negari nequit hæc Romanorum Præsulum in primatu successio, quin hoc ipso negetur suprema eorum regendæ Ecclesiæ potestas. Porro negatio hæc esset formaliter hæretica.

3° Esse *de fide* Romanorum Præsulum in primatu successionem probari posset communi catholicorum doctorum sententia. Citabimus duntaxat Suaresium, qui sic habet : « Concludimus solum Romanum Episcopum esse verum successorem Petri, et potestatem Petro datam ad oves Christi pascendas in illo perseverare. Hæc assertio certa et *catholica fide* tenenda est. Nam licet expresse et in propriis terminis in Sacra Scriptura non legatur, in principiis in illa revelatis virtute continetur, quod per Ecclesiam sufficienter declaratum est, imo quadam rerum evidentia et experimento constat. Declaratur inprimis : nam ex Scriptura habemus, Petro datum esse primatum Ecclesiæ, ut perpetuo in illa duraturum, ut satis probatum est. Hæc autem duratio, cum non esset futura in eadem persona, necessario futura erat per plurium personarum in eadem dignitate successionem ; et hoc etiam sufficienter in Scriptura continetur, non per additionem aliquam, sed per legitimam ejusdem Scripturæ interpretationem. In qua autem sede vel episcopatu relicta fuerit hæc successio et personarum series in hac dignitate succedentium, scriptura non retulit, quia historia canonica Novi Testamenti usque ad mortem Petri non pervenit. Ideoque ut Ecclesiæ certo constet, in tali sede impletam esse et hactenus impleri institutionem a Christo factam, et in Scriptura revelatam, satis est ut applicatio (ut sic dicam) illius institutionis et dignitatis ad talem Episcopatum, per evidentem traditionem et continuum ac notissimum usum eidem Ecclesiæ sufficienter proponatur... Hoc ergo modo dicimus, assertionem positam *esse de fide*, et in Scriptura, Ecclesiæ traditione adjuncta, sufficienter contineri » (*Defensio fidei*, libro III, cap. XIII).

§ 3. — An *de fide sit* talem (verbi gratia Pium IX) esse summum Pontificem.

Extat inter doctores catholicos aliqualis hac de re controversia; sed quæ versatur duntaxat in diverso modo intelligendi ac exponendi requisitas conditiones ut aliqua propositio sit et dici debeat *de fide*. Alii nempe propositionem hanc, *Pius IX est summus Pontifex*, esse de fide negant, eo quod propositio illa non fuerit a Christo expresse revelata. Contrarium alii tenent, hoc ratiocinio innixi : Fuit revelatum, et de fide est, quemlibet electum canonice in successorem Petri esse summum Pontificem : aliunde autem, quod Pius IX canonice electus fuerit, constat ex Ecclesiæ testimonio, quæ Pium IX tanquam canonice electum agnovit, et quæ in agnoscendo vero capite suo errare non potest. Igitur, inquiunt, semel posita ejusmodi agnitione, simpliciter *de fide est* Pium IX esse summum Pontificem, Petri scilicet in primatu successorem.

Quo sensu *de fide* sit dicta propositio, et quo sensu non sit *de fide*, sic exponi ac probari potest :

1° Statim ac innotuit aliquem fuisse in Romanum Pontificem canonice electum (innotescit autem ex facto Episcoporum catholicorum electionem ut canonicam agnoscentium) *certum hoc ipso fit* electum habendum esse tanquam Romanum Pontificem, Petri successorem, Christique vicarium, ac omnimodam ei deberi ab omnibus obedientiam. In hoc puncto consentiunt utriusque supra expositæ opinionis propugnatores, neque ullum extat hac de re apud catholicos dubium.

2° Propositio hæc, *Pius IX est Romanus Pontifex*, non fuit immediate ac formaliter a Christo expressa et revelata. Proinde nec est *de fide* in eo sensu quod expresse ac formaliter revelata fuerit.

3° Simpliciter tamen *de fide est*. Etenim de fide est quemlibet in Romanum Pontificem canonice electum, esse successorem sancti Petri, et hoc ipso totius Ecclesiæ caput ac su-

premum rectorem, seu summum Pontificem. Aliunde autem pariter de fide est Ecclesiam errare non posse in agnoscendo capite suo; ac proinde prorsus certum est eum canonice electum fuisse, quem ut talem agnoscit Ecclesia. Cum ergo Ecclesia Pium IX agnoscat ut Romanum Pontificem, certum est, etiam certitudine supernaturali, ipsum fuisse canonice electum. Igitur propositio hæc, *Pius IX est summus Pontifex*, est propositio particularis quæ continetur in hac propositione universali, *quilibet canonice electus est summus Pontifex*. Continetur, inquam; quia, posito facto Ecclesiæ Pium IX ut canonice electum agnoscentis, certum prorsus est Pium IX esse unum de illis qui canonice electi sunt. Porro propositio universalis, *quilibet canonice electus est summus Pontifex*, est simpliciter *de fide*. Aliunde, autem quando universalis aliqua propositio est *de fide*, simul hoc ipso *de fide* sunt omnes propositiones particulares in ea contentæ. Sic, verbi gratia, quia de fide est universalis hæc propositio, *omnes homines* (præter Beatissimam Virginem) *originale peccatum contraxerunt*, etiam de fide sunt propositiones particulares, *Cæsar*, *Cicero*, *etc.*, *originale peccatum contraxit*. Igitur propositio, *Pius IX est summus Pontifex*, est simpliciter *de fide*, utpote propositio particularis, certo contenta in propositione universali *de fide*, videlicet in ista : *Omnis canonice electus est summus Pontifex et Petri in primatu successor*. Nec objiciatur, *non esse de fide* sed *certum* solummodo, Pium IX esse unum de canonice electis. Nam sufficit hoc esse *certum*, ut propositio particularis contineatur in universali *de fide*, ac proinde ipsa etiam *de fide* sit. Quod Cicero, verbi gratia, extiterit, non est *de fide*, sed duntaxat *certum* historice; et tamen *de fide* est propositio : *Cicero peccatum originale contraxit*.

Probatur 6° *ex traditione scripta.* — Constat textibus citatis superiore sectione, ubi *primatum jurisdictionis* probavimus.

Probatur 7° *ex traditione practica, seu perpetua Ecclesiæ praxi.* — Nam Romani Pontifices omni tempore ediderunt leges disciplinares quibus universas Ecclesias constringerent ; et pariter decreta fidei edidere, quibus doctrinam definierunt, errores damnarunt, et anathema contra refragantes pronuntiarunt. Idque peractum est tota assentiente atque approbante Ecclesia. Unde, si errassent Romani Pontifices, hanc sibi auctoritatem vindicantes, errasset et tota Ecclesia, hunc errorem dogmaticum permittens et silendo approbans.

PARS II

DE ROMANI PONTIFICIS INFALLIBILITATE

Constat hæc secunda Pars sectionibus quinque, videlicet : Sectione *prima*, ponuntur proœmialia seu variæ notiones præviæ. Sectione *secunda*, quæstio de Romani Pontificis infallibilitate expenditur historice. Sectione *tertia*, expenditur theologice. Sectione *quarta* expenditur practice. Sectione *quinta* solvuntur objectiones.

SECTIO I

PROŒMIALIA SEU QUÆSTIONES PRÆVIÆ

Dicemus : 1° quisnam sit controversiæ status, seu de quanam agatur Romani Pontificis infallibilitate ; 2° explodemus adversariorum cavillationem qua effutiunt infallibilitatis propugnatores non consentire inter se de requisitis conditionibus ut Papa locutus ex cathedra seu infallibiliter censendus sit, ac proinde certo infallibiles non evadere Papæ definitiones, nisi ex accedente universalis Ecclesiæ consensu; 3° exponemus varias sententias; 4° confutabimus inanissimam et recentioribus temporibus excogitatam Gallicanorum distinctionem, sedem inter et sedentem Romanum Pontificem. Hæ scilicet quæstiones in antecessum expenduntur,

ut in disceptionis decursu non remaneat æquivocationibus locus, et quodlibet adversariis effugium præcludatur.

CAPUT I

DE QUANAM AGATUR ROMANI PONTIFICIS INFALLIBILITATE.

Propositio I^a^. — *Agitur dumtaxat de infallibilitate in definitionibus fidei, libere a Papa, non tanquam doctore privato sed quatenus universali pastore, pronuntiatis.* — Omnes quippe doctores catholici qui Romani Pontificis infallibilitatem tanquam certam et omnino tenendam propugnant, non aliam intelligunt quam sic determinatam, et hac triplici conditione restrictam. Nimirum : 1° infallibilitatem asserunt dumtaxat quoad *definitiones fidei*, non quoad alia Romani Pontificis decreta quæ fidem non respiciunt. Illam autem extendunt etiam ad decreta circa mores et circa disciplinam generalem, eo quod decreta ista fidei definitionem implicite contineant, et sub hoc respectu ad definitiones fidei referantur. Nam quando Papa definit aliquem actum esse peccatum, hoc decretum, etsi mores respiciat, est simul definitio dogmatica seu fidei. Et pariter quando Papa universali Ecclesiæ aliquid agendum præscribit, verbi gratia, jejunium vel abstinentiam a carnibus certis diebus servandam, hoc ipso implicite pronuntiat bonam moraliter esse hujusmodi praxim, quod ad fidem pertinet. Cæterum, si agatur de cæteris Papæ decretis quæ ad fidem nullatenus pertinent (ut sunt, verbi gratia, sententiæ depositionis contra Episcopos aut alios pronuntiatæ, et similia) nequaquam quoad hæc Romano Pontifici vindicatur inerrantiæ prærogativa. 2° Asseritur infallibilitas quoad eas dumtaxat definitiones fidei, quas non constat editas a Papa fuisse absque libertate, non quoad eas quas Papa nosceretur ex vi vel metu pronuntiasse. Quando enim notorium est definitionem a Papa per vim extortam fuisse, simul

hoc ipso constat eum nihil definivisse. Unde quoad ejusmodi definitiones non liberas et erroneas, vel notorium erit eas per vim extortas fuisse, et tunc nulla eis adscribitur infallibilitas; vel providebit Deus ut eas Papa non pronuntiet. 3° Asseritur infallibilitas quoad eas dumtaxat fidei definitiones quas Papa pronuntiat tanquam fungens *Papali officio*, seu, ut dici solet, *ex cathedra;* non quoad eas quibus suam *privati doctoris* opinionem emitteret. Equidem nonnulli doctores tenent non posse Romanum Pontificem, etiam quatenus privatum doctorem, errare in fide. Sed de opinione illa non agunt doctores catholici quando *certam* atque *omnino tenendam* propugnant Romani Pontificis infallibilitatem. Tunc scilicet intelligunt dumtaxat infallibilitatis prærogativam quoad definitiones, a Papa *quatenus Papa*, non *quatenus persona privata*, pronuntiatas. Igitur gravissima illa disceptatio de Romani Pontificis infallibilitate, circa *solas definitiones fidei*, *libere a Papa*, *quatenus Papa*, *editas* tota versatur. Quod autem hoc sensu infallibilitas a doctoribus catholicis propugnetur, est factum ex ipsorum scriptis plane notorium. Unum aut alterum citabimus.

« Ne qua confusio, inquit Ballerinius, lectores impediat, explicandum est, quænam sit illa Romanæ Sedis, seu Romanorum Pontificum fides, quæ omnes undique fideles cogit ad unitatem, quæque ob hanc vim coactivam ex promissis Christi esse debet ab errore immunis... Ea igitur fides, seu doctrina fidei, quæ in controversiis fidei ab ipsis Pontificibus ita proponitur, ut fratres et fideles omnes confirment in fide, et unitatem ejusdem fidei exigant atque conservent in Ecclesia catholica, illa est cui inerrantiæ privilegium ex promissis Christi est vindicandum. Solas itaque *fidei definitiones* id respicit a summis Pontificibus Ecclesiæ propositas contra insurgentes dissensiones et errores in materia fidei, non autem *opiniones* quibus, etsi aliquid statuant, nihil tamen decernunt credendum ex catholica fide, nihilque damnant tanquam alienum ab eadem; non *simplicia præcepta* quæ ad fidei

definitionem referri non possint; non *judicia de personis* tantum; non *decreta disciplinæ* quæ ad fidem non pertinent; non tandem *omissiones definitionum fidei*, quæ si omittantur cum definiendum esset, culpa omissionis non esset error definitionis dogmaticæ nec error in fide. Præterea fidei definitiones debent esse actus *plane liberi et voluntarii*. Si quæ enim verba, fidei contraria, exteriori vi extorquerentur ab invito, etsi culpam involverent, manifesta tamen exterior vis satis patefaceret, ea verba non exprimere veram sententiam et fidem ejus qui sic exterius adigitur ad id dicendum quod ipse interius non credit nec diceret si non cogeretur » (Petrus Ballerinius, *de vi ac ratione primatus*, capite xv, § 6, n. 22 et 23).

Sententiam de Romani Pontificis infallibilitate, quam dicit *certissimam* et *asserendam*, sic exprimit Bellarminus (*de Romano Pontifice*, lib. IV, cap. II) : « Pontificem, sive hæreticus esse possit sive non (intellige quatenus privatus doctor), non posse ullo modo definire aliquid hæreticum a tota Ecclesia credendum. Hæc est communissima sententia fere omnium catholicorum. » Ubi vides infallibilitatis prærogativam restringi ad *definitiones fidei*, quas Papa imponit toti Ecclesiæ, ac proinde quas edit tanquam Pontifex, et non quatenus privatus doctor.

Propositio IIª. — *Contra Romani Pontificis infallibilitatem absone objiceretur omissam fuisse ab aliquo Papa fidei definitionem, etiamsi omissio hæc occasio multis fuerit labendi in hæresim.* — Sequitur ex præcedenti. Nam infallibilem dicimus Romanum Pontificem in fidei definitionibus, seu ipsum errare non posse quando fidem definit; et hoc tantum dicimus. Porro qui omittit definitionem, non definit erronee, siquidem nihil definit. Concedimus scilicet Papam peccare posse non definiendo, quando definire deberet. At si definiat negamus eum errare posse. Dixit Christus : *Rogavi ut non deficiat fides tua;* non dixit, *rogavi ut numquam pecces in obeundo munere tuo*. Unde istiusmodi peccaminosæ omissiones, si quando

contigerint, extra quæstionem sunt, et absone allegarentur.

Propositio III^a^. — *Item absone objiceretur, sæpissime per obreptionem et subreptionem deceptos fuisse Romanos Pontifices, et erronee pronuntiasse, imo et errorem suum agnovisse ac correxisse, si agatur de judiciis aut decretis quæ non sint definitiones fidei.* — Nam infallibilitatis prærogativa nonnisi quoad fidei definitiones asseritur. In cæteris omnibus decretis ac judiciis non negatur fallibilem esse Papam, subreptionique ac obreptioni obnoxium. Igitur qui hæc alia judicia ac decreta objicit, extra quæstionem prorsus vagatur.

Propositio IV^a^. — *Item absone objicerentur erroneæ definitiones fidei, quas constaret per vim alicui Romano Pontifici extortas fuisse.* — Hoc ipso enim quod innotescat ejusmodi definitiones per vim extortas fuisse, simul innotescit haberi non posse definitiones illas tanquam exprimentes veram illius Pontificis sententiam. Qui enim coactus pronuntiat, licet externe pronuntiet, tamen vere ac proprie non pronuntiat. — Quid vero, inquis, de erronea definitione, si vis illata fuerit, et nos nesciamus? — Negatur id unquam contigisse aut contingere posse. Alias enim sub prætextu quod forte Pontifex in definiendo liber non fuerit, licet nos hæc circumstantia lateat, liceret dogmaticis definitionibus quibuslibet obsequium denegare, et in nihilum abiret potestas Papæ cogendi omnes ad profitendam fidem quam ipse prædicat et definit. Igitur, aut erronea non erit definitio, aut sufficienter innotescet eam per vim extortam fuisse. Cæterum si valeret objectio, actum pariter esset de concilii œcumenici infallibilitate, quod nolunt adversarii. Nam si constet concilii Patres coactos pronuntiasse, nihili facienda est eorum sic per vim extorta definitio; immo nec est ipsorum definitio, prout fatentur omnes. Si vero supponatur, coactos forsan Patres (licet nesciamus) erronee pronuntiasse, iterum de concilii infallibilitate actum erit; cum ejusmodi dubium quoad varia

fidei decreta in œcumenicis conciliis prolata moveri possit. Dicendum ergo : aut notorium erit intervenisse vim et coactionem, aut erronea esse nequit œcumenici concilii definitio. Idem porro quoad Papæ definitiones dicimus.

Propositio V^a^. — *Item absone objicerentur errores circa fidem, quos aliquis Papa docuisset, scribens seu pronuntians tanquam privatus doctor, non tanquam summus Pontifex et ex pontificia sua auctoritate.* — Sequitur ex propositione prima.

CAPUT II

EXPLODITUR CAVILLATIO QUA EFFUTIUNT ADVERSARII, INFALLIBILITATIS PROPUGNATORES NON CONCORDARE INTER SE DE REQUISITIS CONDITIONIBUS UT PAPA *EX CATHEDRA*, ATQUE ADEO INFALLIBILITER, LOCUTUS CENSENDUS SIT ; AC PROINDE CERTO INFALLIBILES NON EVADERE PAPÆ DEFINITIONES, NISI ACCEDENTE UNIVERSALIS ECCLESIÆ ASSENSU.

Propositio I^a^. — *Falsum est infallibilitatis propugnatores non concordare inter se quoad dogma istud : errare nunquam potest Papa fidem auctoritate pontificia definiens.* — Dissensio scilicet inter doctores qui Romani Pontificis ex cathedra definientis infallibilitatem propugnant, hæc est : Præter supradictas conditiones quas omnes requirunt ut locus sit prærogativæ infallibilitatis (videlicet : 1° ut definitio concernat fidem; 2° ut Papa pronuntiet non tanquam doctor privatus sed Papali auctoritate ; 3° ut non constet eum vi ac minis coactum fuisse), alii nullam aliam conditionem requirunt; aliqui vero veteres requirere videntur alias nonnullas, verbi gratia, orationem, scripturarum et traditionis examen, *consilium peritorum aut etiam aliquorum Episcoporum.* In hoc stat tota eorum dissensio. Sed ii qui has posteriores conditiones requirunt, non negant semper adesse conditiones illas ab ipsis requisitas, quoties Papa fidem definit. Dicunt quidem errori

obnoxium fore Papam, *si temere definiret non adhibitis ejusmodi cautionibus;* at simul supponunt contingere non posse ut sic temere definiat. Nec alia de causa conditiones illas memorant quam ut exponant officium Romani Pontificis *faciendi quod in se est*, doctos ac idoneos viros consulendo. Igitur quoties Papa fidem auctoritate pontificia definivit, nulla est dissensio inter doctores infallibilitatis assertores, quoad definitæ propositionis veritatem. Omnes scilicet eam certo veram et omnino tenendam docent. Alii nempe eo quod adsint tres conditiones ab omnibus requisitæ, nec alias ipsi requirant; et alii, quia supponunt contingere non posse ut desint conditiones cæteræ quas necessarias existimant. Supponunt scilicet contingere non posse ut Papa fidem pontificia auctoritate definiens, temere pronuntiet, neglectis dictis conditionibus. Quapropter allegata dissensio nequaquam cadit super fundamentalem quæstionem, an fidei definitio, pontificia auctoritate pronuntiata, certo infallibilis sit et prorsus tenenda : circa hoc concordant omnes infallibilitatis assertores, si forsan paucissimos excipias, qui hac de re minus clare aut considerate locuti sunt. Cadit duntaxat dissensio super quæstionem hanc secundariam ac pene otiosam, an infallibilis esset definitio, si Papa definiret temere, non expletis dictis conditionibus ; quod tamen nunquam contingere posse supponunt qui has insuper requirunt conditiones.

Hinc Bellarminus, postquam retulit sententiam quæ tenet, *Pontificem non posse ullo modo definire aliquid hæreticum a tota Ecclesia credendum*, quam sententiam vocat *communissimam omnium fere catholicorum*, ita de doctoribus sententiam illam propugnantibus adnotat : « Videntur quidem hi doctores aliquatenus inter se dissentire : quia quidam eorum dicunt Pontificem non posse errare, *si mature procedat et consilium audiat aliorum pastorum;* alii dicunt, Pontificem *etiam solum* nullomodo errare posse. Sed revera non dissident inter se; nam posteriores non volunt negare quin teneatur Pontifex mature procedere et consulere viros doctos; sed solum dicere

volunt, ipsam infallibilitatem non esse *in cœtu consiliariorum*, vel in concilio Episcoporum, sed in solo Pontifice : sicut e contrario priores non volunt ponere infallibilitatem in consiliariis, sed in solo Pontifice; verum explicare volunt, Pontificem debere facere quod in se est, consulendo viros doctos et peritos rei de qua agitur. Si quis autem peteret, an Pontifex erraret, si temere definiret, sine dubio prædicti auctores *omnes* responderent, non posse fieri ut Pontifex temere definiat. Qui enim promisit finem, sine dubio promisit et media quæ ad eum finem obtinendum necessaria sunt. Parum autem prodesset scire, Pontificem non erraturum quando non temere definit, nisi etiam sciremus non permissuram Dei providentiam ut ille temere definiat » (*de Romano Pontifice*, libro IV, cap. II).

Similiter clarissimus Petrus Ballerini, postquam tres recensuit ab omnibus requisitas conditiones ut definitio *ex cathedra* infallibilis censenda sit (videlicet, ut versetur circa fidem, et pronuntiet Papa tanquam Pontifex et non tanquam doctor privatus, et ut non constet eum libertate caruisse), subjungit nullatenus curandum esse de aliquibus aliis conditionibus, quas insuper necessarias nonnulli dicunt; quia scilicet, stantibus tribus istis prædictis, cæteræ (si revera necessariæ sint) semper adsunt, nec contingere potest ut non adsint.

« Nemo hic mihi, inquit, cam quæstionem, curiosam magis quam necessariam, ingerat, num aliæ quædam conditiones a nonnullis recensitæ prærequirantur, ut definitio dicatur *ex cathedra ;* nimirum oratio, examen Scripturarum et traditionis, consultatio, etc. Cum enim ex indicatis Christi promissis et traditione ipsa... certum haberi debeat non errare Pontifices cum definiunt fidei causas..., sufficit ut conditiones ad id rite et recte præstandum requisitas non defuisse credamus... Si ergo... promissa est summis Pontificibus inerrantia et infallibilitas, quando ex primatus officio aliquam fidei controversiam definiunt, promissum etiam fuisse intelligitur ne

ipsis, cum definiunt, quidquam desit quod ad definitionem edendam necessarium fuerit. Eadem sane quæstio moveri posset quoad definitiones editas in generali concilio. Si autem hæreticis semel hæc licentia permittatur, ut in quæstionem vocent num Ecclesiæ judices eam diligentiam curamque quæ opus erat adhibuerint, quis non videat omnia mox, non tam Pontificum quam ipsorum œcumenicorum conciliorum judicia, labefactatum iri? » (Petrus Ballerinius, *de Vi ac Ratione primatus*, capite xv, § 6, n. 25, pagina mihi 270.)

Cæterum, ut omnino pateat non dissentire inter se infallibilitatis assertores quoad quæstionem, *an certo infallibilis sit definitio fidei Papali auctoritate pronuntiata*, sic arguimus : qui teneret erroneam esse posse fidei definitionem Papali auctoritate pronuntiatam, sub prætextu quod temere, seu non expletis certis conditionibus, pronuntiata fuerit, is sane, non *propugnator* sed *impugnator* infallibilitatis dicendus esset. Ergo infallibilitatis assertores omnes, vel nullam aliam conditionem requirunt quam ut definitio fidei Papali auctoritate pronuntictur; vel si quas insuper requirant, concedunt contingere non posse et non expleantur, quoties Papali auctoritate definitio fidei edicitur. Si aliud aliqui teneant, non assertoribus sed impugnatoribus infallibilitatis adnumerandi sunt.

Propositio II[a]. — *Perperam propugnat Bossuetius non esse aliam certam definitionis* ex cathedra *notam, quam accedentem Ecclesiæ consensum.* — Ipsa verba Bossuetii præmittimus : « Hic enim patere volumus Gallicanæ declarationis arcanum : Gallicanos Patres non id edixisse, ne Romanus Pontifex infallibilis haberetur, de quo in scholis tantæ rixæ sint : procul has scholæ voces rixasque habuerunt : non id episcopale suumque æstimarunt. Ad praxim maxime respicere placuit, atque illud pro certo figere; utcumque scholastica ac subtilis quæstio se habeat, tamen *convenire inter omnes catholicos* Pontificium decretum *non haberi pro irreformabili*, neque ultimum robur esse consecutum, nisi Ecclesiæ consensus ac-

cesserit. Quo dogmate constituto, tota infallibilitatis quæstio speculativas inter vanasque quæstiones habeatur » (§ 8 *Corollarii*, quod habetur ad calcem libri *Defensionis*, in editione Luxemburgi, anni 1730, pag. 405). « Decorum magnificumque Pontifici, ut pari fere loco atque concilia generalia habeatur. Certum est apud catholicos concilia generalia infallibilia esse ; at cum dubitari possit concilium ne aliquod generale sit, id ex Ecclesiæ consensione repetatur. Ita certum firmumque, si velint, habeatur, Pontificem *pro cathedra* docentem esse infallibilem ; at cum dubitari possit, an *pro cathedra* dixerit adhibitis omnibus conditionibus, *ultima nota ac tessera sit Pontificis ex cathedra docentis*, cum Ecclesiæ catholicæ consensus accesserit. Id si Romæ placeat pacique profuturum sit, haud equidem contradixerim » (*ibidem*, pagina 404).

Ex eo quod Duval et alii infallibilitatis assertores, concedant propositionem a Papa definitam *non esse de fide*, seu eum qui hanc propositionem negat *non esse hæreticum*, infert Bossuetius eos logice cogi ad admittendum quartum declarationis Gallicanæ articulum, id est, *irreformabile non esse* Papæ judicium, *nisi Ecclesiæ consensus accesserit*. Citatis, verbi gratia, his Duvallii verbis : *Respondeo definitiones Pontificis non esse de fide, donec universalis Ecclesia eas acceptaverit*, ita subjungit Bossuet : « Quo quid planius ? Ergo ut decreta Pontificia plenum fidei robur obtineant ad consensum Ecclesiæ recurrendum. Quod unum declaratio Gallicana voluit » (loco citato, id est, § 8 *corollarii*, pagina 408).

Jam expendamus in adductis hisce paucis Bossuetii textibus, quam multiplex falsitas, quam apertum sophisma sublateat.

Prima assertio falsa. — Si Bossuetio credas, conventus anni 1682 *non edixit Romanum Pontificem pro infallibili non esse habendum*. Porro id apertissime falsum est. Nam expresse declaravit ille conventus, Papæ judicium non *esse irreformabile* nisi Ecclesiæ consensus accesserit ; seu quod idem est, declaravit Papæ judicium *reformari posse*. Cum autem refor-

mari nequeat veritas, sed tantum error, hoc ipso declaravit *erroneum esse posse* Papæ judicium ; et hoc ipso declaravit Papam non esse infallibilem nec pro tali habendum. Igitur quod conventus ille non edixerit, id est, declaraverit Romanum Pontificem esse fallibilem, est revera *arcanum* quod nemo suspicari potuisset, nisi Bossuetius illud revelasset. Sed insuper *arcanum* istud prorsus excludit quarti declarationis articuli tenor. Unde remanet prætensum istud arcanum excogitatum et suppositum a Bossuetio fuisse quando infaustum suum concinnabat *Defensionis* librum.

Secunda assertio falsa. — Si Bossuetio credas, conventus anni 1682 *procul habuit scholæ voces* ac *rixas* de infallibilitate Papæ. Porro et istud apertissime falsum est. Nam conventus ille expresse declaravit, Romani Pontificis judicium non esse irreformabile antequam Ecclesiæ consensus accesserit. Porro rixarum, id est, disceptationum de Romani Pontificis infallibilitate præcipua materia ac cardo est hæc ipsissima quæstio, *an irreformabilis sit Papæ definitio ante supervenientem Ecclesiæ consensum*. Igitur nedum *rixas* vitaverit conventus, non poterat recto magis in eas impengere. Sed neque vitavit ipsas etiam scholæ *voces* : nam sicut in scholis usurpatur *infallibilis judicii* locutio, ita et *irreformabilis*, qua usus est Bossuetius in condendis quatuor articulis.

Tertia assertio falsa. — Asserit Bossuetius : *convenire inter omnes catholicos Pontificium decretum non haberi pro irreformabili*, nisi Ecclesiæ consensus accesserit. Porro hoc etiam aperte falsum est. Nedum enim ita sentiant *omnes* catholici, tenent econtra communiter doctores catholici (excepto Gallicanorum manipulo) infallibilem esse Papam in fidei definitionibus ; et hoc ipso tenent definitiones istas, utpote infallibiliter veras, numquam posse corrigi seu reformari ; sed ab omnibus fidelibus eis esse obsequendum. Ita *suo tempore* tenere catholicos doctores *omnes* testatus est Suarez. Antea Romani Pontificis infallibilitatem negaverant pauci cum Gersonio ; sed hæc eorum opinio (teste Petro de Marca) derelicta

prorsus fuerat et irridebatur ; nec revixit nisi anno 1663. Quæ omnia documentis infra demonstrantur. Quomodo ergo potuit Bossuetius asserere, *convenire inter omnes catholicos*, Pontificium decretum non haberi *pro irreformabili*, cum contrarium sit notorietatis publicæ ? Concedunt quidem doctores catholici (multi, non omnes) Pontificiam infallibilitatem *nondum esse de fide*, eo quod nondum expresse definita fuerit, et qui eam negant non *esse hæreticos*. At nullatenus concedunt fidei definitiones a Papa editas *esse reformabiles* ante supervenientem Ecclesiæ consensum.

Quarta assertio falsa. — Asserit Bossuetius conventui anni 1682 placuisse, ut pro certo dogmate figeret, *convenire inter omnes catholicos* Pontificium decretum *non haberi pro irreformabili* nisi Ecclesiæ consensus accesserit. Porro et istud veritate caret. Dixit quidem conventus iste judicium Pontificis *non esse irreformabile nisi Ecclesiæ consensus accesserit* ; at nullibi, quod sciam, dixit, ita *convenire inter omnes catholicos*.

Quinta assertio falsa. — Æstimat Bossuetius infallibilitatis quæstionem ad *vanas* et *speculativas* disceptationes esse amandandam. Porro et hæc ejus sententia manifeste falsa est. Nam si Papa errare possit in edendis fidei definitionibus, sequitur *in praxi* non teneri fideles hisce definitionibus credere seu interne adhærere antequam Ecclesiæ consensus accesserit. Quod enim Deus obligatos velit homines ad *credendum* errori, absonum simul et blasphemum est. Vicissim autem, si infallibilitatis prærogativa donatus a Christo fuerit Pontifex, sequitur ei definienti, et suis definitionibus adhæsionem ex animo præcipienti esse ab omnibus obsequendum, etiam ante omnem supervenientem Ecclesiæ assensum. Igitur quæstio hæc non mere *speculativis*, sed summe *practicis*, adcensenda est. Quanti autem momenti sit, patet ex eo quod agatur de suprema fidem regulandi et imperandi auctoritate.

Objicies. — *Vanam* et eam *speculativam* dixit Bossuetius, non absolute, sed consequenter ad semel positum dogma de quo

prius locutus erat, videlicet: *convenire inter omnes catholicos Pontificium decretum non haberi pro irreformabili nisi Ecclesiæ consensus accesserit.*

Respondeo: Etiam sic perperam *vana* et *speculativa* dicitur quæstio infallibilitatis. Enimvero, si admittendum foret *convenire inter omnes catholicos* Pontificium decretum non haberi pro irreformabili, ante Ecclesiæ consensum, prout falsissime asseruit Bossuetius, sequeretur posse quemlibet Pontificio decreto, utpote ante Ecclesiæ consensum non irreformabili, et forsan erroneo, obsequium et adhæsionem licite in praxi denegare. Licitum enim est ad praxim deducere doctrinam de qua *conveniunt omnes catholici*, cum talis doctrina erronea esse nequeat. Igitur, etiam præsupposita prætensa illa *omnium catholicorum* doctrina, quæstio infallibilitatis mere *speculativa* dici non posset. Secum quippe traheret summi momenti consectarium, videlicet resistentiam et inobedientiam fidelium definienti Romano Pontifici, et adhæsionem decretis suis præcipienti. Item absone in hac hypothesi *vana* diceretur eadem infallibitatis quæstio. Nam tunc sciremus, nullatenus nos obligari ad adhærendum Papæ definitionibus, et usurpari a Papa potestatem qua caret, dum internum etiam assensum editis a se fidei decretis exigit. Quod sane non *vanum* sed summi momenti est. Igitur nullo sensu excusari potest illud Bossuetii, infallibilitatis quæstionem ad *speculativas* et *vanas* scholæ rixas amandantis, dictum.

Sexta assertio falsa. — Certum et communiter admissum supponit Bossuetius, nonnisi *ex Ecclesiæ consensu* solvi posse dubium, an concilium aliquod sit necne œcumenicum. Porro falsum est ejusmodi suppositum. Qui enim Romani Pontificis infallibilitatem, et in decernenda fide supremam auctoritatem propugnant, id est, doctores catholici fere omnes, simul confitentur et docent sufficere Sedis Apostolicæ potestatem ad dirimendum dictum dubium, sicut ad dirimendas quaslibet alias circa fidem controversias: immo a Romano Pontifice, Christi in terris vicario pendere, ut aliquod concilium vim

œcumenicitatis habeat vel non habeat. Nisi enim concilia recipiat et confirmet Romanus Pontifex, œcumenica esse nequeunt, deficiente scilicet totius Ecclesiæ capite.

Septima assertio falsa. — Asserit Bossuetius dubium *an Papa ex cathedra pronuntiaverit* non aliter solvi posse quam ex Ecclesiæ consensu. Porro erronea prorsus est hæc ejus opinio. Enimvero, non tantum possibile est certo dignoscere, absque Ecclesiæ consensu, Papam *ex cathedra* esse locutum, sed etiam id multo facilius est quam compertum habere Ecclesiæ consensum. Ut enim certo sciam Papam *ex cathedra* pronuntiasse, satis est ad me devenisse notitiam Pontificiæ constitutionis solitis formalitatibus promulgatæ, in qua summus Pontifex dicat se Papali auctoritate sic et sic definire et tenendum præcipere ; et simul nullum moveatur rationabile dubium, quod libertate caruerit. Nec objiciatur dari theologos infallibilitatis assertores qui alias insuper ad definitionem *ex cathedra* conditiones requirunt, verbi gratia, ut Papa mature procedat, examen Scripturæ et traditionis instituat, peritos viros aut etiam aliquos saltem Episcopos consulat : nam qui has alias conditiones requirunt, simul docent contingere non posse ut Papa, libere de fide decernens, eas omittat. Si quis vero reperiatur aliter sentiens, is non est infallibilitatis Pontificiæ assertor sed eversor. Unde, juxta doctrinam theologorum infallibilitatem propugnantium, id est (ut pluries diximus), omnium fere doctorum catholicorum, ad certo dignoscendum an Papa *ex cathedra* pronuntiaverit, sufficit in praxi notitia Pontificiæ constitutionis, more solito promulgatæ, in qua expressum habeatur (prout semper ponitur) Papam *auctoritate pontificia*, ac proinde non ut privatum solummodo doctorem, pronuntiare. En quam facile sit certo dignoscere Papam *ex cathedra* locutum! Quod si forte aliquando, ex circumstantiis, aliquod interveniret fundatum dubium, quid facilius quam ipsummet Papam interrogare et rescripta authentica recipere? Nubes sane quærunt, qui difficultates hac in re obtendunt.

Ast econtra difficilis et momentosa res est Ecclesiæ dispersæ consensum certo dignoscere. Quomodo enim fidelium quisque certo sciet Pontificiæ definitioni dictum consensum accessisse? An quia id in sua diœcesi testabitur publicis suis litteris quilibet Episcopus? Sed numquid infallibilis et impeccabilis est Episcopus, ut non possit quoad ejusmodi attestandum consensum decipi aut decipere? Præterea Episcopus ipse quomodo certo dignoscet cæterarum Ecclesiarum sensum? Debebitne singulis scribere et rescripta expectare? Id sane in praxi operosum.

Aliunde, semel admissa Bossuetiana opinione, jam vitari nequit hæreticale consectarium. Nam tunc suprema fidei causas judicandi ac dirimendi potestas, non jam penes Romanum Pontificem resideret, sed penes majorem Ecclesiarum seu Episcoporum numerum. Siquidem de Pontificiæ definitionis veritate et orthodoxia finaliter non constaret, nisi ex Ecclesiæ dispersæ vel in concilio congregatæ judicio. Igitur falsum foret Romanum Pontificem constitutum a Christo fuisse catholicæ unitatis centrum, et omnium fidelium patrem ac doctorem ; et ei in persona beati Petri collatam fuisse *plenam potestatem universalem Ecclesiam pascendi, regendi et gubernandi;* et omnes ei obedientiam debere. Quæ omnia errorem recondunt et hæresim.

Octava assertio falsa. — Asserit Bossuetius non aliud contineri declaratione anni 1682, quam quod fatentur Duval et alii infallibilitatis propugnatores, id est, Papalem definitionem *non esse de fide* nisi Ecclesiæ consensus accesserit. Porro et illud falsum est. Nam infallibilitatis propugnatores omnes docent infallibiles esse Pontificias circa fidem definitiones ; et *teneri* fideles omnes interno etiam mentis obsequio eis assensum præstare ; et *certo errare* quicumque contra definitiones illas sentiunt. Equidem ad quæstionem, an illa Papæ infallibilitas sit *de fide*, ita ut contradicentes pro hæreticis haberi debeant, multi respondent negative, donec infallibilitas illa expresse definita fuerit. At simul docent in-

fallibilitatem illam sufficienter revelatam fuisse, ac in scripturæ et traditionis deposito contineri, ut definiri valeat, quando Ecclesia opportunum existimabit. Interea vero illam negantium errorem a Sede Apostolica pluries reprobatum fuisse ; at cum eo tolerantiæ temperamento, ut nondum ullas ei notas theologicas inusserit. Hæc infallibilitatis propugnatorum doctrina. Dicunt nempe *infallibilia ac irreformabilia* esse Romani Pontificis quoad fidem judicia, quamvis nondum dicenda sint *de fide*, eo sensu quod negantes evadant hoc ipso *formaliter hæretici*.

Jam vero quid præ se fert quartus famosæ declarationis articulus? Plane contrarium ; videlicet, Papæ judicium *non esse irreformabile* nisi Ecclesiæ consensus accesserit. Si non est irreformabile, non est infallibile, nec certo verum. Unde articulus ille non tantum declarat Pontificias definitiones *non esse de fide*, sed insuper eas erroneas esse posse. — Ast, inquis, hoc ipso quod non *sint de fide*, erroneæ esse possuut. — Id prorsus negatur et falsissimum est. Multa sunt *certo vera*, et revelata ; et tamen eo quod nondum expresse definita fuerint, proprie *de fide* non sunt, eo sensu quod negantes pro formaliter hæreticis haberi debeant. Item multa sunt *certo erronea* utpote revelationis deposito certo contraria ; et tamen nondum sunt formaliter hæretica, eo quod non supervenerit expressa eorum, quatenus *hæresim continentium*, condemnatio. Applicandum id Papalis infallibilitatis prærogativæ censent multi hujusce prærogativæ propugnatores. Papam in decernenda fide infallibilem esse tanquam quid *certum et omnino tenendum docent ;* et nihilominus simul tradunt id non esse *de fide*, eo nimirum sensu quod dictam infallibilitatem negantes sint proprie seu formaliter hæretici.

Dum ergo Bossuetius, ad ista Duvallii verba, *definitiones Pontificis non esse de fide*, ita subjungit : *Quod unum declaratio Gallicana voluit*, veritati non consonat. Voluit Gallicana declaratio (si fas sit ita loqui) declarare quod expresse

declaravit. Porro non contenta fuit declarare cum Duvallio Pontificis definitiones *non esse de fide*, sed contra Duvallium et cæteros omnes infallibilitatis assertores expresse declaravit, Papæ judicium *non esse irreformabile;* quod sane plus dicit quam *non esse de fide.* Scilicet Bossuetii ratiocinatio ex concessis a Duvallio, apertissimum sophisma est. Et notet lector quomodo sophisma illud caute obvolvatur hac æquivoca locutione, *plenum fidei robur :* « Ergo *ut decreta Pontificia plenum fidei robur* obtineant ad consensum Ecclesiæ recurrendum : Quod unum declaratio Gallicana voluit. » Si intelligat Bossuetius, *ut decreta illa sint de fide* et negantes haberi debeant pro hæreticis, id concedit Duvallius ; sed tunc falsum est *id unum* voluisse declarationis Gallicanæ auctores, si quidem aliud valde diversum expresse declararunt, id est judicium Papæ *non esse irreformabile.* Si vero intelligat, *ut decreta ista certo vera sint* et pro veris tenenda, et omnino irreformabilia, falsum est recurrendum esse ad Ecclesiæ consensum : *robur* enim istud plane habent ex sola Papæ definitione. Est autem citatus *Defensionis* liber ejusmodi æquivocationum, sophismatum et falsarum assertionum adeo densa sylva, ut nonnisi multis voluminibus in folio eum plene confutari posse existimem. Sint hæc pauca in specimen per transennam dicta.

Nota de domino Emery. — Non esse aliam certam definitionis *ex cathedra* notam quam Ecclesiæ consensum, post Bossuetium et ex Bossuetii auctoritate propugnavit Sulpicianus Emery , in libro inscripto *Nouveaux Opuscules de Fleury.* Ubi etiam persuadere conatus est, cum doctrina Pontificiæ infallibilitatis nequaquam pugnare quartum articulum declarationis anni 1682. Nec tantum serio hæc obtrudit præfatus Sulpicianus, sed cum eo candidi et pacis amantissimi viri stylo, quo non paucos in Galliis clericos deceptos fuisse existimem. Periculosiorem junioribus Gallicanismi defensionem, meo quidem judicio, vix reperire est, quam istud opusculum ; quod, cum alium scopum præ se ferat, per interjectas huc

illud notas seu breves disceptationes, Gallicanismi virus leniter et quasi furtim infundit. Immo ita caute, ut in gratiam contrariæ doctrinæ potius scriptum videatur. Quod hic indigitasse satis sit, nec enim ad confutandam illam scriptionem excurrere vacat.

CAPUT III

EXPONUNTUR VARIÆ SENTENTIÆ.

1° Præmittemus quid hac de re scripserit clarissimus Bellarminus; 2° recensebimus erroneas acatholicorum sententias; 3° subjiciemus sententias nonnullorum catholicorum, quas nos erroneas esse asserimus et infra probabimus, sed quæ tamen nondum expresse cum notis theologicis a Sede Apostolica damnatæ sunt, et sic aliquatenus adhuc tolerantur; 4° memorabimus libere controversam inter catholicos quæstionem, an Romanus Pontifex quatenus *privatus doctor* infallibilis sit; 5° tandem propugnandam a nobis, tanquam certo veram et tenendam doctrinam exponemus.

§ 1. — Quomodo Bellarminus sententiarum varietates exposuerit.

Sic habet in tractatu *de summo Pontifice*, libro IV, cap. II :

« Conveniunt omnes catholici et hæretici in duobus : *Primo*, « posse Pontificem, etiam ut Pontificem et cum suo cœtu con- « siliariorum vel cum generali concilio errare in controver- « siis facti particularibus, quæ ex informatione testimoniisque « hominum præcipue pendent; *secundo*, posse Pontificem ut « privatum doctorem errare, etiam in quæstionibus juris uni- « versalibus tam fidei quam morum, idque ex ignorantia, ut « aliis doctoribus interdum accidit.

« Deinde catholici omnes in aliis duobus conveniunt, non « quidem cum hæreticis, sed solum inter se : *primo*, Pontificem « cum generali concilio non posse errare in condendis fidei

« decretis vel generalibus præceptis morum; *secundo*, Ponti-
« ficem solum, vel cum suo particulari consilio aliquid in re
« dubia statuentem, sive errare possit, sive non, esse ab om-
« nibus fidelibus obedienter audiendum.

« Quibus ita constitutis, quatuor tantum remanent diversæ
« sententiæ.

« *Prima* est, Pontificem, etiam ut Pontificem, etiamsi cum
« generali concilio definiret aliquid, posse esse hæreticum in
« se, et docere hæresim, et de facto aliquando ita accidisse.
« Hæc est hæreticorum omnium hujus temporis, et præcipue
« Lutheri...; et Calvini...

« *Secunda* sententia est, Pontificem, etiam *ut Pontificem*,
« posse esse hæreticum et docere hæresim, si absque gene-
« rali concilio definiat, et de facto aliquando accidisse. Hanc
« opinionem sequitur et tuetur Nilus in suo libro adversus
« primatum Papæ. Eamdem secuti sunt aliquot Parisienses,
« ut Gerson et Almain in libris de potestate Ecclesiæ, necnon
« Alphonsus de Castro (libro I, capite II, *Contra hæreses*), et
« Adrianus VI Papa in quæstione de confirmatione : qui om-
« nes non in Pontifice, sed in Ecclesia sive in concilio gene-
« rali tantum, constituunt infallibilitatem judicii de rebus
« fidei.

« *Tertia* sententia est in alio extremo, Pontificem non posse
« ullo modo esse hæreticum, nec docere publice hæresim,
« etiamsi solus rem aliquam definiat. Ita Albertus Pighius,
« libro IV *Hierarchiæ ecclesiasticæ*, capite VIII.

« *Quarta* sententia est quodammodo in medio, Pontificem,
« sive hæreticus esse possit sive non, *non posse ullo modo defi-*
« *nire aliquid hæreticum, a tota Ecclesia credendum.* Hæc est *com-*
« *munissima opinio*[1] *fere omnium catholicorum :* ut Beati Thomæ
« (*secunda secundæ*, q. I, a. 10), Waldensis..; Joannis de Tur-
« recremata..; Driedonis..; Cajetani..; Hosii..; Joannis Eckii..;

(1) Vocabulum istud *opinio*, utpote minus considerate adhibitum, correxit Bellarminus in suis recognitionibus, prout infra referimus; et ei substituit vocabulum *sententia*.

« Joannis a Lovanio..; Petri a Soto.., et Melchioris Cani, libro « VI, capite VII, *de Locis*. Videntur quidem hi auctores [1] aliquo « modo inter se dissentire : quia quidam eorum dicunt Ponti- « ficem non posse errare, *si mature procedat et consilium audiat « aliorum pastorum ;* alii dicunt, Pontificem *etiam solum* nullo « modo errare posse. Sed revera non dissident inter se. Nam « posteriores non volunt negare, quin teneatur Pontifex ma- « ture procedere et consulere viros doctos; sed solum dicere « volunt, ipsam infallibilitatem non esse *in cœtu consiliariorum* « vel in concilio Episcoporum, sed in solo Pontifice : sicut e « contrario priores non volunt ponere infallibilitatem in con- « siliariis, sed in solo Pontifice; verum explicare volunt, Pon- « tificem *debere facere quod in se est*, consulendo viros doctos « et peritos rei de qua agitur. Si quis autem peteret, an Pon- « tifex erraret, si temere definiret, sine dubio prædicti aucto- « res omnes responderent, non posse fieri ut Pontifex temere « definiat. Qui enim promisit finem, sine dubio promisit et « media, quæ ad eum finem obtinendum necessaria sunt. Pa- « rum autem prodesset scire, Pontificem non erraturum, « quando non temere definit ; nisi etiam sciremus, non per- « missuram Dei providentiam ut ille temere definiat.

« Ex his quatuor sententiis, prima est *hæretica*. Secunda « non est *proprie hæretica* [2]; nam adhuc videmus ab Ecclesia « tolerari : tamen videtur *omnino erronea et hæresi proxima*..... « Quarta *certissima est et asserenda.* »

In editione Pragensi anni 1721, reperiuntur *recognitiones* ab ipsomet Bellarmino exaratæ. Porro inter illas recognitiones, initio primi voluminis positas, sic habetur numero 27, « libro IV, capite II (*de Summo Pontifice*), § *Quarta sententia*, « ubi dicitur : *Hæc est communissima opinio fere omnium ca- « tholicorum*. Rectius dictum fuisset : Hæc est communissima « *sententia*. Opinio enim incertitudinem habet. Eam vero sen-

(1) Intellige eos qui *quartam* sententiam sequuntur.

(2) Voces illas *non est proprie hæretica* correxit Bellarminus, in suis recognitionibus, prout paulo post dicitur.

« tentiam certam esse credimus, atque ut talem in sequenti « capite defendimus. »

Ibidem, numero 28 sic pergit Bellarminus : « Eodem li- « bro et capite, § ultima, ubi dicimus : Sententiam illorum « qui docent, infallibilitatem judicii non esse penes Papam, « sed penes concilium generale, *non esse plane hæreticam, sed « erroneam et hæresi proximam*. Rectius dicemus : nos non « audere eam sententiam plane hæreticam judicare; quoniam « qui sententiam illam sequuntur, neque ab Ecclesia ipsi « damnati neque libri eorum prohibiti unquam fuerunt. « Videri tamen nobis ita manifeste erroneam, ut merito possit « Ecclesiæ judicio hæretica declarari. »

Ex his patet quænam fuerit Bellarmini doctrina. Nimirum : 1° sententiam de Romani Pontificis infallibilitate testatur esse *communissimam fere omnium catholicorum*. Ponit vocem *fere* ob Gersonium et paucos alios, qui tempore Constantiensis concilii contrarium tenuere, et mox rejecti sunt. Cæterum, de solis coætaneis loquendo, dicere potuisset absolute *omnium*, prout dixit Suaresius, ut infra videre est. 2° De opinione quæ negat Papæ ex cathedra loquentis infallibilitatem, dicit illam esse *erroneam et hæresi proximam*. 3° Cum scripsisset eam *non esse plane hæreticam*, id tanquam minus recte dictum corrigit, et declarat *se non audere eam plane hæreticam judicare*. Unde non dicit *non esse plane hæreticam*, sed tantum se non audere ita pronuntiare. 4° Cæterum ne vel minimum dubitat quin possit Ecclesiæ judicio *hæretica* declarari.

§ 2. — Recensentur variæ acatholicorum erroneæ sententiæ.

1° Posse Papam, etiam cum generali concilio definientem, errare in fide. Ad id deliramenti progressi sunt Lutherus, Calvinus et alii hæretici.

2° Posse Papam in definienda fide errare, nisi definiat cum concilio œcumenico. Errorem istum olim tenuerunt pauci quidam doctores catholici, prout supra testatum vidimus a

Bellarmino. Et ex illo errore sequitur quidem logice, Papæ definitiones infallibiles non esse, licet eis accedat Ecclesiæ *dispersæ* assensus; si quidem dicti devii doctores catholici ad infallibilitatem requirunt Ecclesiæ *congregatæ* seu concilii œcumenici judicium. Sed ipsorum tempore non movebatur quæstio ista, utrum infallibilis esset Papalis definitio *accedente Ecclesiæ dispersæ consensu*, nec supponebatur de Ecclesiæ universalis judicio aliter constare posse quam in concilio generali. Unde qui non agnoscebant infallibilitatem in Pontifice, vel solo, vel cum suis consiliariis pronuntiante, concilium œcumenicum requirebant; et qui non requirebant concilium œcumenicum, infallibilem profitebantur definitionem a Papa solo vel cum suis consiliariis pronuntiatam. Recens nempe videtur intermedia hodiernorum Gallicanorum sententia, quæ tenet nec solum Pontificem esse infallibilem, nec requiri generalem synodum, sed infallibilem esse Papæ definitionem *cui Ecclesiæ dispersæ consensus accesserit*. Imo de hac sententia non meminit Bellarminus in supra transcripta opinionum expositione; quod scilicet ipsius tempore nondum enata fuisset, vel quia nondum attendenda videbatur. Jamdudum autem inter catholicos omnino desiit error ille, qui ad infallibilitatem requirebat concilii œcumenici definitionem. Et ideo illum inter *acatholicorum errores* reposuimus.

3° Ecclesiam urbis Romæ errare posse. Error iste Petri de Osma tanquam hæreticus damnatus est a Sixto IV, prout suo loco infra documentis patefacimus; et ideo inter acatholicorum errores merito recensetur.

4° Definitioni Papali, utpote fallibili, non deberi a fidelibus internum mentis assensum, sed obsequiosum duntaxat silentium. Error iste Jansenistarum damnatus est a Sede Apostolica.

§ 3. — Recensentur sententiæ nonnullorum catholicorum, quæ licet erroneæ sint, ut infra probabitur, nondum tamen cum notis theologicis a sede Apostolica damnatæ sunt, et sic aliquatenus adhuc tolerantur.

1° Errare posse in definienda fide Romanum Pontificem, nisi definitionem firmet vel concilium œcumenicum, vel saltem Ecclesiæ dispersæ, id est, majoris partis Episcoporum superveniens assensus. Ita gallicanum systema rigidius, id est, nisi emolliatur distinguendo ut infra inter Sedem Romanam et sedentem Romanum Pontificem, et infallibilitatem concedendo Sedi, licet denegetur sedenti. Nimirum juxta hoc systema in tota sua rigiditate sumptum, fallibilis est et sedens et ipsa *sedes* (quidquid per sedem intelligatur), nisi accedat consensus, vel Ecclesiæ congregatæ, id est, generalis concilii, vel saltem Ecclesiæ dispersæ, id est, majoris partis Episcoporum

2° Fallibilem esse in definienda fide Romanum Pontificem, nisi superveniat Ecclesiæ saltem dispersæ consensus; at fallibilem non esse Romanam *sedem*, intelligendo per *sedem* communem sententiam Papæ et certorum aliorum, qui cum Papa constituunt particularem Romanam Ecclesiam. Quænam autem sint alia ista Ecclesiæ Romanæ membra quorum assensus exigitur ut Papæ definitio infallibilis sit, an scilicet Provinciæ Romanæ Episcopi, an cardinales, an major pars clericorum aut etiam fidelium Romanorum, non clare nec uniformiter declarant hujus erroris patroni.

3° Fallibilem esse quemlibet Romanum Pontificem singulariter sumptum; at sedem esse infallibilem, intelligendo per *sedem* totam aliquam continuam Romanorum Pontificum *seriem* et *successionem*. Sic intellecta distinctio sedem inter et sedentem, auctorem habet Bossuetium. Ante ipsum scilicet subtilitas illa inaudita fuerat. Cæterum quot numero Pontifices requirantur in serie, ut hæc infallibilis censenda sit, determinare Bossuetius oblitus est.

4° Etsi erronea esse possit Papæ definitio, quandiu non

accessit Ecclesiæ saltem dispersæ consensus, ei tamen deberi statim ab omnibus fidelibus assensum, et quidem sincerum et *internum*. Ita Gallicani systematis sequaces, ut Jansenismi notam devitent. Et mire torquentur ut persuadeant duo hæc inter se non pugnare.

§ 4. — De libere controversa opinione quæ tenet Romanum Pontificem, etiam quatenus privatum doctorem, esse infallibilem.

De hac opinione sic disserit Duval (*de Suprema Romani Pontificis in Ecclesiam potestate*, parte II, quæst. I, pag. 200, edit Parisiis, 1614) :

« Albertus Pighius Campensis, cum nonnullis neotericis, « ut refert Bannes (quæst. I, art. 10, dubitatione 2), contra « communem doctorum sententiam, in Pontificum favorem « asseruit, Pontificem utroque modo esse infallibilem (*intel-* « *lige, tum quatenus loquens ex cathedra, tum etiam quatenus* « *privatus doctor*); ita ut, ex ejus mente, cum primum quis « per veram et canonicam electionem ad supremum Ecclesiæ « Pontificatum evehitur, statim a Christo ita in fide confir- « matur, ut non possit, etiamsi velit, in errorem privatim « aut publice cadere. Tum quia, inquit, divus Petrus tale « privilegium a Christo obtinuit (Luc. XXII) : *Oravi pro te, Petre,* « *ut non deficiat fides tua;* quod de fide Petri, tum personali et « privata, tum etiam publica et pastorali intelligitur. Constat « autem Christum hic non tantum pro Petro, sed etiam pro « omnibus ejus successoribus rogasse : ergo utroque modo « Pontifices qui Petro succedunt, in fide confirmantur. Tum « quia contra divinam providentiam, quæ suaviter omnia « disponit, pugnat Pontificem posse personaliter errare. Sic « enim Ecclesia evidenti periculo exponeretur; posset nam- « que ipse suum errorem definire et Ecclesiæ obtrudere; aut « certe grande miraculum esset quod ipse definiendo contra « mentem suam definiret; quinimo graviter peccaret verum « in hoc casu definiendo, quia contra conscientiam quamvis

« erroneam ageret. Tum quia nullus Pontificum a divo Petro, « inquit Pihgius, in errorem lapsus est... Tum quia affir- « mando Pontificem non posse personaliter errare, ab intri- « catissimis difficultatibus nos expedimus; ut, an Papa per « hæresim a dignitate excidat; a quo et quomodo veniat de- « ponendus; quandonam ut Pontifex aut ut privata persona « agere censeatur; in quibus dissolvendis multum peritiores « theologi laborant...

« Verum, his non obstantibus, *sententia communis* multo « verior, certior et probabilior est, nempe Pontificem per- « sonaliter in fide posse deficere, errorem suum cum per- « tinacia tueri, et, quod amplius est, velle et conari eum « Ecclesiæ obtrudere et proponere, quamvis propositionem « actu fieri et Ecclesiæ proponi numquam sinat Spiritus « sanctus. »

Inter varias rationes, quibus id probare conatur Duval, hæc quarta est :

« Doctores omnes ante et post Pihgium contrarium unani- « miter docuerunt : atqui novas opiniones absque ulla ne- « cessitate et ratione probabili contra omnium consensum « ingerere non est adeo tutum. » — Et sic concludit Duval : « Maneat igitur adversus Pihgium, *probabilius esse* summum « Pontificem personaliter tam in fide quam in moribus posse « impingere. »

§ 5. — Exponitur propugnanda hic a nobis tanquam vera et tenenda doctrina.

Infallibilis est Papa quoties fidem definit, non ut doctor privatus, sed ut Pontifex, nec ullum adest fundatum dubium quod libertate caruerit. Hæc est doctrina quam, rejectis omnibus supra expositis erroribus, *omnino certam et tenendam* in præsenti tractatu demonstrandam aggredimur.

CAPUT IV

EXPLODITUR INANISSIMA ET RECENTIORIBUS TEMPORIBUS ADINVENTA GALLICANORUM DISTINCTIO, INTER ROMANAM SEDEM ET SEDENTEM IN EA ROMANUM PONTIFICEM.

Innumera extant Patrum et conciliorum monumenta, quibus, sive expressis sive æquivalentibus terminis, Romanæ *Sedi* seu *cathedræ* tribuitur infallibilitas in decernendis fidei quæstionibus. In his autem omnibus textibus, in quibus agitur de *Sedis* potestate seu juribus et jurisdictionalibus prærogativis, luce meridiana clarius est metaphoricam illam vocem *sedes* seu *cathedra*, usurpari pro ipsomet Romano Pontifice. Idem scilicet vox illa significat, ac in istis gallicis locutionibus, *les droits du trône*, *les prérogatives de la couronne;* quæ idem omnino sonant ac *les droits*, *les prérogatives du roi*.

Adversarii vero apprime perspexerunt, actum esse de suo systemate, quo fallibilem asserunt in fidei definitionibus Romanum Pontificem, si prædicta documenta in obvio, quem diximus, sensu acciperentur. Quapropter ingenii sui acumen in id intenderunt ut aliquam reperirent rationis larvam, ad negandum manifestum illum ac tota retro antiquitate receptum sensum. Et invenerunt nuperam illam subtilitatem, qua, sedem inter et sedentem distinguentes, dixere, sedi quidem per prædicta monumenta infallibilitatem attribui, non autem sedenti Romano antistiti. Et sic auctoritatum Romani Pontificis infallibilitatem demonstrantium notabilem partem eludunt. Partem inquam ; nam, præter illos textus qui Romano Episcopo sub hac *Sedis Apostolicæ* denominatione inerrantiam vindicant, extant alii insuper plurimi, qui sine illa metaphora de Romano Antistite expresse agentes, eamdem illi prærogativam attribuunt. Quamvis autem vel hi soli poste-

riores textus ad confundendos adversarios sufficiant, non ideo priores omittendi sunt; ne scilicet, in re tanti momenti, mutila et veluti dimidiata Ecclesiæ catholicæ traditio ac doctrina exhibeatur. Cum igitur, in decursu præsentis de Pontificia infallibilitate disceptationis, adhibituri simus et textus illos, qui Romano Pontifici, sub *Sedis Apostolicæ* metaphora, inerrantiæ prærogativam vindicant, hic inter prævias quæstiones præoccupanda et explodenda visa est adversariorum cavillatio, qua effutiunt documenta hæc non esse de summo Pontifice intelligenda.

§ 1. — Adinventæ subtilitatis historia. Duplici sensui quo prius intellecta fuerat, tertium addit Bossuetius.

1. Gallicanæ illius subtilitatis auctor Joannes Gerson. Ipse scilicet inauditam huc usque inter catholicos de Romani Pontificis fallibilitate opinionem tueri ausus est; atque ut sese expediret a Patrum textibus, qui *Sedi Romanæ* inerrantiæ prærogativam adcensent, dixit per Sedem Romanam in iis textibus intelligendam esse, vel universalem Ecclesiam, vel, si intelligenda foret particularis Ecclesia Romana, non tamen solum Romanum Pontificem. De quo sic Muzzarelli : « Quelques Français... trouvant, surtout dans les saints Pères, une multitude presqu'infinie de passages, dans lesquels on assure l'infaillibilité du *siége* de Rome et de la *chaire* de saint Pierre, et voulant néanmoins obstinément nier l'infaillibilité du Pontife romain, ont fabriqué un système de distinction entre le siége et le siégeant, soutenant que par le siége de Rome et la chaire de saint Pierre on doit entendre, ou l'Église universelle, ou tout au plus l'Église Romaine particulière, mais jamais le Pontife Romain seul. Ce fut Jean Gerson qui porta l'étendard de cette opinion, par laquelle il paraît souvent à ceux qui ignorent une telle distinction, tomber en contradiction avec lui-même. Après lui, plusieurs autres de temps en temps se sont conformés à cette interprétation » (*de l'Infaillibilité du Pape*, tome IV, page 203, des

Opuscules de Muzzarelli, Bruxelles, 1837). Fuit autem Gerson, non gravis theologus, prout persuasum nonnullis (quos ego existimem nunquam Gersonis opera pervolvisse), sed transversæ prorsus ac deviæ mentis vir, cujus exilia theologica scripta, utpote erroribus ac deliramentis referta, in re doctrinali nihili omnino facienda sunt. Quod ne gratis a me dictum existimes, vide documentis probatum infra (sectione II, capite VI).

2. Post Constantiense concilium, statim communiter rejecta est novella de Papæ fallibilitate opinio, coactusque Gerson tacere, Lugdunique latitare; ac simul sepulta jacuit ejus sedem inter et sedentem distinctio. Nimirum theologi communiter (si raros aliquot Gersonis sequaces excipias), sicut semper antea, textus aliquid potestatis aut prærogativarum *Sedi* Apostolicæ vindicantes, de ipsomet Romano Pontifice interpretati sunt.

3. At regnante Ludovico XIV, cum in id potissimum intenderent aulici, ut Romanum Pontificem, quoad regaliæ causam resistentem, molestiis exagitarent ac flecterent, haud efficacius quidquam ad scopum hunc reputarunt, quam redivivam facere transitoriam illam ac jamdudum derelictam Gersonis ac veteris Sorbonæ opinionem de Papæ fallibilitate. Hinc coacta Parisiensis Facultas, anno 1663, declarationem in hunc sensum emittere. Hinc jussi præsules idem profiteri anno 1682 quod per quatuor celebres articulos præstiterunt (vide documentis probatum infra, sectione II).

4. Bossuetius autem nimium aperte absonam perspexit interpretationem, qua textus omnes infallibilitatem aut aliquid juris ac potestatis *Sedi Apostolicæ* tribuentes, detorqueantur ad significandam *universalem Ecclesiam*, vel etiam *particularem Romanam Ecclesiam*, quatenus clero ac populo Romano constantem. Igitur omnino concedendum duxit emunctæ naris vir, quamplurimos ejusmodi Patrum textus, sub illa *Sedis Apostolicæ* denominatione, de ipsismet Romanis Pontificibus agere; atque id ipse palam confessus est. Simul tamen, ut distinctionem sedem inter et sedentem re-

tineret, novam excogitavit subtilitatem, videlicet : in iis textibus per *Sedem Apostolicam*, intelligi quidem sæpius debere Romanos Pontifices; non tamen unumquemque Romanum Pontificem *singulariter sumptum*, sed totam aliquam continuam Romanorum Pontificum *seriem ;* infallibilem proinde seriem, fallibilem vero unumquemque Papam. Hinc ulterius distinguens *infallibilitatem* inter et *indefectibilitatem*, priorem Romanæ Sedi denegat, posteriorem concedit. Ideo scilicet Bossuetio *infallibilis* non est Apostolica Sedes, quia unusquisque Papa seorsim sumptus in fide errare potest ; eidem vero Sedi Apostolicæ *indefectibilitatem* tribuit, quia si contingat hæresim doceri ab aliquo Romano Pontifice, nequaquam error iste perseverabit, sed brevi corrigetur, sive ab ipsomet Papa qui eum docuit, sive ab ejus successore. Et sic (ut ipse existimat) verificatur nunquam *deficere* veram fidem in Sede Apostolica, quia etsi, errante aliquo Papa, momentaneam eclypsim patiatur, mox tamen iterum refulgebit, ita ut, attenta Romanorum Pontificum *serie*, immota semper apud ipsos vera Christi fides permansura sit. Ita intelligendum Bossuetii systema colligendum venit, tum ex relatione quam in comitiis anni 1682 legit Tornacensis Episcopus, sed cujus auctor Bossuet, tum ex ipsius disputatione cum eodem Tornacensi præsule, quam latine refert Fenelonius et quam reperies etiam in opere *Nouveaux Opuscules de Fleury* (pagina 218, edit. 1818), tum denique in opere *Defensio declarationis* inscripto. Nonnullas citationes subjicimus.

« Tertio modo Petrus intelligi potest strictiore significatione, ut qui, non modo Ecclesiæ universæ personam susceperit, sed successores in primatu suos... Quo etiam sensu merito Petro dicitur, *non deficiet fides tua ;* cum nunquam futurum sit ut Petri successores eorumque universa series atque successio, sedesque cui præsint, atque Ecclesia quam docendam regendamque susceperint, a vera fide evellantur (Bossuet, *Defensio declarationis*, parte II, libro XV, capite IV, tomo II, pag. 334, in editione Luxemburgi, 1730).

« Hæc ergo Ecclesia (id est Romana), ex avita atque apostolica traditione, eo jure, ea dignitate est, ut quemcumque sibi, eumdem etiam Ecclesiæ universæ ducem pastoremque eligat... Hæc igitur cathedra, hæc sedes, hæc Ecclesia est, quæ pro sui Pontificis dignitate, uniendæ Ecclesiæ necessaria, nunquam a vera Ecclesia, nunquam a vera fide abrumpatur.

« Neque objiciant, sedem a sedente Pontifice minime distinguendam. Hunc enim errorem, multis jam veterum testimoniis sublatum esse credimus. Vel sanctum Leonem audiant de sede Antiochena dicentem : *Aliud sunt sedes, aliud præsidentes* (epist. LIII ad Anast.).

« Neque propterea dicimus ipsam sedem aliquid exercere posse potestatis aut jurisdictionis aliter quam per ipsum præsidentem : sed si præsidens erraverit, errorem eum statim repellendum, neque coaliturum.

« Neque vero distinguimus a Romanorum Pontificum fide Romanæ Ecclesiæ fidem; quam scilicet non aliter quam a Petro primo atque a Petri successoribus Romani didicerint.

« Neque huic fidei oberit, si aliquot Pontifices officio defuerint, atque a vera fide, eique conjuncta fidei professione ac prædicatione, aliquando aberrarint. Stat enim Romana fides, ab eorum antecessoribus stabilita, ab eorum successoribus statim vindicanda; ut factum in Liberio, Honorio aliisque vidimus, nullo Romanæ fidei aut Romani primatus detrimento. *Etsi enim*, inquit Leo, *diversa nonnunquam sunt merita præsulum, tamen jura permanent sedium* (epist LXII ad Maxim.). Quanto magis permanent jura in Sedem Apostolicam per Petrum authore Christo collata.

« Accipiendi ergo Romani Pontifices tanquam una persona Petri, in qua nunquam fides penitus deficiat ; atque ut in aliquibus vacillet aut concidat, non tamen deficit in totum, quæ statim revictura sit. Nam et Petrus negavit et incredulus fuit, postquam etiam audivit illud : *Et ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua...*

« Sic ergo tertio sensu intelligatur Petri nunquam defec-

tura fides, quod eam Ecclesiæ Romanæ semel traditam, *in eadem Ecclesia*, ipsaque *successorum serie*, conservat ac fovet » (Bossuet, *Defensio declarationis*, parte II, libro XV, cap. v, tomo II, p. 534, editionis Luxemburgi, 1730).

5. Ex sua inter sedem et sedentem distinctione inferunt Gallicani, constringi quidem Christianos omnes absoluta necessitate profitendi fidem *Romanæ Sedis*, seu *Sedis Apostolicæ*, seu *Romanæ Ecclesiæ;* at non dari *absolutam* necessitatem adhærendi fidei *Romani Pontificis. Absolutam*, inquam; nam non negant *conditionatam.* Fatentur scilicet dari etiam necessitatem adhærendi fidei a Romano Pontifice definitæ, quando verificantur istæ conditiones : si constet Papam definiisse ex communi Ecclesiæ Romanæ fide seu traditione; vel si papali definitioni accesserit tacitus saltem Ecclesiæ universalis consensus.

§ 2. — Determinatur status quæstionis.

Propositio 1ª — *Quæstio non est, an omnes qualitates sedis intelligendæ sint competere sedenti; sed restringitur disceptatio ad prærogativas sedis circa fidem et jurisdictionalem potestatem.* — Non miretur lector nos ante omnia statum quæstionis apprime determinatum velle. Rem quippe habemus cum adversariis, qui æquivocationum et confusionis tenebras coacervant, ut incautis fucum faciant. Igitur nequaquam negatur in multiplici sensu distinguendam esse sedem a sedente, seu multa sedi competere ac de sede affirmari posse, quæ nonnisi stolide intelligerentur de sedente dicta. Quando, verbi gratia, sermo est de sede materiali qua utitur Pius IX, et dicitur sedem illam esse ligneam, stipes foret qui ligneum asseri Pium IX existimaret. Circumscribitur nempe quæstio in iis solis metaphoris, quibus sedi tribuitur aliqua *circa fidem jurisdictionemve aut dignitatem prærogativa.* Et de ejusmodi locutionibus, non de aliis, quæritur an quod tribuunt sedi, censendum sit et sedenti attributum. Negant adversarii : Nos

vero asserimus, dummodo agatur de sedente, non quatenus privato doctore aut homine, sed quatenus publicum suum summi Pontificis officium exercente. Proinde illi soli textus in præsenti controversia jure alligari possunt, quibus aliqua exprimitur Sedis Romanæ prærogativa *circa fidem aut jurisdictionalem potestatem*. Qui alios adduceret ad probandam sedem inter et sedentem distinctionem, prorsus extra quæstionem vagaretur.

Propositio 2ª. — *Quæstio non est, an prærogativæ quæ sedi tribuuntur circa fidem et jurisdictionalem potestatem, intelligendæ sint de sedente, etiam quatenus doctore seu homine privato: sed duntaxat an intelligendæ sint de sedente quatenus officium summi Pontificis exercente.* — Enimvero extra controversiam est Papam, quatenus privatum hominem, contra morum legem multipliciter peccare posse. Et quamvis controvertatur an possit, tanquam doctor privatus, errare a fide, vel tantum contra fidem *externe* peccare (verbi gratia thus idolis ex metu offerendo), nos tamen hic non defendemus ejusmodi Papæ, quatenus privati doctoris, inerrantiam. Nam præsens quæstio non agit de privatis, sed duntaxat de pontificiis et ex officio suo publico elicitis actibus. Quæritur nempe an prærogativæ circa fidem ac jurisdictionem quæ tribuuntur sedi, intelligi debeant de Papa quatenus Romano Pontifice. Nullatenus autem quæritur an ipsi competant quatenus doctori et homini *privato*. Igitur in præsenti controversia perperam prorsus allegarentur textus, qui simul agunt de prærogativis sedis, et de peccatis vitiisve sedentis *quatenus hominis privati*. Equidem in iis textibus distinguenda venit sedes a sedente. Sed ejusmodi distinctionem nemo unquam negandam somniavit. Negamus duntaxat (et in hoc solo tota quæstio vertitur) dari locum distinctioni quando agitur de sedis *quoad fidem jurisdictionemve* prærogativis, et de Romano Episcopo *quatenus summo Pontifice*, id est, quatenus ex auctoritate papali Ecclesiam docente ac regente.

Propositio 3ª. — *Datur quidem multiplex sensus, in quo sedes*

a sedente distinguenda est : sed hi sensus omnino extra quæstionem sunt. — 1° Agi potest de sede in sensu physico, ut jam diximus ; quod locum habet in his et similibus locutionibus : *Poni debet in cathedrali sedes seu thronus episcopalis cum baldachino : Romæ, ad catacumbas, vidi sedem, e petra, seu potius e solidiore quadam arena excisam, qua tertio sæculo Romani Pontifices usi sunt*, etc. In his sane locutionibus quod dicitur de sede non est de sedente intelligendum. 2° Agi potest de sede in sensu metaphorico, facta translatione ad significandum, verbi gratia, Episcopatum in aliqua civitate institutum. Sic dicitur : *Lavallii in Gallia nuper sedes episcopalis erecta est ; Antiquissima est sedes Lugdunensis*, etc. Nec tunc, ut patet, quæ dicuntur de sede intelligenda veniunt de sedente. 3° Item, dum sedis vocabulum metaphorice usurpatur, possunt de ipsa, præter *fidem et potestatem* seu *jurisdictionem*, alia quamplurima commemorari et asseri. Sint in specimen istæ locutiones : *Sedes Romana divinæ institutionis est ; sedes Parisiensis hodie majoris momenti est quam Lugdunensis ; Vacante sede, vicarius capitularis ad regendam diœcesim deputari debet ; sedes episcopalis N. a civitate N. translata est ad civitatem N. ; sedes Arelatensis jamdudum extincta est*, etc. In his locutionibus, quod de sede dicitur de sedente intelligendum non est. Igitur datur revera multiplex sensus, in quo sedes a sedente distinguenda est. Hoc negat nullus, nec ad præsentem quæstionem attinet. At 4° potest etiam sermo esse de sede, ut ei attribuatur *aliqua fides, aliqua potestas, jusve aliquod aut jurisdictionalis prærogativa*. Extant scilicet quamplurima Conciliorum et Patrum effata de *fide, potestate ac juribus* Sedis Apostolicæ. Porro in ejusmodi textibus, dicimus absone distingui sedem a sedente. Nimirum quod ibi metaphorice tribuitur sedi, intelligendum est de sedente Romano Pontifice ; non quidem quatenus privato homine seu doctore, sed quatenus pontificium munus gerente ac exercente. Contrarium adversarii contendunt, et circa hoc solum tota controversia vertitur.

§ 3. — Præfatam gallicanorum distinctionem excludit Patrum ac perpetuæ traditionis auctoritas.

Pauca e quamplurimis documenta recensebimus; quæ tamen abunde patefacient dicti systematis cum genuina ac perpetuo retenta doctrina catholica repugnantiam.

Sanctus Hieronymus, loquens de quadam epistola Theophili Patriarchæ Alexandrini, qua Origenis errores confutantur, illam epistolam vocat *prædicationem cathedræ Marci*, et eamdem a Romano Pontifice confirmari postulat. Pro quo utitur hac formula : *Prædicationem cathedræ Marci evangelistæ, cathedra Petri Apostoli sua prædicatione confirmet* (epist. ad Pammachium XCVII, alias LXXVIII). Ibi sane per *prædicationem cathedræ* seu *sedis* intelligit Hieronymus prædicationem *sedentis*. Siquidem id quod vocat *prædicationem cathedræ* Alexandrinæ nihil aliud est quam epistola Episcopi Alexandrini; et quod vocat *prædicationem cathedræ Petri*, nihil aliud est quam epistola Romani Pontificis, qua postulat priorem confirmari.

Immo eruditis explorata res est, ipsam solam vocem *cathedræ* episcopalis antiquitus pro *doctrina fidei a sedentibus in ea episcopis prædicata* frequentissime usurpatam reperiri; ita ut locutio hæc Hieronymi *jungi cathedræ Petri*, nihil aliud significet quam jungi *doctrinæ fidei a Romanis Pontificibus traditæ*. (De quo vide Petrum Ballerini, *de Vi ac Ratione primatus*, capite XIII, § 7, n. 35.)

Idem Hieronymus, de quadam fidei quæstione Damasum Papam consulens, ita eum alloquitur : *Ego beatitudini tuæ, id est, cathedræ Petri communione consocior* (edit. Benedictinorum, t. IV, col. 19). Igitur Hieronymo una eademque res fuit *fides cathedræ Petri* et *fides a Damaso prædicata*. Sane juxta Gallicanum systema perperam ibi locutus fuisset Hieronymus. Debuisset dicere : Consocior fidei cathedræ Petri; sed non consocior fidei Damasi, nisi sub conditione quod accedat universalis Ecclesiæ consensus; vel sub conditione quod fides

Damasi sit illa ipsa quam tenent simul ipsius Episcopi suffraganei, ipsiusve Romanus clerus.

Sanctus Prosper : *Sacrosancta beati Petri Sedes per universum orbem Papæ Zozimi sic ore loquitur* (Contra Collat. n. 15). Ibi Sedi Romanæ tribuitur illa ipsa fides quam Zozimus per universum orbem prædicat. Non ergo existimat S. Prosper distinguendam esse sedem a sedente, quando agitur de doctrina fidei.

Sanctus Cyprianus, epistola xlv ad Cornelium Papam, p. 85 editionis Pamelii, narrat quid peregerit ut Africanis Episcopis plane innotesceret falsitas quorumdam rumorum qui sparsi fuerant, quibus scilicet ambigebatur de canonica Cornelii electione. Et postea subdit : « Placuit ut..., scrupulo omni de singulorum pectoribus excusso, per omnes omnino istic positos litteræ fierent, sicut fiunt, *ut te* universi collegæ nostri *et communicationem tuam, id est, catholicæ Ecclesiæ unitatem* pariter et charitatem probarent firmiter ac tenerent. » Verba hæc, *communicationem tuam, id est, catholicæ Ecclesiæ unitatem*, palam faciunt, idem Cypriano fuisse *communicare unitati Ecclesiæ catholicæ* et *communicare Cornelio*. Proinde ipsi una eademque res fuit *fides Cornelii* et *fides Ecclesiæ catholicæ*. Si enim existimasset a Cornelio teneri ac doceri posse aliam quam Ecclesiæ catholicæ fidem, perperam dixisset *communicationem tuam, id est, catholicæ Ecclesiæ unitatem*. Igitur *quoad fidem* non distinguebat Cyprianus *sedentem* Romæ Pontificem ab ipsamet *Ecclesia catholica;* et a fortiori eum non distinguebat a *Sede Romana*. Alibi dicit Cyprianus : *Te secum* (cum Papa Cornelio), *hoc est, cum catholica Ecclesia communicare* (epist. lii ad Antonianum, p. 95 edit. Pamelii).

Canones Nicæni, arabico idiomate conservati. De valore istorum canonum, vide apud Mansi (Conciliorum t. II, col. 947, edit. Florentinæ, 1759). Canon 39 sic habet: « *Qui tenet sedem* « *Romæ* caput et princeps est omnium Patriarcharum; quan« doquidem ipse est primus sicut Petrus, cui data est po-

« testas in omnes principes christianos et omnes populos « eorum : ut qui sit Vicarius Christi Domini nostri super « cunctos populos et universam Ecclesiam christianam. *Et « quicumque illi contradixerit a synodo excommunicatur.* » Igitur illa eadem potestas quæ tot aliis documentis tribuitur *Sedi Romanæ*, hic expresse vindicatur *sedenti*, illi scilicet *qui tenet Sedem Romæ*. Et excommunicatur *qui ei contradixerit ;* quod sane non sanxisset synodus, si fallibilem in definienda fide sedentem Romæ Pontificem existimasset. Si enim hæresim doceret Romanus Pontifex, non tantum posset, sed deberet ei contradici.

Optatus Milevitanus (libro II, capite II, contra Parmenianum), postquam dixit constitutam Romæ fuisse *cathedram in qua una unitas ab omnibus servaretur*, enumerat Pontifices qui in ea sederunt ; et deveniendo ad Siricium Papam, ita subjungit : *Qui noster est socius, cum quo nobiscum totus orbis commercio formatarum in una communionis societate concordat.* Scilicet ut hæreticum probet Parmenianum, utitur hoc argumento : Non habet communionem *cum Siricio ;* ergo nec cum *Romana cathedra ;* ergo hæreticus est. Proinde idem est Optato Milevitano habere communionem cum *sedente*, ac illam habere cum *sede*. Et per necessitatem conveniendi in fide cum *sede* nihil aliud intelligit quam necessitatem conveniendi in fide cum *sedente*.

Damasus Papa, ad Paulinum Antiochenum, quoad hæreticos qui vellent *Ecclesiæ copulari*, ita scripsit : *Fidem nostram misimus, non tam tibi, qui ejusdem fidei communione sociaris, quam his qui in ea subscribentes, tibi, id est, nobis per te voluerint sociari* (Labbe, t. II, col. 865, Parisiis, 1671). Ubi vides subscribendum esse fidei *sedentis*, id est Damasi, ab iis qui volunt *Ecclesiæ copulari*. Non sese distinguit Damasus, quando de fide agitur, a *sede* Romana ; immo nec a fide Ecclesiæ catholicæ ; sed *suam* fidem imponit tanquam quid unum et idem cum fide Ecclesiæ catholicæ.

Imperator Gratianus, cum vellet quasdam ædes sacras, ab

Arianis prius occupatas, reddere catholicis præsulibus, quo tuto discerneret quinam tales essent, lege decrevit, *ut ædes sacræ iis traderentur qui cum Damaso communicarent* (Theodoretus, *Hist.*, l. V, c. II). Igitur imperator ille necessitatem profitendi fidem *Sedis Apostolicæ*, eamdem intellexit ac necessitatem profitendi fidem *sedentis*.

Zozimus Papa, ad Patres Carthaginensis concilii scribebat anno 418 : « Quamvis patrum traditio *Apostolicæ Sedi* auctoritatem tantam tribuerit, ut de ejus judicio disceptare nullus auderet..., *par potestatis* data conditio in eos qui sedis hæreditatem, ipso annuente, meruissent... Tamen cum tantum *nobis esset auctoritatis, ut nullus de nostra possit retractare sententia*, etc. (apud Labbe, t. II, col. 1572, edit. Parisiis, 1671). Ibi vides auctoritatem *Sedis Apostolicæ* totam quantam a Zozimo attribui, tum Petri successoribus, tum sibi ipsi. Nec dubium est quin agat etiam de potestate judicandi de fide, cum sit præcipua. Quo sane prorsus exploditur Gallicanorum, sedem inter et sedentem, distinctio.

Sanctus Augustinus, in synodali epistola Carthaginensis concilii ad Innocentium I, ita scripsit anno 416 : « Hoc itaque gestum, domine frater, *sanctæ charitati tuæ* intimandum duximus, ut statutis nostræ mediocritatis etiam *Apostolicæ Sedis* adhibeatur auctoritas » (in editione Benedictinorum, t. II, c. DCXVIII). Postulabat Augustinus confirmari gesta synodi *auctoritate Innocentii I;* et hanc Innocentii auctoritatem, vocat auctoritatem *Sedis Apostolicæ*. Igitur quoad potestatem, non diversum, sed unum et idem est *sedes* et *sedens*. Alibi, de litteris ad Innocentium directis dicit Augustinus : *Ad eamdem Apostolicam Sedem jam similiter scripseramus* (loco cit. col. 629). Ubi vides per *sedem*, *sedentem* intelligi.

Nota Augustini verba : « De hac causa duo concilia missa sunt ad *Sedem Apostolicam :* inde etiam rescripta venerunt : causa finita est » (sermone CXXXI, edit. Benedict., t. V, col. 645). Ubi definitiones Papæ vocantur *Sedis Apostolicæ* rescripta.

Innocentius I Africanos Episcopos, qui suorum synodalium decretorum confirmationem postulaverant, laudat, hæc inter alia proferens : « Qui ad *nostrum* referendum approbastis esse *judicium*, scientes quid *Apostolicæ Sedi* debeatur... Patrum instituta sacerdotali officio custodientes, non censetis esse calcanda : quod illi, non humana sed divina decrevere sententia, ut quidquid, quamvis de disjunctis remotisque provinciis ageretur, non prius ducerent finiendum, nisi ad *hujus sedis* notitiam perveniret » (apud Labbe, t. II, col. 1283, edit. Parisiis, 1671). Igitur referre ad *sedentem* hic et nunc Romanum Pontificem, Innocentio idem est ac referre ad *sedem ;* immo idem ac referre ad *Petrum*, ut videre est in alio textu (Labbe, ibidem, col. 1287).

Cœlestius et Pelagius hæretici. In libello quem Zozimo Papæ obtulit Cœlestius, ita dicebat : « Si forte ut hominibus quispiam ignorantiæ error obrepsit, *vestra sententia* corrigatur. » De quo sanctus Augustinus : « Hanc ejus prælocutionem venerabilis Papa Zozimus tenens, egit cum homine quem falsæ doctrinæ ventus inflaverat, ut ea quæ illi a Diacono Paulino fuerant objecta damnaret, atque ut *Sedis Apostolicæ* litteris, *quæ a* sanctæ memoriæ *suo prædecessore manaverant*, præberet assensum. At ille noluit quidem diaconi objecta damnare; sed beati Papæ Innocentii litteris non est ausus obsistere. Immo se omnia quæ *sedes illa* damnaret damnaturum esse promisit » (*de Gratia et Peccato originali*, l. II, c. VI, n. 7 ; tomo VII, col. 256, edit. Benedict.). Ibi vides promiscue poni sedem et sedentem ; et quod uni tribuitur, tribui et alteri.

Acta concilii œcumenici Ephesini. Ibi pluries videbis Sedi Apostolicæ tribui litteras seu definitiones Cœlestini Papæ. Verbi gratia hoc loco : *Apostolica et sancta Sedes Cœlestini sanctissimi Episcopi, per litteras quas... misit*, etc. Agitur de litteris quibus Cœlestinus Nestorianismum damnaverat (apud Labbe, t. III, col. 618, edit. Parisiis, 1671). Sane litteras non scribit *sedes* quatenus distincta a *sedente*. Et pariter scri-

buntur Sedis Apostolicæ litteræ ab unoquoque sedente singulariter sumpto, non autem a *serie* Romanorum Pontificum. Et tamen eæ litteræ habentur tanquam litteræ *sedis*, et tales vocantur millies.

Sixtus III. — Excommunicatus fuerat Joannes Antiochenus Episcopus. Ei postmodum resipiscenti et in communionem admisso, sic scripsit Sixtus III : « Expertus es negotii præsentis eventu quid sit *sentire nobiscum* » (Labbe, t. III, col. 1261, edit. Parisiis, 1671). Et postea dicit Sixtus III sentire cum Romano Pontifice, esse tenere doctrinam beati Petri; et dissentire a Romano Pontifice, esse rejicere beati Petri doctrinam, *quæ controversiam non habet*. Ubi vides quam aperte *sedenti* tribuat quidquid potestatis ad *sedem* pertinet in definienda fidei doctrina.

Theodoretus, ad S. Leonem : « Nos humiles et pusilli ad *Apostolicam Sedem* vestram accurrimus... Vos enim primas in mnibus habere convenit » (inter epistolas S. Leonis, lii, col. 997, editionis Ballerinorum). Et infra : « Et ego apostolicæ vestræ sedis expecto sententiam. » Sententiam Leonis seu *sedentis*, quam postulat, vocat *sedis* sententiam. Non agitur sane de sententia cujuslibet alterius, sed solius Leonis; nec expectat Theodoretus sententiam *seriei* alicujus Romanorum Pontificum, sed unius Leonis; et hanc vocat sententiam Romanæ *Sedis*.

Sanctus Avitus Viennensis, in epistola ad Hormisdam Papam, de Eutichete et Nestorio loquens : *Quos jamdudum per beatissimos prædecessores sanctæ Sedis vestræ calcavit auctoritas* (Conciliorum Labbe-Coleti tomo V, col. 584, edit. Venetiis, 1728). Quod peregerant illi prædecessores, censet Avitus factum *sedis* auctoritate. Quod nempe tribuit sedi, tribuit sedenti, et vice versa. Et Avito rescripsit Hormisdas : « Eutichetem atque Nestorium *Apostolicæ*, *id est*, *catholicæ* sententiæ auctoritate damnatos. » Ubi pro una eademque re censentur, tum sententia Romanorum Pontificum, tum sententia Sedis Apostolicæ, tum sententia catholica.

Hormisdas Papa commonuit Joannem Constantinopolitanum Episcopum, ut subscriberet formulario fidei, quod ipse Hormisdas concinnaverat et transmiserat, si vellet amplecti fidem *Sedis Apostolicæ* (vide textum apud Labbe t. IV, col. 1473, edit. Parisiis, 1671). Ubi vides non distingui fidem *sedis* a fide *sedentis*, id est, ipsiusmet Hormisdæ.

Et in alia ad legatos suos epistola, vult idem Pontifex, Thessalonicensem Episcopum, qui formulario subscribere renuebat, mitti ad se, ut *ab apostolica percipiat Sede doctrinam*. En ejus verba : « Peragite ut... a principe ad Urbem directus, *ab apostolica* percipiat *sede* doctrinam; et quidquid sibi dubium putet, huc veniens præsenti *a nobis* inquisitione condiscat... Sciat nos paratos esse et bene inquirentes instruere et errantes ad fidei rectum tramitem scientia duce revocare » (apud Labbe t. IV, col. 1508, edit. Parisiis, 1671). Unde idem erat Hormisdæ recipere doctrinam a *Sede* Apostolica, et illam recipere a *sedente*. Si Gallicanam distinctionem novisset ille refractarius, procul dubio respondisset Hormisdæ : Infallibilem fateor doctrinam sedis; sed tuam non item. At nondum tunc ovo lapsum erat novellum istud systema.

Justinianus imperator postulavit ab Hormisda Pontifice, ut definiret quid sentiendum esset de hac propositione, *Unus de trinitate passus est*, ex qua dissensiones orituræ prævidebantur. In qua imperatoris valde attendenda epistola, pauca hæc notamus : *Hoc enim credimus esse catholicum quod vestro religioso responso nobis fuerit intimatum... Summo cum desiderio fidem catholicam amplectentes, vestra doctrina unitatem universo orbi petimus condonari*. Ibi sane potestatem definiendi cum infallibilitate tribuit Justinianus, non *Sedi Apostolicæ* quatenus aliquid aliud significanti præter sedentem, aut tantum alicui *seriei* Romanorum Pontificum, sed *sedenti* tunc Romano Episcopo. Credit scilicet catholicum quod Hormisdæ responsum intimabit. Et petit dari unitatem universo orbi per Hormisdæ doctrinam : *Vestro responso*, *vestra doctrina*. Ex quo plenissime patet antiquitus, cum ageretur de *Sedis* Apos-

tolicæ doctrina vel potestate, nihil aliud intellectum fuisse quam potestatem et doctrinam Romani Pontificis. Juxta Gallicanum systema, reprehendi debuisset Justinianus, quod sic firmiter credendo decisionibus unius singulariter sumpti Romani Pontificis, sese manifesto erroris periculo exponeret.

Ferrandus diaconus hoc modo probat in judicium vocandam non esse Ibæ epistolam, utpote jam ab œcumenica synodo Chalcedonensi approbatam : « Quomodo ergo nunc olim judicata judicabuntur? Si tunc aliquis accusator epistolæ, cujus catholica esse dictatio claruit, ad majora judicia provocaret, appellationi forsitan secundum consuetudinem locus pateret. Sed quo iret, aut ubi majores reperiret in Ecclesia judices, ante se habens *in legatis suis Apostolicam Sedem*, qua consentiente, quidquid illa definivit synodus accepit robur invictum » (*Patrologia* Migne, t. LXVII, col. 925). Vides quam certum existimaret Ferrandus diaconus, Apostolicam *Sedem* præsentem haberi in *sedente*, immo in ipsius legatis.

Sanctus Gregorius Magnus, in sua ad Theodelindam reginam epistola : « Cum itaque integritatem nostram ex aperta *mea traditione seu professione* cognoscitis, dignum est ut de Ecclesia Beati Petri Apostolorum Principis nullum ulterius scrupulum dubietatis habeatis : sed in vera fide persistite, et vitam vestram in petra Ecclesiæ, hoc est in *confessione beati Petri apostoli* solidate » (libri quarti epistola xxxviii, t. II, p. 718, editionis Benedictinorum). Ibi sanctus Gregorius *suam fidei professionem* seu expositionem, quam isti reginæ transmiserat, proponit tanquam unum et idem cum *confessione beati Petri;* et dicit eidem reginæ nulla jam posse occurrere dubia circa fidem *Ecclesiæ beati Petri*, cum notam habeat fidei professionem quam ipse ei miserat. Non poterat sanctus doctor fortius exprimere, distinguendum non esse sedem inter et sedentem, quando agitur de fidei prædicatione ac definitione.

Sanctus Maximus sic de Pyrrho loquitur : « Itaque si vult hæreticus neque esse neque audiri, non isti aut illi satisfa-

ciat : superfluum quippe hoc et irrationabile est... Festinet pro omnibus *Sedi Romanæ* satisfacere. Hac enim satisfacta, communiter ubique omnes pium hunc et orthodoxum prædicabunt. Nam frustra solummodo loquitur qui mihi similes suadendos ac surripiendos putat, et non satisfacit et implorat sanctissimæ Romanorum Ecclesiæ *beatissimum Papam*, id est, *Apostolicam Sedem.*» Idem igitur sancto Maximo fuit *beatissimus Papa* et *Apostolica Sedes*, id est, sedes et sedens, quando agitur de jure regulandi fidem. (Textum integrum vide apud Labbe t. V, col. 1768, edit. Parisiis, 1671.)

Concilium generale sextum. Hujus synodi Patres ita in suis litteris Agathonem Papam alloquuntur : « Itaque *tibi*, ut *primæ sedi* universalis Ecclesiæ, stanti super firmam fidei petram, quid agendum sit relinquimus : Ὡς πρωτοθρόνῳ σοι τῆς οἰκουμενικῆς ἐκκλησίας, ἐπὶ τὴν στερέαν πέτραν ἑστῶτι. (Textum vide apud Concilia Mansi, t. XI, col. 686 et 687, editionis Florentinæ.) Equidem latinus interpres posuit, *tibi primæ sedis antistiti;* sed minus accurate; siquidem græcus textus habet, *tibi primæ sedi.* Igitur ipse Agatho, id est, *sedens*, vocatur *prima sedes.* Adeo alieni erant Patres isti ab oritura in Galliis aliquando et a Bossuetio propugnanda, sedem inter et sedentem, distinctione.

Episcopi Gallæ sub Carolo Magno. Cum vellet Carolus Magnus synodaliter examinari causam Leonis Papæ III, responderunt (referente Anastasio, in vita Leonis III) dicti præsules · « Nos Sedem Apostolicam, quæ est caput omnium Ecclesiarum, judicare non audemus. Nam ab ipsa nos omnes; ipsa a nemine judicatur; quemadmodum antiquitus mos fuit.» De quo textu sic adnotat Muzzarelli : « Ici certainement on ne voit pas la ridicule distinction entre le siége et le siégeant. On voit au contraire qu'on emploie indifféremment l'un pour l'autre. Car, lorsqu'il s'agissait d'examiner le seul siégeant, c'est-à-dire le Pape Léon, on nomme pour le désigner le *Siége apostolique*, sur lequel certainement, dans le sens gallican, on ne prétendait alors faire aucun examen. Il est donc clair

que cette distinction est une fable inventée, quand on a pensé à trouver quelque appui à un système qui n'en avait aucun » (*Opuscules* de Muzzarelli, tome IV, page 210, Bruxelles, 1837). Igitur isti Præsules, eo quod ageretur de aliqua prærogativa Sedis Apostolicæ, videlicet quod non possit a quoquam judicari, hanc prærogativam intelligunt et ad sedentem pertinere, et per ipsammet sedis denominationem sedentem designant.

Sergius, Cypriensis Episcopus, in suis ad Theodorum Papam litteris, quæ lectæ sunt in concilio Lateranensi sub Martino I, dicit primum de Sede Apostolica : « Firmamentum divinitus fixum et immobile, necnon lucidissimum monumentum fidei *tuam Apostolicam Sedem* constituit Christus Deus noster. » Id vero statim explicat de *sedente* Theodoro Papa : « *Tu* enim, ut veraciter divinus proclamavit sermo, *existis Petrus* (συ γαρ ὑπαρχεις πετρος), et super fundamentum *tuum* (ἐπι τῳ σῷ θεμελίῳ) Ecclesiæ columnæ confirmatæ sunt. *Tibi* et claves cœlorum tradidit, solvendique ac ligandi in terra et in cœlo potestatem attribuit. *Tu* profanarum hæreseon eversor constitutus es, utpote princeps et magister orthodoxæ et immaculatæ fidei. » (Vide totam epistolam apud Labbe tomo VI, col. 121, edit. Parisiis, 1671. Et nota me non adhibuisse interpretationem latinam quæ ibi est, sed meam textui græco magis aptatam.) Vides quam aperte Sergius tribuat *sedenti* omnes illas prærogativas (præsertim infallibilitatis), quæ *sedi* ab ipso in præcedenti phrasi attributæ fuerant.

In Libris Carolinis (l. I, c. vi, in *Patrologia* Migne, t. XCVIII, col. 1019 et seq.), de Sede Apostolica dicitur : « Illa omnibus præferenda est, quæ etiam cæteris apostolicis sedibus prælata est. » Et in probationem adducitur exemplum sancti Hieronymi Damasum Papam consulentis quoad causas fidei. Supponitur scilicet idem esse consulere Papam Damasum, ac consulere Sedem Apostolicam ; seu non distingui sedem a sedente, ubi de causis fidei judicandis agitur.

Theodorus Studita, ad Paschalem I: « Audi, Apostolicum caput, a Deo præposite pastor ovium Christi, janitor regni cœlorum, petra fidei super quam ædificata est catholica Ecclesia. Petrus enim tu... Tibi dixit Christus Deus noster: Et tu aliquando conversus confirmabis fratres tuos » (lib. II, epist. XII, *Patrologia* Migne, t. XCIX, col. 1151). Et in sequenti epistola: « Vos igitur illimis revera ac sincerus ab initio fons orthodoxæ fidei; vos adversus omnem hæreticam procellam tranquillus sepositus Ecclesiæ universæ portus: vos a Deo electa civitas refugii salutis » (ibid., col. 1153). Et in alia epistola, loquens de hæreticis quos Paschalis Papa condemnaverat: « Testor nunc coram Deo et hominibus: seipsos avulserunt a corpore Christi, suprema verticali cathedra, in qua Christus claves posuit fidei; adversus quam non prævaluere hactenus nec prævalebunt usque ad consummationem portæ inferi, ora scilicet hæreticorum, sicut pollicitus est qui non mentitur » (citato tomo *Patrologiæ* Migne, col. 1282). Ibi vides quam incunctanter infallibilitatem et alias prærogativas, quæ tribui solent, et quas ipse etiam tribuit *sedi*, pariter tribuat et *sedenti*.

In epistola ad Leonem Sacellarium, quoad causam fidei de qua disceptabatur dicit: « Mittenda est ad Romanum Episcopum ex utraque parte legatio, *et inde fidei accipienda certitudo* » (ibid., col. 1419). Et in epistola ad Michaelem imperatorem: « Quod si quid est ejusmodi de quo ambigat aut diffidat divina magnificentia vestra..., jubeat a *vetere Roma* suscipi declarationem. Hæc enim, Christicola imperator, suprema est Ecclesiarum Dei, in qua Petrus Sedem primus tenuit, » etc. (ibid., col. 1331). Ubi iterum vides declarationem seu definitionem *Romanæ Sedis* et *Romani Episcopi*, pro una eademque re accipi a Theodoro Studita.

Nicolaus I, in epistola ad Michaelem imperatorem: « Quamvis dixeritis non *nostri* eguisse vos ad expugnandos hæreticos... Non ergo dicatis non eguisse vos, in causa pietatis, *Romanæ Ecclesiæ* » (apud Labbe, t. VIII, col. 293, edit. Pari

siis, 1671). Ubi vides promiscue poni sedem et sedentem.

Sanctus Petrus Damianus ad Alexandrum II scripsit : *Vos Apostolica Sedes, vos Romana estis Ecclesia* (opusculo XX, cap. I). Quo sane significare voluit se agnoscere in Alexandro Papa potestatem omnem omniaque jura quæ Sedi Romanæ competunt; ac proinde jus etiam fidem definiendi supremo judicio cui omnes sese subjicere debeant.

In opere *Gubernaculum conciliorum* inscripto, et tempore Basileensis concilii elucubrato ab Andrea Magarensi Episcopo, sic habetur (cap. II) : *Ipse Papa solet Romana Ecclesia vocari.* Quod procul dubio intelligebatur non in quolibet sensu, sed quando agitur de Romanæ Ecclesiæ juribus ac potestate.

Œlredus abbas Rievalliensis in Anglia, duodecimo sæculo : « Quam multi hodie... egressi sunt de Ecclesia, et separantes se a *vicario* Christi, sequuntur præambulum antichristi... Hæc est Ecclesia Romana, cui qui non communicat, hæreticus est » (*Bibliotheca maxima veterum Patrum*, t. XXIII, p. 57 et 58, edit. Lugduni, 1677). Eodem modo perire censet qui separant se a vicario Christi, id est a *sedente*, ac qui separant se ab Ecclesia Romana, id est a *sede*.

Sanctus Bernardus (cujus testimonium fusius expendimus infra, § 6), Innocentium II alloquens : « Oportet ad vestrum referri apostolatum pericula quæque ac scandala emergentia in domo Dei, ea præsertim quæ de fide contingunt. Dignum namque arbitror ibi potissimum resarciri damna fidei ubi non possit fides sentire defectum. Hæc quippe hujus prærogativa sedis. Cui enim alteri aliquando dictum est : Ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua. Ergo quod sequitur a Petri successore exigitur : et tu aliquando conversus confirma fratres tuos. Id quidem modo necessarium. » Et sub finem epistolæ ita concludit de ipsiusmet Innocentii II persona : « Cujus arma potentia a Deo ad destructionem contrariarum assertionum, ad destruendam omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei, et in captivitatem

redigendum omnem intellectum in obsequium Christi » (editionis Migne t. I, col. 1054). Æque tribuit S. Bernardus *sedenti* et *sedi* potestatem resarciendi damna fidei; et utrique tribuit quod non possit ejus fides sentire defectum. Et tandem Innocentio II expresse tribuit potentiam a Deo, *ad redigendum in captivitatem omnem intellectum;* id est obligandi omnes ad credendum suis circa fidem definitionibus.

Paschalis II in Romano concilio, referente Ursbergensi abbate, ob concessiones Henrico imperatori factas quoad investituras, a quodam Episcopo hæreticus vocatus est. « Ad hæc, ait citatus auctor, patientia Domini Papæ horrendo hæreseos nomine pulsata, expergefacta est; et manu silentium indicens, dissidentium clamores et murmura tali oratione compescuit : Fratres et domini mei, audite : Ecclesia ista nunquam hæresim habuit; imo, » etc. (apud Labbe, t. X, col. 807, edit. Parisiis, 1671). Notet lector Paschalis II defensionem. Eum hæreticum vocaverat demens iste Episcopus. Ad quam repellendam injuriam dicit Pontifex : *Ecclesia ista nunquam hæresim habuit.* Si ibi fuisset Bossuetius, ab eo discere potuisset dictus Episcopus perbellem replicam. Scilicet respondisset Pontifici : *Te* hæreticum dixi, non *Romanam Ecclesiam;* non sedem, sed sedentem. At nondum tunc temporis ovo lapsum erat Gallicanum systema. Et satis demonstratum existimavit Pontifex se non esse hæreticum, ex ea sola ratione quod Ecclesia Romana in hæresim labi non possit.

Sanctus Ivo Carnotensis : « Contra Sedem Apostolicam caput erigitis... cujus judiciis et constitutionibus obviare, plane est hæreticæ pravitatis notam incurrere » (*Patrologia* Migne, tomo CLXII, col. 18). Et postea allegat verba hæc divi Gregorii : « Sit ergo ruinæ suæ dolore prostratus, quisquis apostolicis voluerit contraire decretis. » Apostolica decreta intelligit decreta Romani Pontificis seu *sedentis*. Ac proinde idem sentit de *sedis* ac *sedentis* auctoritate.

Anselmus, Havelbergensis Episcopus, sæculo duodecimo : « Certum est igitur, et nulli qui sani sit capitis dubium,

quod sicut una est Ecclesia, ita et unius Ecclesiæ unum caput est in terris, et hic est Romanus Pontifex, quem non solum auctoritas humani imperii, sed majestas divini judicii principaliter omnibus præesse voluit ; cujus quidem formam et institutionem, maxime in ecclesiasticis sacramentis, oportet omnes imitari, qui sub obedientia illius in fide Petri cupiunt salvari. Ita enim dicit beatus Ambrosius Mediolanensis Archiepiscopus : qui a Romana Ecclesia discordat, hunc procul dubio hæreticum esse constat » (in *Spicilegio* d'Achery, tomo I, p. 199, edit. Parisiis 1723). Ut probet Anselmus tenendam esse fidem *Romani Pontificis* seu sedentis, adducit textum sancti Ambrosii, in quo dicitur tenendam esse fidem *Romanæ Ecclesiæ*, id est, Sedis. Adeo certum supponebat unum et idem esse in hac re sedem et sedentem.

Sanctus Thomas : « Nova editio Symboli necessaria est ad evitandum insurgentes errores. Ad illius ergo auctoritatem pertinet editio Symboli, ad cujus auctoritatem pertinet finaliter determinare ea quæ sunt de fide, ut ab omnibus inconcussa fide teneantur. Hoc autem pertinet ad auctoritatem summi Pontificis » (in *Summa* IIª IIæ, q. I, art. 10). Quod autem ibi tribuit S. Thomas Romano Pontifici seu sedenti, tribuit etiam sedi : « Et inde est quod sola Ecclesia Petri... semper fuit firma in fide » (Opusculo sexto, *in Symbolum Apostolorum*, sub finem).

Clemens VI, litteris XI decembris 1351, exigit ut Armenorum Patriarcha, cujus fides suspecta erat, variis interrogationibus ipsi propositis absque ambagibus responderet. Et inter ejusmodi quæsita, hæc leguntur : « Quærimus... si credidisti et credis, omnes qui se contra fidem *Romanæ Ecclesiæ* erexerunt et in finali impœnitentia mortui fuerunt, damnatos fuisse, et ad perpetua infernorum supplicia descendisse... Si credidisti et adhuc credis, *solum Romanum Pontificem*, dubiis emergentibus circa fidem catholicam, posse per determinationem authenticam, cui sit inviolabiliter adhærendum, finem imponere ; et esse verum et catholicum quidquid ipse

auctoritate clavium sibi traditarum a Christo determinat esse verum ; et quod determinat esse falsum et hæreticum, sit censendum » (Raynaldus, ad annum 1351). Ibi vides, id quod *Ecclesiæ Romanæ* seu sedi tribuitur circa fidem, tribui et *Romano Pontifici* seu sedenti.

Petrus de Alliaco. Is totius universitatis Parisiensis nomine, circa annum 1388, sic Romanum Pontificem alloquebatur : « Ad Sedem Apostolicam pertinet auctoritate judiciali suprema circa ea quæ sunt fidei judicialiter definire... Et ideo in principio hujus operis protestamur, quod quidquid in eo dicturi sumus, huic sanctæ Sedi *et sedenti in ea summo Pontifici*, ac ejus judicio et correctioni humiliter subjicimus, imitatores B. Hieronymi qui in eodem capitulo ita scribit : Hæc est fides, Pater Beatissime, quam in catholica Ecclesia didicimus, in qua si minus perite aut parum caute forte aliquid positum est, emendari *a te* cupimus, qui Petri fidem et sedem tenes » (apud d'Argentré, *Collectio judiciorum*, t. I, part. II, p. 76). Ex eo quod ad *Sedem* Apostolicam pertineat *suprema auctoritate judiciali* de fide decernere, suam doctrinam subjicit Petrus de Alliaco *sedenti*, et a sedente (*a te*) postulat eam, si opus fuerit, emendari. Igitur quam agnoscebat universitas Parisiensis auctoritatem in *sede*, eamdem prorsus et in sedente agnoscebat.

Melchior Canus. Sic eos confutat qui Romanam Ecclesiam distinguunt a Romano Pontifice : « Si de errore in fidei judicio atque decreto loquimur, ut vere loquimur, nullum ego discrimen inter Apostolicam Sedem et Apostolicæ Sedi insidentem invenio. Primum, quoniam cum ad Sedem Apostolicam accedimus fidei oracula postulaturi, non singulos Romanæ Ecclesiæ fideles interrogamus, nec Ecclesiam ipsam Romanam in concilium cogimus, sed Pontificis maximi judicium quærimus, ejusque sententiam expectamus. Rursum, quoniam non Romanus populus est qui Ecclesiam universalem docet ea quæ ad fidem attinent, sed Romanus Episcopus. Nec potestas judicandi de causis fidei, ligandi, solvendi, pascendi, in populo

Romano est, sed in Romano pastore, vicario Jesu Christi. Concilia quoque non exigunt confirmationem et robur ab ipsa Romana plebe, sed a plebis Romanæ Antistite. Præterea, privilegium firmitatis, ut ante probatum est, Petro fuit peculiariter datum... Si Pastor Ecclesiæ Romanæ errorem fidei contrarium decerneret, oves quoque errante pastore dispergerentur... Quo magis illos reprehendendos judico, qui se dirempturos controversiam putaverunt, si Apostolicam Sedem ab Apostolico præsule secernerent. Non recipit istam responsionem ratio ; aspernatur, repellit. Illud potius sumit : errorem esse duplicem, alterum personalem, alterum judicialem... Error itaque personalis *privatus* est cujusque error, judicialis est *publicus* » (*de Locis theologicis*, libro VI, capite VIII, *Cursus theologicus*, t. I, col. 348). Et addit citatus auctor, posse dari errorem *privatum* Romani Pontificis, non judicialem seu *publicum*. Ignota fuit Melchiori Cano distinctio, postmodum a Bossuetio parturienda, qua *sedem* intelligit aliquam continuam Romanorum Pontificum *seriem*. Quam si novisset, durius procul dubio explosisset, nisi potius irridendam duxisset.

Bannes : « In publico fidei judicio non est distinguenda Sedes ab Apostolico præside vel summo Pontifice, neque Romana Sedes a Pontifice Romano » (in secundam secundæ sancti Thomæ, quæstione I, art. 10, conclusione tertia).

Colongue, Aptensis Episcopus, in suo mandato 20 decembris 1717 : « On osera peut-être avancer ici, que ces novateurs mettent une grande différence entre le Saint-Siége et celui qui l'occupe ; qu'ils protestent dans tous les ouvrages avoir un grand respect et une grande soumission pour les décrets de cet auguste tribunal, qu'ils reconnaissent infaillible, tandis qu'ils condamnent d'erreur celui qui y est assis. Sans entrer dans cette distinction *abstraite et inventée par les hérétiques* pour éluder leur condamnation, distinction que saint Cyprien n'a jamais connue, puisqu'il prétend que chaque Église est dans son Évêque, *Ecclesia in Episcopo;* distinction

condamnée par saint Pierre Damien, qui disait autrefois au Pape : Vous êtes vous-même ce Siége apostolique, vous êtes l'Église Romaine ; ce n'est pas à cette masse de pierre, dont elle est formée, que j'ai recours, mais seulement à celui en qui réside toute l'autorité de cette même Église : sans entrer, dis-je, dans cette question *si frivole*, nous assurons qu'elle n'a pas lieu dans l'affaire dont il s'agit... Quand on aurait tout le reste, dit saint Augustin, si l'on se détache de la créance du Souverain Pontife, on est hors de l'Église catholique, dont l'unité est fondée sur l'unité de la foi. »

Languet, Senonensis Archiepiscopus (troisième avertissement à ceux qui dans son diocèse s'étaient déclarés *appelants*, pagina 25) : « Remarquez, mes chers frères, cette distinction que l'on affecte mille fois de faire entre l'évêque et l'Église. Saint Cyprien voyait tout dans l'unité ; s'il distinguait l'un de l'autre, c'était pour exprimer plus vivement leur union, en disant que l'Évêque est dans l'Église et l'Église dans l'Évêque. »

Episcopi Gallicani, in suo libello memoriali, ad Ducem Aurelianensem, mense martio 1717, pag. 22 : « Ils sauraient (les novateurs qui distinguent l'Église de son chef) que de même que l'Évêque est dans l'Église, de même aussi l'Église est dans son Évêque. » — Vide pariter rejectam istam distinctionem a Remensi Archiepiscopo de Mailly (mandement de 1718, pag. 13) ; et ab auctore opusculi *Lettre d'un évêque à M. l'évêque d'Auxerre au sujet de son mandement*.

Si quis forte objiciat, non probare citata testimonia, utpote quibus forsan opponi plura possunt in contrarium, respondemus : Equidem si pro se alia totidem documenta possent adversarii deducere, res ex hoc capite ambigua remaneret.

At sequenti paragrapho probatur ne unum quidem ab ipsis allegari textum potuisse qui ad rem faceret. Ex quo sane concludat lector necesse est erroneum esse hocce novellum systema[1].

(1) Sedem distinguere a *Pontifice et Pontificio clero*, Thomassino visum est

§ 4. — Adversarii nullam omnino proferre possunt auctoritatem qua probent, pronuntiata de fide aut potestate seu juribus Romanæ sedis, non esse de sedente intelligenda.

Congessit Baluzius, in quadam adnotatione, quos idoneos existimavit textus ad persuadendam ejusmodi sedis ac sedentis distinctionem ; neque luculentiorem reperies apud alios gallicani systematis patronos auctoritatum exhibitionem. Igitur confutato illo Baluzii loco, tota simul explosa remanebit adversariorum argumentatio, ex auctoritate deducta. Habetur autem memorata Baluzii adnotatio, ad epistolam quandam inter opera sancti Agobardi editam, et Gregorio IV adscriptam (apud Migne *Patrologiæ* tomo CIV, col. 300). Nimirum ad ista Gregorii IV verba : *Quomodo potest fieri, ut manente Apostolicæ Sedis honore, mea tantum persona in causa reprehensionis et vituperationis remaneat !*

« Jam tum ergo, ait Baluzius, distinguebant inter sedem « et sedentem, id est, inter cathedram Romanam et Pontifi« cem huic sedi præsidentem. Neque nova est hæc distinctio. « Illius enim manifesta claraque indicia extant apud Leonem « Magnum in epistola LIII : *Aliud enim sunt sedes, aliud præsi« dentes.* Item in epistola LXII : *Etsi enim diversa nonnunquam « sunt merita præsulum, tamen jura permanent sedium.*

« Ita sentiebant Episcopi in synodo Parisiensi congregati « anno 824. Scribentes enim ad Ludovicum et Lotharium im« peratores, loquentesque de Romano Pontifice, quem fama « erat favere eorum opinioni qui adorandas putabant ima« gines, aiunt : *Credimus sane quia quanquam aliqua ex parte*

prorsus absonum. « Parco, inquit, hic repetere quod superiori dissertatione tædiosius prosecutus sum, Pontifici definienti Catholicos per orbem Episcopos ita consensisse hactenus semper, ut una totius Ecclesiæ vox illa fuerit, una sententia. At quod nonnullis arrisit, Pontificem cum consensu Ecclesiæ suæ definientem aberrare posse, et tamen sedem Apostolicam non errare, id vero commentitium et fabulosissimum est ludibrium. Secreta enim a Pontifice et Pontificio clero sedes, inane figmentum est, vacuumque simulacrum et sine mente sonus » (Thomassinus, sub finem operis *Theologicorum dogmatum*, dissertatione 20, in synodum sextam œcumenicam, numero 18).

« *superstitiosam sibi consuetudinem forte vindicare velint, nul-*
« *latenus tamem ab eadem sede aliter quam auctoritas et veritas*
« *se habet, mandare in aliquam partem præsumet. Verebitur si-*
« *quidem potestatem vestram,* AUCTORITATEM SEDIS, *et testimonia*
« *veritatis.*

« Auxilius, qui sub Formoso Papa floruit, libro II de ejus
« ordinationibus, capite XVIII : *Aliud sunt pontificales sedes,*
« aliud *præsidentes.*

« Discrimen illud agnovit etiam Baronius in causa Marcel-
« lini Papæ, dum ait lapsum ejus, quantumlibet evenisse
« putetur, nullum præjudicium afferre catholicæ veritati;
« affertque locum Tertulliani, ex libro de Præscriptione hære-
« ticorum, ubi sic scriptum est : *Ex personis probamus fidem,*
« *an ex fide personas?* Quæ Baronii scriptio absurda vanaque
« esset, nisi constaret jura sedium permanere, tametsi inter-
« dum diversa sint merita præsidentium, id est, nisi sedes
« distingueretur a sedente in ea.

« Hinc Ferrerius, Francorum regis in Tridentina synodo
« legatus, conquerens de Pio IV Papa, dignitatem tamen et
« auctoritatem Romanæ Sedis disjungit a Pio. Hæc sunt ejus
« verba : *Sedem Apostolicam, summum Pontificem, sanctam Ro-*
« *manam Ecclesiam, pro cujus dignitate augenda majores nostri*
« *sanguinem fuderunt et adhuc hodie in Gallia acriter pugnatur,*
« *veneramur, reveremur, suspicimus, et maximis ad cœlum lau-*
« *dibus efferimus. Pii autem IV imperium detrectamus, quæ-*
« *cumque sint ejus judicia et sententias rejicimus, respuimus*
« *et contemnimus.* »

Habes ibi, lector, totum gallicani systematis de præsenti argumento promptuarium. Porro ex illis sex textibus, quinque priores prorsus extra quæstionem sunt, ac inepte adducuntur. Sextus autem, id est, hæretici Duferrier hæreticalia verba, quæ tanquam auctoritatem allegare Baluzium non puduit, gallicanæ distinctionis virus apprime prodit ac manifestum facit. Unumquemque textum singillatim expendamus.

1° *Inepte adducitur prior sancti Leonis textus.* — Desumitur ex epistola sancti Leonis ad Anatolium Episcopum Constantinopolitanum (epist. CVII, *Patrologiæ* Migne t. LIV, col 1007). Is sibi vindicare præsumpserat *secundum* inter patriarcales sedes dignitatis locum, id est, primum post Romanam Sedem. Hoc porro privilegium, non ad Constantinopolitanam, sed ad Alexandrinam sedem pertinebat. Quia vero Alexandrinus Patriarcha Dioscorus in concilio Chalcedonensi depositus fuerat, opportunam occasionem ratus Anatolius, *secundum*, ut diximus, locum sibi fraudulenter usurpavit. De quo ad Anatolium scribens sanctus Leo, eum graviter redarguit : « Ab universali te, inquit, perturbatione contineas. Non convellantur provincialium jura primatuum. » Postea subjungit, jus Alexandrinæ sedis nequaquam periisse ob culpam Dioscori : « Nihil Alexandrinæ sedi, ejus quam per sanctum Marcum Evangelistam beati Petri discipulum meruit pereat dignitatis ; nec Dioscoro impietatis suæ pertinacia corruente, splendor tantæ Ecclesiæ tenebris obscuretur alienis. » Et tandem addit sanctus Leo verba ista, quæ suæ distinctioni favere perperam arbitrantur adversarii : *Aliud enim sunt sedes, aliud præsidentes.* Qui vero dictum istud sancti Leonis objiciunt, nisi prorsus stipites sint, mala fide objiciunt. Etenim quæstio non est, an *jura* sedium sint quid unum et idem cum *peccatis* sedentium ; sed an sint quid unum et idem cum ipsorum *juribus*. Nos dicimus *jura* sedium esse *jura* sedentium ; et quidquid *juris seu potestatis* a Patribus tribuitur Sedi, intelligendum esse *de jure ac potestate* sedentis. Id ipsum vos negatis, et in hoc est tota controversia. Porro sanctus Leo non dixit : « Aliud sunt *jura* sedium, aliud *jura* præsidentium ; » sed dixit *jura* sedium non perire ob *peccata* sedentium. Totus est scilicet ut probet, jura sedis Alexandrinæ nequaquam imminuta fuisse per Dioscori prævaricationem ; unde quando dicit, *aliud sunt sedes, aliud præsidentes*, hoc dicit relative ad præsidentium *prævaricationes*, et ut probet per ejusmodi prævaricationes jura sedium minime destrui. Quod autem *jura sedis*

alicujus ac præsertim Romanæ, non sint simul *jura sedentium* in ea legitimorum Antistitum, nullibi dixit ; et nedum tantæ vesaniæ vestigium aliquod sancti Leonis scripta exhibeant, contrarium dogma expresse firmant (vide sermones II, III, IV et V *de anniversaria sui assumptione*). Celebre ipsius dictum : *Dignitas* (Petri) *etiam in indigno hærede non deficit.* — Ast, inquies, probat saltem sancti Leonis textus, jam ab antiquo admissam fuisse, *in aliquo sensu*, sedis et sedentis distinctionem. — Respondeo : Non tantum in aliquo, sed in multiplici sensu olim et semper distinctio hæc admissa est et admitti debuit. At, quæso, quid hoc ad quæstionem, quæ tota est, an unquam olim distincta fuerint *jura* sedium a *juribus* sedentium? Agitur de *unico* illo sensu, et vos distinctionem probatis in *aliis sensibus*, de quibus nulla intercedit disceptatio. Sane dum ita extra quæstionem fugitis, fallaciam proditis. Vultis nempe novellam vestram distinctionem venerandæ antiquitatis auctoritate vestitam inducere, ut fucum incautis faciatis ; et ideo allegatis textus, quos bene nostis ad rem non facere.

2° *Inepte adducitur posterior sancti Leonis textus.* — Inter patriarchales sedes, juxta Nicænos canones, *tertium* dignitatis locum obtinebat sedes Antiochena, *secundum* Alexandrina, *primum* Romana. Porro Anatolius Constantinopolitanus, ut jam dictum est, *secundum* sedi suæ locum usurpare tentaverat. Qua stante usurpatione, Alexandrina sedes ad *tertium*, Antiochena vero ad *quartum* locum dejecta fuisset. Hac de re scribens sanctus Leo ad Maximum Antiochenum Patriarcham hortatur ut sedis suæ jura, contra usurpationem Anatolii fortiter defendat. « Dignum est enim, inquit, te... privilegia *tertiæ* sedis agnoscere, quæ in nullo cujusquam ambitione minuentur. Quia tanta apud me est Nicænorum canonum reverentia, ut ea quæ sunt a sanctis Patribus constituta, nec permiserim nec patiar aliqua novitate violari. *Etsi enim diversa nonnunquam sunt merita præsulum, jura tamen permanent sedium.* » (Epist. 119, tomo CIV *Patrologiæ* Migne, col. 1043.)

In gratiam distinctionis suæ adducunt adversarii ultima quæ sublineavimus verba. Perperam iterum ac ineptissime. Nam alludit ibi Pontifex ad Dioscori Antiocheni lapsum, ob quem depositus merito fuerat. Et ne forte ob ejus culpam loco suo dejectam sedem Antiochenam objiceret Anatolius, generaliter pronuntiat : etsi diversa nunquam sunt merita præsulum, jura tamen permanent sedium. Quod sane nihil aliud sonat quam, *jura sedium* non tolli par *sedentium peccata*. Porro id ad quæstionem non pertinet. Nam quæstio est an distinxerit sanctus Leo inter *jura sedium* et *jura sedentium* ; an scilicet ullibi dixerit, aliud esse *sedium* et aliud *sedentium jus*. Porro hoc neque ibi, neque ullibi dixit. Jura sedis habet sedens, non ex se tanquam persona privata, sed ob sedem cui in perpetuum alligata sunt. Cæterum eadem prorsus sunt jura sedis et sedentis ; nec ullum reperietur indicium, quod diversa sanctus Leo existimaverit. Igitur dum Baluzius pro gallicana distinctione ad sanctum Leonem provocat, sciens fallit. Utique distinctionem habet sanctus Leo, sed non eam de qua cum gallicanis quæstio movetur.

3° *Perperam allegantur verba Episcoporum anno* 824 *Parisiis coadunatorum*. — De illis Episcopis sic habet Dominus Potée, Blesensis diœcesis presbyter, vir (meo quidem judicio) in re critica versatissimus ac sanæ doctrinæ tenacissimus, in quadam dissertatione sua, nondum typis edita : « En 823, dans les derniers troubles du règne de Louis le Débonnaire, un certain nombre d'Évêques français, excités par les courtisans de Judith, son indigne épouse, et aveuglés par de vils intérêts, osèrent, d'après un bruit qui prêtait à Grégoire IV l'intention de les excommunier s'ils ne se rendaient à ses propositions, lui écrire que, s'il les condamnait, ils le condamneraient, s'il les excommuniait, ils l'excommuniraient. (*Nullo modo se velle ejus voluntati succumbere, sed si excommunicaturus adveniret, excommunicatus abiret.* In Vita Ludovici Pii, citata a Baluzio, in *Patrologia* Migne, tomo CIV, col. 299 ; cui citationi subjungit Baluzius hanc, non viro catholico, at

plane sectario dignam exclamationem : *Recte profecto!*) Et cela sans injure pour son siége (*manente Apostolicæ Sedis honore.* Epistola Gregorii IV, *Patrologia* Migne, t. CIV, col. 300). Le Pape dans sa réponse leur disait d'expliquer comment il pouvait se faire que sa personne reçût un blâme et une condamnation, sans que l'honneur du Siége apostolique en subît aucune atteinte, et il leur demandait la solution de cette énigme. (Ibid., col. 301, lit. c. d.). Sur quoi Baluze, plus intelligent que Grégoire IV, à ce qu'il paraît, de triompher et de s'écrier : *Déjà donc on distinguait le siége du siégeant, la chaire romaine du Pontife qui l'occupait.* Quelle bonne fortune en effet : *déjà alors*, au neuvième siècle (!), trouver de quoi étayer cette fameuse distinction, *subterfuge imaginé par les novateurs*, dit M. de la Palme (*Principes de la doctrine cath.*, partie III^e^, n. 82, n. c., p. 234, edition in-12), *en vue de séparer l'épouse de l'Époux* (*ainsi s'expriment les Évêques de France*) *et d'éluder ce que la tradition a de plus fort pour reconnaître le schisme et réprimer l'erreur.* »

Quod autem *synodi* nomine dictorum Episcoporum coadunationem Baluzius insigniverit, ita perstringit citatus dominus Potée : « Nous ne laisserons point passer sans observation le titre de *synode* ou *concile*, donné à la conférence des Évêques *familiers* de Louis le Débonnaire. Baluze y attache, à ce qu'il paraît, une certaine importance; et nous tenons, nous, à ce qu'on ne qualifie pas une pareille conférence du nom de *concile;* parce qu'un concile, quelque restreint qu'il soit, exige toujours du respect. On dira : les actes de cette conférence sont intitulés *Concile de Paris.* — Nous ne le contestons pas. Mais Baluze, qui s'est posé en aristarque, devait faire observer que c'est indûment. Ces Évêques eux-mêmes se disent simplement réunis à Paris, et non en synode. Ils font dire à Louis, dans la lettre rédigée par eux en son nom à l'adresse du Pape, qu'*il ne les avait point réunis en synode.* Le prince lui-même, dans sa lettre, ne parle que d'une réunion ayant pour but de feuilleter les Pères et d'en extraire les passages

sur la matière à traiter. La profession de critique faisait donc un devoir à Baluze de distinguer d'un synode canoniquement assemblé, cette conférence des *familiers de Louis*, dénomination qu'ils se donnent naïvement eux-mêmes. C'étaient des *familiers*, c'est-à-dire des Évêques courtisans et bassement adulateurs. On en a pour preuve le langage qu'ils tiennent à Louis. Ils lui font envisager sa puissance comme formidable au Pape par rapport à la doctrine même, et comme chargée de veiller au dépôt de la foi, de se mêler des matières ecclésiastiques à défaut des Papes, de censurer leur manière de penser comme docteurs privés au moins (voir *Patrologie* Migne, t. XCVII, col. 1301). Même caractère de platitude et de bassesse dans la lettre de Louis, rédigée par eux, à l'adresse du Pape (ibid., col. 1337); et surtout dans celle qu'ils rédigèrent si niaisement et si témérairement au nom du Pape, lui proposant de l'envoyer à l'iconomaque Michel Paléologue (ibid.). C'étaient des courtisans hypocrites, accoutumés à prendre toutes sortes de visages et très-habiles dans l'art de feindre, comme le constatent les leçons d'hypocrisie et de ruse qu'ils donnent à Louis pour surprendre le Pape et le faire tomber dans ses filets » (voir *Patrologie* Migne, t. XCVIII, col. 1301 et 1302).

Hi nimirum sunt Episcopi, Parisiis coadunati, quorum testimonium allegat Baluzius, quosque egregio mendacio vocat *haud ignavos, suique gradus memores* (*Patrologia* Migne, t. CIV, col. 299). Quam ignavi fuerint et gradus sui immemores palam fecit Gregorius IV in supra citata epistola. Jam testimonium ipsum excutiamus, id est, dictorum Episcoporum verba, in quibus expressam vidit Baluzius suam sedis et sedentis distinctionem.

Falsum est ullum in iis verbis reperiri ejusmodi distinctionis vestigium. « Credimus sane, aiunt, quanquam aliqua ex parte superstitiosam sibi consuetudinem forte vindicare velint, nullatenus tamen ab *eadem sede* aliter quam auctoritas et veritas se habet, mandare in aliquam partem præsumet.

Verebitur siquidem potestatem vestram, *auctoritatem sedis*, et testimonia veritatis. » Igitur expendunt ibi præsules, an timendum sit, ne Gregorius IV erronee decernat *ex auctoritate sedis suæ* (id enim sonant verba *ab eadem sede*). Et dicunt hoc timendum non esse, quia verebitur *auctoritatem sedis suæ*, nec non potestatem regis contrarium sentientis, et testimonia veritatis. Proinde agunt de actu Papali qui sit simul actus *Sedis* Pontificiæ. Et nedum distinguant inter decretum sedentis et sedis, supponunt e contra decretum Gregorii fore decretum *ex auctoritate Sedis Apostolicæ* profectum. Nondum scilicet noverant hujus ævi præsules recentioribus temporibus excogitatam gallicanam distinctionem. Quidquid decernebat Papa tanquam Pontifex, vocabant decretum *Sedis Apostolicæ;* ac ipsis unum et idem erat decretum Pontificis (quoties agebat ut Romanus Pontifex, non ut privata persona) et decretum sedis. Equidem eo progressa est perditorum ejusmodi Episcoporum audacia, ut dixerint, se obedientiam negaturos decreto Gregorii Pontificis, seu (quod idem ipsis erat) decreto Sedis Apostolicæ, etsi sub excommunicatione intimato. Sed hoc eorum vafritiem arguit, non autem quod unquam somniaverint sedis et sedentis gallicanam distinctionem.

4° *Perperam adduxit Baluzius Auxilii verba.* — De isto Auxilio, qui sub finem noni sæculi, vel forsan anno 1002 vixit, sic habet citatus dominus Potée : « Auxilius, dont il est ici question, était certainement trop intéressé dans la cause. Était-il prêtre? Ne l'était-il pas? Ce n'est pas en soutenant que l'Ordre reçu par pure contrainte est valide aussi bien que le Baptême conféré à celui qui ne veut pas croire en Jésus-Christ, qu'il le prouvera. Avait-il droit d'exercer les fonctions sacerdotales? Ne l'avait-il pas? Le long exercice que lui et plusieurs autres en ont fait est loin d'être un argument péremptoire. Devait-il s'estimer, oui ou non, lié par l'excommunication? De ce que sa conscience, au for intérieur, pouvait être juge, il ne s'ensuit pas qu'elle fût juge compétent au for extérieur dans l'affaire. Et si dans l'Ausonie l'on par-

tagea son avis, dans toutes les Gaules et à Bénévent, d'après Léon, évêque de Nole, à qui il adresse son traité, on ne le partagea pas; et avec raison, puisque l'on doit se soumettre à une excommunication, qu'elle soit juste ou injuste. Toutes ces erreurs et plusieurs autres, auxquelles sa passion eut sans doute quelque part, rendent cet auteur suspect. On pourrait donc rejeter purement et simplement le témoignage que Baluze lui emprunte en faveur de son système. Mais ce témoignage renferme-t-il du moins ce que le savant critique y a vu? Il nous semble s'être complu à produire cet Auxilius. Ne serait-ce point parce qu'il lui aurait paru de trempe, s'il eût vécu au dix-huitième siècle, à se faire *appelant* décidé? Quoi qu'il en soit, voyons s'il a eu raison de le citer. »

Capite decimo octavo tractatus sui hanc objectionem proponit Auxilius : « Sancta Romana Ecclesia super ecclesias primatum tenet; ideoque judicat omnes, et ipsa a nemine judicatur. Tu autem qui es, qui contra eam loqueris? » (*Patrologia* Migne, tomo CXXIX, col. 1088). Cui objectioni respondet in hunc modum : « Absit ut ego infimus, vel potius vermis, contra eam loquar; sed ut Deus donaverit, magis pro ea. Quæso, diligenter attende quod dicturus sum longe incomparabiliter. *Aliud sunt Pontificales sedes, aliud præsidentes.* Proinde honor et dignitas uniuscujusque sedis venerabiliter observanda sunt. Præsidentes autem si deviaverint, per devia sequendi non sunt. Hoc est, si contra fidem vel catholicam religionem agere cœperint, in talibus eos nequaquam sequi debemus; quod plerumque apud Constantinopolitanam et Alexandrinam sedem contigit. In his autem quæ jure dicunt, esti non faciunt, libenter eis obedire debemus » (Ibid., col. 1089).

Præcedente vero capite, id est, decimo septimo, ita loquentem contradictorem suum induxerat : « Cum aliis potestatibus resistendum non sit..., Apostolicæ potestati, quæ procul dubio omnes humanas potestates excellit, in omnibus quæ jubet resistendum non est. » Et responderat in hunc modum : « Omni humanæ potestati subditi esse debemus, et quam

maxime Apostolicæ. Sed utique non in illis quæ christiana lex abominatur et prohibet. »

Igitur dicit Auxilius : 1° non esse obediendum *potestati Apostolicæ*, quando aliquid peccaminosum præcipit. Et ibi decretum quo præcipitur aliquid mali, tribuit *Sedi* Apostolicæ. Supponit nempe ab ista *sede* posse præcipi aliquid legi christianæ contrarium, in quo proinde ipsi obediendum non sit. Et hoc admittunt catholici doctores quamplurimi. Nimirum infallibilem dumtaxat dicunt *sedem*, sicut et *sedentem*, in definitionibus fidei ac disciplina generali ; et concedunt in negotiis particularibus, posse *Sedem* Apostolicam erronee ac injuste pronuntiare ac præcipere.

2° Dicit Auxilius, deviationem *præsidentium*, quando aliquid peccaminosi præcipiunt, tribuendam non esse *vitio sedis*, sed *vitio sedentis;* ex quo infert per ejusmodi deviationem non minui honorem *sedi* debitum. Igitur quoad id dumtaxat, id est, ut vitium *sedentis* non tribuatur *sedi*, distinctas vult sedes a sedentibus, et dicit, *aliud sunt Pontificales sedes*, *aliud præsidentes*. Sed nequaquam dicit decreta *sedentis* non esse decreta *sedis*. Imo expresse attribuit *sedi* etiam decreta illa quæ prava sunt ex vitio *sedentis;* siquidem pronuntiat non esse obediendum *potestati Apostolicæ* in illis quæ christiana lex prohibet.

3° Tota quæstio, ut toties diximus, in hoc circumscribitur, an distinguenda sit sedes a sedente, quando agitur de *sedis jurisdictione seu potestate vel speciali circa fidem prærogativa;* ita scilicet ut admittenda sit in *sede*, aliqua potestas jusve aliquod, quo *sedens* careat. Porro nullibi dixit Auxilius, aliud esse sedes et aliud præsidentes, *quoad jus et potestatem*. Sed dixit dumtaxat aliud esse sedem et aliud sedentem, quoad *prava sedis judicia*. Licet enim judicia hæc sint *sedis judicia*, eorum tamen vitium non provenit a *sede* sed a *sedente*. Igitur distinctio illa Auxilii, quam citat Baluzius, omnino extra quæstionem vagatur.

5° *Impudenter Baluzius tanquam distinctioni suæ faventem cita-*

vit Baronium. — Dixit Baronius, ex peccato idololatriæ Romani Pontificis Marcellini, nullum veritati catholicæ illatum damnum ; et memoravit Tertulliani effatum : *Ex personis probamus fidem, an ex fide personas?* Hoc dixit, non aliud. Jam vero advertat lector, quam improbe Baluzius ibi assertam a Baronio contendat gallicanam sedis et sedentis distinctionem.

1° Quod tanquam *persona privata* peccabilis sit Romanus Pontifex, est, fuitque semper extra omnem omnino controversiam positum. Infallibilis scilicet asseritur dumtaxat quatenus ex publico pontificiæ suæ auctoritatis officio agens, circa definiendas fidei quæstiones et decernendam generalem disciplinam. Proinde, quod distinguenda sit sedes a sedente quoad actus Pontificis, quatenus *personæ privatæ*, negat nullus et prorsus extra quæstionem est.

2° Quod thus idolis, suppliciorum terrore victus, Marcellinus Papa obtulerit, fuit actus *privatæ personæ*, non ex pontificia auctoritate elicitus. Aliter se res haberet, si Marcellinus auctoritate pontificia definivisset licitam idololatriam, aut illam præcepisset. At neque ipse, neque ullus unquam Romanus Pontifex, quidquam pravum aut erroneum auctoritate Pontificia decrevit.

3° Recte peccato privato Marcellini aptavit Baronius effatum Tertulliani, *ex personis probamus fidem, an ex fide personas?* Cum enim ipsi etiam Romani Pontifices peccabiles sint quatenus personæ privatæ, et possint quatenus tales peccare etiam contra fidem, non quidem interne deserendo fidem (hoc enim a multis negatur etiam relative ad privatos Romanorum Pontificum actus), sed, verbi gratia, thus idolis ex metu afferendo, rigorose sequitur non esse dijudicandam fidem ex istis *privatis* Romanorum Pontificem actibus, sed contra de iisdem actibus ex fide judicandum.

4° Ex eo quod hoc dixerit Baronius (idem et nos cum omnibus qui gallicanum errorem impugnant pariter dicimus) aut vesane, aut ex mala fide concludit Baluzius admissam a Baronio fuisse gallicanam sedis et sedentis distinctionem.

Nam gallicana illa distinctio in eo est, quod admittatur in *sede* aliqua potestas jusve aliquod, quo careat Romanus Pontifex, consideratus quatenus persona publica, seu quatenus ex pontificia sua potestate agens. Porro Baronius egit dumtaxat de *privato* Marcellini peccato, non autem de actibus ex Pontificia auctoritate elicitis. Igitur ex eo quod notaverit, fidem non esse dijudicandam ex privato illo Marcellini peccato, nequaquam sequitur eum noluisse fidem dijudicari ex decretis a Pontifice tamquam persona publica editis. Contrariam doctrinam totis suis voluminibus profitetur Baronius; neque id Baluzium fugiebat.

6° *Baluzium pudere debuisset distinctionis suæ patronum invocare hæreticum Duferrier.* — Jam vidimus frustra Baluzium per totam retro antiquitatem aliquos quæsivisse dictæ distinctionis patronos. Nullos omnino expiscari potuit ante decimum sextum sæculum. Ast ibi tandem unum reperit, videlicet celebrem Duferrier, quem legatum ad Tridentinam synodum rex Galliæ miserat. Quam infeliciter ad viri hujus auctoritatem provocaverit, ita exponit eruditus dominus Potée, in quadam dissertatione sua nondum typis edita :

« Qu'était-ce donc que Duferrier? Un ambassadeur du roi de France, un haut fonctionnaire civil sans doute; mais il n'était pas Évêque. C'était un président aux enquêtes du parlement de Paris; par conséquent un personnage suspect par les opinions émises dès lors dans cette grand'chambre. Il était en outre d'orthodoxie fort douteuse. Ses liaisons avec Fra Paolo, sa profession publique du calvinisme dans ses dernières années, n'ont que trop justifié les soupçons qu'on avait conçus de sa foi. Et si alors ses premières allures, ses premiers discours avaient pu inspirer quelque confiance à plusieurs, tous ne s'y étaient pas laissé prendre. A la fin, il se démasqua si bien lui-même, surtout dans le fameux discours dont les paroles citées par Baluze sont extraites (si elles ne sont pas extraites plutôt de sa *protestation*, qui ne fut pas même lue dans le concile), que les doutes sur la pureté de sa croyance se fortifièrent de

plus en plus dans les esprits. Aussi *souleva-t-il dans l'assemblée*, dit Pallavicini (*Hist. du Concile de Trente*, t. III, col. 123, 489, 492, édit. Migne), *une indignation qu'on ne saurait exprimer. Il indiposa tout le monde et froissa même les Français. Par ses actes subséquents, il porta les Légats à se persuader que ses démarches antérieures, démarches pleines d'hypocrisie, avaient pour but de constituer le roi de France chef de l'Église gallicane, comme en Angleterre; de dépouiller les églises de leurs biens et le Saint-Siége de son autorité. Ils crurent voir en lui un agent attentif à faire naître des occasions de rupture, pour précipiter l'exécution de ses plans, qui tardait trop au gré de ses désirs.* Voilà l'homme dont Baluze aime à citer les paroles, comme faisant autorité! Qu'on apprenne par là le degré de confiance que mérite Baluze. Que ce fait de Duferrier, si amicalement cité par lui, fasse ouvrir les yeux sur l'usage qu'on peut faire de la distinction du siége et du siégeant. Il est probable que Feller eût été indigné de l'approbation donnée par Baluze aux insolentes paroles de Duferrier; que M. Henrion, qui a revu et corrigé Feller, et Perennès qui l'a copié, en eussent été révoltés. Comment se fait-il que ces critiques aient dit unanimement dans leurs biographies que *Baluze était généralement fort respectueux envers le Saint-Siége?* C'est le contraire qu'ils auraient dû dire. Mais ils ne le connaissaient pas. Les derniers copiaient Feller. Feller avait copié, non pas Ladvocat, qui ne dit rien de cela, mais le Dictionnaire historique *par une société* de jansénistes, se titrant *gens de lettres*. Ni les uns, ni les autres n'avaient lu ses notes, lesquelles, toutes les fois qu'il s'agit des Papes et de leurs prérogatives, ne sont faites que pour les insulter, les décrier et les rabaisser. »

Revera distinxit Duferrier sedentem Pium IV, a *sede*, immo a *summo Pontifice*. «Sedem Apostolicam, inquit, *summum Pontificem*, sanctam Romanam Ecclesiam, veneramur, reveremur, suspicimus, et maximis ad cœlum laudibus efferimus. Pii autem IV *imperium detrectamus*, *quæcumque sint ejus judicia et*

sententias rejicimus, respuimus et contemnimus. » Et hoc laudat Baluzius! En igitur quid sibi velint Gallicanæ distinctionis propugnatores : volunt nempe sibi fas esse dicere cuilibet Romano Pontifici : *Tuum imperium detrectamus, quaslibet tuas sententias et judicia rejicimus, respuimus et contemnimus;* neque ideo quidquam de reverentia Sedi Apostolicæ debita fraudamus; si quidem simul *sanctam Romanam ecclesiam reveremur, suspicimus et maximis laudibus efferimus.* Imo ad testandam hanc suam reverentiam libenter addent : *Adhæreat lingua faucibus meis, si unquam oblitus fuero tui!*

Igitur Gallicanis relinquamus unicam illam, quam sibi tam operose expiscarunt auctoritatem, calvinistam Duferrier.

§ 5. — Gallicanorum subtilitas, qua sedem inter et sedentem in dictis textibus distinguunt, falsa demonstratur ex pluribus locis theologicis.

I. *Falsa demonstratur ex traditione.* — Enimvero huic distinctioni obstare traditionem fatendum est, si plurimis documentis constet, Patres de *sedente* Romano Pontifice intellexisse, quod dixerunt de *sedis* potestate ac prærogativis jurisdictionalibus; nec aliunde contraria ipsorum mens ex ullo textu probari possit. Porro ita constare jam duabus superioribus paragraphis ostensum est. Ergo dictam subtilitatem excludit Patrum traditio.

II. *Falsa demonstratur ex communi doctorum catholicorum sententia.* — Auctor hujusce distinctionis Gerson, ut supra dictum est. Sed unanimiter ante ipsum, et communiter post ipsum, usque ad sæculum XVII, præfati textus, in quibus *Sedi* apostolicæ aliqua fidei doctrina potestatisve aliquid tribuitur, a Patribus et Doctoribus catholicis intellecti sunt de ipsomet Romano Pontifice. Quod nempe Doctores communiter, ante Ludovici XIV regnum, infallibilem in decernenda fide Romanum Pontificem docuerint et propugnaverint, constat ex documentis in sequenti sectione collectis. Aliunde autem non minus constat iisdem Doctoribus solitum fuisse, ad hanc

suam firmandam doctrinam, eos etiam textus allegare, qui *Sedi* Romanæ seu Apostolicæ dictam inerrantiæ prærogativam attribuunt. Unde sicut stat *communis* Doctorum sententia pro asserenda Romani Pontificis infallibilitate, ita et stat pro excludenda Gallicanorum sedem inter et sedentem distinctione.

III. *Falsa insuper ista distinctio demonstratur ex perpetua Romanorum Pontificum doctrina.* — Ipsi enim, ut sibi jus vindicent pronuntiandi circa fidem supremo judicio cui omnes subesse debeant, itemque universalem Ecclesiam supremo jure gubernandi, perpetuo allegant illos ipsos textus, qui ejusmodi prærogativam et potestatem tribuunt *Sedi* Apostolicæ, seu sedi Romanæ, seu cathedræ Petri. Constat ex plurimis documentis infra (sectione II) subjiciendis. Hæc autem Romanorum Pontificum doctrina perpetuo ab universali Ecclesia recepta est.

Igitur si fundata foret Gallicanorum distinctio, errassent Patres, errassent communiter Doctores catholici, errassent et Romani Pontifices; et quidem in re dogmatica quæ ipsammet Ecclesiæ constitutionem attingit; et ejusmodi error per multa sæcula universaliter in Ecclesia prævaluisset. Proinde falsa foret Christi promissio, *et portæ inferi non prævalebunt adversus eam.*

§ 6. — De Bossuetiani systematis novitate; et quam absonum sit, etiam grammaticaliter.

1° *Prorsus nova fuit Bossuetii subtilitas.* — Ante Bossuetium, duplici dumtaxat sensu absona illa sedem inter et sedentem distinctio propugnata fuerat a Gersone ac paucis ejus sequacibus. Nimirum ut sese expedirent a textibus quibus *Sedi* Romanæ infallibilitas vindicatur, dixerant in iis textibus per *sedem* intelligendam esse universalem Ecclesiam; vel si intelligi aliquando deberet particularis Ecclesia Romana, considerandam tunc Ecclesiam illam particularem quatenus collective seu synodice decernentem, id est per Papam simul et Cardi-

nalium seu Episcoporum metropolis Romæ suffraganeorum concilium. Bossuetius autem, videns in quamplurimis textibus per *Sedem* Apostolicam ipsosmet Romanos Pontifices apertissime intelligi, id confessus est. At simul dixit intelligendos tunc hos textus, non de unoquoque Romano Pontifice singulariter sumpto, sed de continua ipsorum *serie*. Igitur infallibilem concessit sedentium *seriem*, non *unumquemque sedentem*. Hoc tamen seriei privilegium non vocavit *infallibilitatem*, sed *indeficientiam*.

« Jam vero, ait Muzzarelli, quam nova sit hæc interpretatio de indeficientia Apostolicæ Sedis in fide, et distinctio ejus indeficientiæ ab infallibilitate, non eget demonstratione : nemo enim sive Patrum, sive Doctorum ante Bossuetium eam somniaverat ; ita ut neque Bossuetius ipse eam talibus testimoniis corroborare tentaverit. Officit igitur tali systemati ipsa novitas, quæ non solum præter traditionem inducitur, sed ipsi traditioni, si Patrum explicationes rite inspiciantur, apparet contraria. Quis enim eorum indeficientiam in fide datam Petro et ejus successoribus, versatilem, inconstantem, defecturam et non defecturam asseruit ? Quis in hoc privilegio moralem Pontificum successionem a physica distinxit ? Quis indeficientiam Apostolicæ Sedis in fide ab infallibilitate decretorum ejus de fide separavit ? » (Muzzarelli, in opusculo *Annotationes ad secundam partem relationis lectæ in conventu Gallicano anni* 1682 *per D. de Choiseul-Praslin Episcopum, et elucubratæ per D. Bossuet Episcopum*, n. XI.)

2° *Absonum est Bossuetii systema*. — Jam probata remanet hujus systematis falsitas ex documentis supra (paragrapho 3) citatis. Ibi nempe vidimus, in iis textibus in quibus sive inerrantiæ privilegium, sive aliquid aliud potestatis *Sedi* Romanæ tribuitur, id de ipsomet Romano Pontifice singulariter sumpto apertissime intelligi. Sed, ne nimium disceptatio excresceret, non potuimus unamquamque ex iis citationibus specialiter cum Bossuetiano systemate conferre, ac repugnantiam patefacere. Id tamen hic præstandum duximus, quoad unum sal-

tem ex præfatis documentis, ut lector, ex isto veluti specimine facile colligat, similiter ex cæteris textibus absonam probari posse Bossuetii subtilitatem. Sit in exemplum epistola sancti Bernardi ad Innocentium II (*Opera S. Bernardi*, tomo I, col. 1054, editionis Migne) :

« Oportet, ait sanctus Doctor, *ad vestrum* referri *Apostolatum* pericula quæque ac scandala emergentia in domo Dei, ea præsertim quæ de fide contingunt. Dignum namque arbitror ibi potissimum resarciri damna fidei *ubi non possit fides sentire defectum. Hæc quippe hujus prærogativa sedis.* Cui enim alteri aliquando dictum est : Ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua. Ergo quod sequitur a Petri successore exigitur : et tu aliquando conversus confirma fratres tuos. Id quidem modo necessarium. Tempus est ut vestrum agnoscatis, Pater amantissime, principatum, probetis zelum, ministerium honoretis. In eo plane Petri impletis vicem, cujus tenetis et sedem, si vestra admonitione corda in fide fluctuantia confirmatis, si *vestra auctoritate conteritis fidei corruptores.* »

Et sub finem ejusdem epistolæ ita subjungitur : « Cum non aliud esset quod agerem pro injuria fidei quam dolebam, operæ mihi pretium arbitror, si *illum* monui, cujus arma potentia a Deo ad destructionem in contrarium asserentium, ad destruendam omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei, et *in captivitatem redigendum omnem intellectum* in obsequium Christi. »

1° In hac epistola totus est sanctus Bernardus ut procuret condemnari ab Innocentio II Abelardi errores. 2° Recurrit autem, non ad Ecclesiam universalem, non ad Cardinales aut alios Ecclesiæ Romanæ clericos, non ad *seriem* Romanorum Pontificum, sed expresse ad ipsummet Innocentium II : dum enim dicit *ad vestrum Apostolatum*, idem est, ac si diceret *ad te;* sicut quando gallice quis Episcopum alloquens dicit, *Votre Grandeur a commandé*, idem est ac si ei diceret, *vous avez commandé.* Et quod ipsummet Innocentium II allo-

quatur et ad eum recurrat, patet iterum ex iis verbis : *Illum monui cujus*, etc. Quis *ille*, nisi ipsemet Papa cui scribit? 3° Postulat autem ab ipso judicium contra errores Abelardi; hoc patet ex tota Epistola. 4° Rationem autem cur recurrat ad Innocentium II pro istorum errorum condemnatione hanc exprimit : quia *ibi* potissimum resarcienda sunt damna fidei, *ubi non potest fides sentire defectum*. Hoc autem omnino probat sancto Bernardo certam prorsus fuisse Innocentii II infallibilitatem. Si enim fallibilem eum reputasset, insane prorsus dixisset, se ad ipsum recurrere ex ea ratione, quod *ibi* non possit fides sentire defectum. Nam per vocem *ibi*, vel intelligebat sanctus Bernardus ipsamet judicia Innocentii II, vel non. Si prius, ergo infallibilem eum reputabat in fidei definitionibus : si posterius, ergo insane hanc dedisset rationem. Perinde quippe est ac si dixisset Innocentio II : recurro ad te, qui fallibilis es, quia infallibilitas aliis competit. 5° Quod expresse ipsimet Innocentio II infallibilitatem tribuat sanctus Bernardus, patet ex eo quod ipsi tribuat potestatem *redigendi in captivitatem omnem intellectum in obsequium Christi*: Hoc enim dicit de *illo* ad quem scribit, id est de Innocentio. Jam vero potestas *redigendi in captivitatem intellectum omnem*, quid aliud est, quam potestas ita fidem definiendi, ut omnes *credere teneantur*? Nemo autem tenetur credere definitioni fallibili, ut patet.

6° Igitur luculentius excludi non poterat ridicula Bossuetii subtilitas, qua contendit Patrum textus, qui infallibilitatem *sedi* tribuunt, intelligendos esse, non de unoquoque Papa seorsim sumpto, sed dumtaxat de ipsorum continua *serie*. Si juxta Bossuetii systema Bernardus opinatus esset, numquid adeo fidenter ad Innocentium recurrisset? Num ab eo expectasset tam efficacem fidei confirmationem? Num existimasset *ipsius auctoritate* conteri posse corruptores fidei? Num ipsi tribuisset potestatem *intellectum omnem in captivitatem redigendi*? Sane si Bossuetius scribenti Bernardo astitisset, ei dicere debuisset : Ne fidas nimium, o Bernarde, judicio

Innocentii. Quis tibi revelavit non esse Innocentium unum ex eis Petri successoribus, qui deficiat in fide? Quis te securum facit, quod ipse Innocentius non sit futurus fidei corruptor? Ignoras-ne posse fidem in Apostolica Sede sentire defectum *in singulis successoribus Petri*, quamvis id contingere nequeat in eorum *serie* seu *morali successione?* Non tibi promittas ab Innocentio *peremptorium* de fide judicium. Attende universalis Ecclesiæ consensum; et ab Episcoporum communi sententia, non a solius Innocentii decreto, infallibilem expecta sententiam quæ fidei corruptores conterat. Hæc si quem asserentem audivisset Bernardus, procul dubio vel mente captum eum existimasset, vel statim aliam scripsisset epistolam ad denuntiandum eum Innocentio tanquam hæreticum. At nondum tunc quisquam Bossuetianam subtilitatem somniaverat. Sicut autem citato S. Bernardi textu, ita et sexcentis aliis absona probari posset Bossuetiana subtilitas. Quod tamen, brevitatis causa, omittimus.

3° *Etiam grammaticaliter absona est Bossuetii distinctio.* — Ita scilicet distinguit Bossuetius sedem inter et sedentem, ut per *sedem* intelligenda sit aliqua *series* sedentium, non autem unusquisque sedens singulariter sumptus. Porro interpretatio hæc grammaticaliter ridicula est. Equidem ubique usu obtinuit metaphora, qua *throni*, *sedis*, *cathedræ ac tribunalis* vocabula usurpentur loco vocabulorum *rex*, *Episcopus*, *judex*. Sic dicitur jura *throni* seu *coronæ Galliæ*, id est, jura regis Galliæ. Item, jurisdictio *sedis Parisiensis*, id est, Parisiensis Archiepiscopi. Item, jurisdictio *tribunalis primæ instantiæ*, id est, magistratuum qui judicant in prima instantia. In iis scilicet locutionibus ponitur materialis sedes, pro ipsamet potestate ejusmodi personarum, eo quod istæ personæ in suis solemnioribus actis potestatem suam exercere soleant sedendo in certis atque ad id comparatis materialibus sedibus. Unde scriptores ideo dumtaxat hac metaphora utuntur, ut stylum varient atque exornent. Cæterum per formulam *les droits du trône*, nihil aliud intelligunt quam jura illius qui thronum

occupat. Et similiter per formulam *les droits du siége de Lyon*, nihil aliud intelligunt quam jura Lugdunensium Præsulum, id est, quæ competunt unicuique Lugdunensi Antistiti, ex hoc ipso quod Lugdunensem Episcopatum obtineat.

At vero quod in iis locutionibus per *sedem* intelligenda sit aliqua *sedentium series*, non autem unusquisque sedens, non tantum est quid inauditum et in nulla lingua receptum, sed insuper ridiculum. Nam ridicula est metaphora quoties sensus a loquente intentus nequit ab audiente intelligi. Verbi gratia, si quis vellet dicere sylvam aliquam combustam fuisse, atque id exprimeret hac formula, *tota sedes combusta est*, absone loqueretur; quia nequit audiens suspicari per *sedem* ibi intelligi sylvam. Porro Bossuetiana subtilitas hoc ipsissimo vitio laborat. Nam ubi agitur de *Sedis Romanæ* vel *sedis Lugdunensis* juribus et prærogativis, nemini potest in mentem venire sermonem esse de juribus et prærogativis *seriei sedentium* dumtaxat, non autem uniuscujusque sedentis. Immo contrarium omnes intelligent, ob naturalem metaphoram et receptum usum tribuendi throno vel cathedræ jura illa quæ thronum vel cathedram occupantibus competunt. Sane si Ludovicus XIV a Bossuetio postulasset, num *throno Galliæ* competat jus regendi rem temporalem independenter a Papa, et Bossuetius respondisset affirmative, intellexisset rex sibi singulariter sumpto jus istud competere. Quod si Bossuetius subjunxisset : Dixi jus istud competere *throno*, *non tibi;* id est, competit continuæ regum *seriei* seu ipsorum *morali successioni*, at non competit ulli regi Galliæ singulariter sumpto; has, inquam, nænias si Ludovico XIV obtrudisset Bossuetius, quid de ipso rex ille cogitasset? Procul dubio mente captum Bossuetium reputasset. Sed et ipse Bossuetius, quando de *sedis* suæ juribus loquebatur, numquid somniabat, jura hæc toti dumtaxat Meldensium Episcoporum *seriei* competere, non autem unicuique Meldensi Præsuli, non sibi?

Aliquam saltem rationis larvam præ se ferebat Gersonis distinctio, qua per *Sedem Romanam* in objectis sibi textibus

intelligendam effutiebat universalem Ecclesiam, vel particularem quidem Romanorum Ecclesiam, sed synodice consideratam, non autem solum Romanum Pontificem. Nam revera quandoque *Romanæ Ecclesiæ* vocabulo designata reperitur ipsamet universalis Ecclesia catholica, qui exceptionalis sensus tunc ex contextu liquet. Et pariter verum est olim consuevisse Romanos Pontifices fidei quæstiones definire cum suo Romano concilio. Unde, inanibus quidem, non tamen ridiculis rationibus Gersoniana distinctio fulciebatur. Ast Bossuetiana subtilitas nihil aliud est quam excogitatio metaphoræ per se et in terminis ridiculæ.

§ 7. — Concluditur Patrum et doctorum textus qui *sedi Romanæ seu Apostolicæ* infallibilitatem vindicant, merito adduci ad probandam Pontificis infallibilitatem.

Nam, ex præcedentibus paragraphis, certum est ejusmodi textus qui *Sedi* Romanæ seu Apostolicæ infallibilitatem aliasve prærogativas aut jura tribuunt, intelligendos esse de ipsomet Romano Pontifice. Igitur ad probandam Romani Pontificis infallibilitatem, tam adduci possunt et vim habent ii textus, ac cæteri qui absque illa *sedis* metaphora expresse agunt de Romano Pontifice. Hinc in decursu operis, ejusmodi auctoritatibus jure utemur, nihil attendendo ad Gallicanorum, sedem inter et sedentem distinguentium, objectionem; cum jam illud eorum effugium præcluserimus.

SECTIO II

EXPENDITUR QUÆSTIO HISTORICE

Cum immensa documentorum et ineluctabilium auctoritatum mole nitatur, ac luce meridiana clarius splendeat catholica de Romani Pontificis infallibilitate doctrina, qui fieri potuit ut oppositi erroris caligo gallicanum clerum, non priscum quidem, sed modernum, id est, post annum 1700, magna ex parte invaserit? Etsi non unica, præcipua tamen causa fuisse videtur illa tradendæ in seminariis theologiæ methodus, qua pios ac optimos cæteroquin discipulos diligenter cælando quid Romani Pontifices, quid concilia, quid Patres, quid præcipui totius orbis auctores catholici de hac infallibilitatis prærogativa edoceant, eis præ manibus poni solitum sit cui soli studeant, compendium erroribus refertum, verbi gratia, *Theologia Bailly*. Ceterum, si exposita ipsis documenta fuissent, unanimiter in Gallia, prout alibi, crassissimum de Papa in definiendo fallibili errorem clerus respuisset.

Quapropter ante omnia *historice* quæstio expendenda visa est; nec obiter, sed longiori mora; id est, ita extruendo (ex immensa quæ extat copia) documentorum molem, ut quisquis legere voluerit plane compertam veritatem habere possit.

CAPUT I

PER QUATUOR PRIORA SÆCULA CONSTANTER VIGUIT IN ECCLESIA CATHOLICA PERSUASIO DE ROMANI PONTIFICIS IN DECERNENDA FIDE INFALLIBILITATE.

Propositio I^a^. — *Sæculo primo pro certa habitam fuisse Romani Pontificis in decernenda fide infallibilitatem, recte colligitur ex evangelicis textibus, et ex proxime subsecutorum sæculorum testimoniis.* — Ad nos quidem non pervenerunt e primo sæculo alia præter evangelicos textus documenta, quæ persuasionem de Romani Pontificis infallibilitate expresse testentur. Sed concludenda est persuasio hæc e verbis Christi ad Sanctum Petrum, *tu es Petrus et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam et portæ inferi non prævalebunt adversus eam : pasce agnos, pasce oves : confirma fratres tuos : tibi dabo claves regni cœlorum : quæcumque...* Nam, prout infra (sectione tertia, capite II) ostenditur, non potuit Petrus constitui Ecclesiæ fundamentum, nec supremus ejusdem Ecclesiæ pastor, nec fratrum confirmator, nec cœli claviger cum potestate quodcumque solvendi et ligandi super terram, nisi simul infallibilitatis in definienda fide prærogativam receperit. Atque ibidem probatur iisdem verbis tribui a Christo eas prærogativas, non quatenus cum Petri persona finituras, sed quatenus ad ejus successores transituras. Quod autem jam a primo sæculo verba hæc ita fideles intellexerint, colligitur ex eo quod certum sit ita intellecta fuisse secutis proxime sæculis. Non enim supponi potest aliam fuisse fidem apostolorum tempore, et aliam secundo, tertio ac sequentibus sæculis. Valet nempe hoc ratiocinium : persuasionem de Romani Pontificis infallibilitate plurima testantur proxime secutorum sæculorum documenta ; ergo exstitit etiam persuasio hæc primo Ecclesiæ sæculo.

Propositio II^a^. — *Sæculo secundo pro certa habitam fuisse*

Romani Pontificis in definienda fide infallibilitatem constat ex sancto Irenæo. — Natus Irenæus in Oriente sub finem primi sæculi initiumve secundi, in Gallias missus est anno 157 factusque Lugdunensis Episcopus, martyr occubuit anno 202. Proinde doctrinam quam tradit acceperat a viris apostolorum coætaneis. Libros scripsit contra hæreses; ubi libro tertio, capite III (pagina 175 edit. Massuet, 1710) sic habet :

« Quoniam valde longum est... omnium Ecclesiarum enu-
« merare successiones, maximæ et antiquissimæ et omnibus
« cognitæ, a gloriosissimis duobus apostolis Petro et Paulo
« Romæ fundatæ et constitutæ Ecclesiæ, eam quam habet ab
« Apostolis traditionem et annuntiatam hominibus fidem (per
« successiones Episcoporum pervenientem usque ad nos) indi-
« cantes, confundimus omnes eos qui quoquomodo... præter
« quam oportet colligunt. Ad hanc enim Ecclesiam, propter
« potiorem principalitatem, necesse est omnem convenire Ec-
« clesiam, hoc est eos qui sunt undique fideles; in qua sem-
« per ab his qui sunt undique conservata est quæ est ab
« Apostolis traditio. »

Atque ibidem, postquam enumeravit Romanos Pontifices qui sancto Petro in Sede Romana usque ad Eleutherium successerant, ita pergit Irenæus :

« Hac ordinatione et successione, ea quæ est ab Apostolis
« in Ecclesia traditio et veritatis præconatio, pervenit usque
« ad nos. Et est plenissima hæc ostensio unam et eamdem
« vivificatricem fidem esse quæ in Ecclesia ab Apostolis usque
« nunc sit conservata et tradita in veritate. »

1° Sensus obvius horum verborum, *ad hanc enim Ecclesiam necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est eos qui sunt undique fideles*, hic est : Tenentur cæteræ omnes Ecclesiæ seu fideles quilibet *convenire* cum Romana Ecclesia, *quoad fidem*, cum ibi agatur de dignoscendis et confundendis hæreticis. Ergo pro certa omnino habuit Irenæus obligationem cuilibet fideli incumbentem profitendi et tenendi illam ipsam fidem quam docet Romana Ecclesia. Sed persuasionem illam

non habuisset si putasset Ecclesiam Romanam in definienda fide errare posse : absonum siquidem est obligari fideles totius mundi ad credendum doctrinæ quæ erronea esse possit. Ergo certam omnino habuit Irenæus Ecclesiæ Romanæ in docenda fide inerrantiam seu infallibilitatem.

2° Quod is sit genuinus citatorum Irenæi verborum sensus, confirmat contextus, seu ratiocinium a sancto martyre hoc loco institutum. Ad dignoscendos nempe et confundendos hæreticos, dicit satis esse si conferatur eorum doctrina cum traditione *in toto mundo manifestata*, ab Apostolis, et quæ asservatur in Ecclesiis quas instituerunt Apostoli. Ut autem dignoscatur traditio illa Ecclesiarum ab Apostolis institutarum, dicit recensendam esse doctrinam quam successive tradiderunt *qui ab apostolis instituti sunt Episcopi in Ecclesiis et successores eorum usque ad nos;* et, si inveniatur eos *nihil tale docuisse neque cognovisse quale ab his* (hæreticis) *deliratur*, ex hoc ipso erroris convictos remanere novatores. Addit postea Irenæus necessarium non esse hanc recensionem peragere quoad omnes Ecclesias ab Apostolis institutas, sed satis esse si fiat quoad præcipuam, id est, quoad Ecclesiam Romanam. Et quia generalis hæc recensio omnium apostolicarum Ecclesiarum nimis longa fuisset, dicit se illam omittere, et recurrere dumtaxat ad traditionem in Ecclesia Romana conservatam, seu ad doctrinam quam tradiderunt Episcopi qui post sanctum Petrum eam sedem tenuere : *Sed quoniam*, inquit, *valde longum est in hoc tali volumine omnium Ecclesiarum enumerare successiones, maximæ et antiquissimæ et omnibus cognitæ, a gloriosissimis duobus apostolis Romæ fundatæ et constitutæ*, etc., ut supra. Et tandem rationem dat cur sufficiat, ad convincendos hæreticos, traditionem et fidem Romanæ Ecclesiæ allegare : quia nempe cæteræ omnes tenentur eidem fidei adhærere quam docet Ecclesia Romana, ita ut allegare Romanæ Ecclesiæ doctrinam, sit simul allegare doctrinam aliarum, cum eadem esse debeat si sint catholicæ, et teneantur omnes concordare in fide cum Romana Ecclesia, ob ipsius

primatum : *Ad hanc enim Ecclesiam, propter potentiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est eos qui sunt undique fideles, in qua semper ab his qui sunt undique conservata est ea quæ est ab apostolis traditio.* Et notentur ultima hæc verba IN QUA *semper*, etc. Dum nempe asserit cæteras Ecclesias, quæ veram apostolorum traditionem conservarunt, eam conservasse *in Ecclesia Romana*, idem est sane ac si dixisset : Ideo conservata apud ipsas est vera apostolorum traditio, quia traditionem Romanæ Ecclesiæ fideliter secutæ sunt, nec ab ea deviarunt.

3° Adeo certus et apertus est citatorum Irenæi verborum expositus sensus, ut eum ita intelligendum esse confessi sint viri etiam hæretici et schismatici, necnon ex eis qui infallibilem Romanum Pontificem negant. Citat Ballerinius Nectarium Hierosolymorum Patriarcham schismaticum (*De vi ac ratione primatus*, cap. XIII, § 1). Inter protestantes, ita textum exposuit Salmasius : « Necesse est, dicit, omnem Ecclesiam con-« vēnire ad Romanam, id est, ut græce locutus fuerat « Irenæus, συμβαίνειν πρὸς τὴν τῶν Ῥωμαίων ἐκκλησίαν ; quod « significat convenire et concordare in rebus fidei et doctrina « cum Romana Ecclesia » (apud Ballerinium, *De vi ac ratione primatus*, cap. XIII, § 1). Et idem Salmasius adnotavit, ab interprete græcizante dictum esse, *ad hanc convenire Ecclesiam* pro *cum hac convenire Ecclesia*. Ab allegandis aliis abstinemus, et ad citatum Ballerinii locum remittimus.

Ergo jam secundo sæculo dogma certum apud catholicos erat Sedis Apostolicæ in definienda fide infallibilitas. Idem enim est dicere, *datur obligatio credendi quod docet Romana Ecclesia*, ac dicere, *infallibilis est in docenda fide Romana Ecclesia*. Absurdum enim est teneri quemquam ad credendam ac tenendam erroneam doctrinam.

PROPOSITIO II.ª — *Sæculo tertio pro certa habitam fuisse Romani Pontificis in definienda fide infallibilitatem, constat ex sancto Cypriano.* — Cyprianus, factus Carthaginiensis Episcopus anno 248, obiit martyr, amputato capite, anno 258.

1° In sua epistola LV, ad Cornelium Papam, loquens de nonnullis schismaticis qui Romam perrexerant, ad decipiendum Summum Pontificem, ita eos coarguit : *Navigare audent, et ad Petri cathedram atque ad Ecclesiam principalem, unde unitas sacerdotalis orta est, a schismaticis et profanis litteras ferre; nec cogitare eos esse Romanos quorum fides apostolo prædicante laudata est, ad quos perfidia habere non possit accessum.* Verba perspicua sunt : si perfidia, id est, error in fide, non possit accessum habere ad Romanos, nimirum ad *Petri cathedram* et *Ecclesiam principalem*, profecto cathedra hæc Petri et Ecclesia illa principalis prorsus in fide infallibilis censenda est.

2° Eamdem sancti Cypriani doctrinam manifestam facit alter ipsius textus, quem genuinum non esse immerito nonnulli contenderunt. Nimirum sic occurrit in libro *De unitate Ecclesiæ* (pag. 154 editionis Pamelii) : *Qui cathedram Petri, supra quem fundata est Ecclesia, deserit, in Ecclesia esse confidit?* Si genuinus sit textus, probat omnimodam Cypriani de Sedis Apostolicæ infallibilitate persuasionem. Nam si extra Ecclesiam seipsum pellit qui Petri cathedram deserit, sequitur nulli unquam fas esse Romanam Ecclesiam deserere. Eam autem desereret qui ab ipsius fide recederet. Ergo Romanæ Ecclesiæ fidei adhærere quisque tenetur. Sed obligatio hæc absona foret, si erronea esse posset illius Ecclesiæ fides; ergo fides Ecclesiæ Romanæ erronea esse nequit, seu infallibilis est. Ita, inquam, concludendum, si textus genuinus sit. Porro genuinus est. « Ea verba, inquit Ballerinius (*De vi ac ratione « primatus*, capite XIII, § 3, n. 1), uti Cyprianica satis vindi- « cantur ex Pelagii II epistola II ad Episcopos Istriæ, et a non- « nullis etiam codicibus antiquis, ex quibus ea præferuntur « in editionibus Manutii, atque Pamelii, retinenturque in aliis « Gallicanis, etiam Rigaltii, excepta Baluziana. Certe hunc lo- « cum veluti genuinum sancti Cypriani laudavit clerus Galli- « canus coactus Parisiis anno 1682, in litteris ad Archiepis- « copos et Episcopos scribens : Fidenter cum beato Cypriano

« pronuntiamus, eum qui cathedram Petri, super quam fun-
« data est Ecclesia, deserit, in Ecclesia non esse. »

3° In epistola XLV ad Cornelium Papam, narrat Cyprianus quid peregerit ut rumorum contra canonicam Cornelii electionem sparsorum falsitas Africanis Episcopis plane nota fieret; et quomodo, comperta ejusdem electionis legitimitate, collegas suos hortatus sit ut per litteras Cornelium et ejus communionem, id est, Catholicæ Ecclesiæ unitatem tenerent. En ejus verba : « Placuit ut per Episcopos, retenta a nobis
« rei veritate, et ad comprobandam ordinationem tuam facta
« auctoritate majore, tum demum scrupulo omni de singulo-
« rum pectoribus excusso, per omnes omnino istic positos
« litteræ fierent (sicut fiunt), ut *te universi collegæ nostri et*
« *communicationem tuam, id est, Catholicæ Ecclesiæ unitatem*
« pariter et charitatem probarent firmiter ac tenerent » (in editione Pamelii, pag. 85). Ergo ad sensum Cypriani, adhærere Romano Pontifici et ejus communioni, idem est ac adhærere unitati Ecclesiæ Catholicæ. Proinde tenetur quisque, ne sit extra unitatem Ecclesiæ Catholicæ, firmiter adhærere Romano Pontifici et ejus communioni; ac proinde profiteri fidem quam credendam docet Romanus Pontifex. Sed hæc obligatio absona foret, si Romanus Pontifex in decernenda fide errare posset. Ergo certum supponit Cyprianus Romanum Pontificem esse in determinanda fide infallibilem.

4° In eadem hac epistola XLV, Romanam Ecclesiam vocat Ecclesiæ Catholicæ radicem et matricem : *Scimus nos hortatos esse ut Ecclesiæ catholicæ radicem et matricem agnoscerent ac tenerent*. Probat contextus id ab ipso dici de Ecclesia Romana. Jam vero nequit Ecclesia Romana dici totius Ecclesiæ Catholicæ *radix*, nisi quatenus ab ipsa trahunt et jugiter accipiunt cæteræ omnes Ecclesiæ succum veræ fidei, sine qua non essent veræ Ecclesiæ Catholicæ membra. Item dici nequit totius Ecclesiæ Catholicæ *matrix*, nisi quatenus cæteræ ab ipsa et per ipsam recipiant nutritionem et substantiam veræ fidei per quam sint Ecclesiæ Catholicæ membra; sicut parvuli in utero

existentes, ex substantia et per substantiam matris, quæ eis communicatur, aluntur et vivunt. Ergo Ecclesia Romana nequit esse radix et matrix Ecclesiæ Catholicæ, nisi toti Ecclesiæ Catholicæ jugiter infundendo veram fidem; ergo nunquam in docenda fide errare potest, seu infallibilis est.

5° Idem colligitur e pluribus aliis sancti Cypriani textibus simul collatis. Jam citavimus ex epistola LV ad Cornelium Papam verba hæc : *Ad Petri cathedram atque ad Ecclesiam principalem, unde unitas sacerdotalis exorta est.* In epistola LXX : *Una est Ecclesia a Christo Domino super Petrum origine unitatis et ratione fundata.* Et in epistola LXXIII[1] : *Petrus, super quem Dominus ædificavit Ecclesiam, et unde unitatis originem instituit.* Et in libro *De unitate Ecclesiæ* (pag. 254 edit. Pamelii) : *Unitatis originem ab uno* (intellige *a Petro* de quo loquitur contextus) *incipientem sua auctoritate disposuit.* Et in eodem libro (citata pagina) : *Quamvis Apostolis post resurrectionem suam parem potestatem tribuat... tamen ut unitatem manifestaret, unitatis ejusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit. Hoc erant utique et cæteri Apostoli quod fuit Petrus, pari consortio prædîti et honoris et potestatis; sed exordium ab unitate proficiscitur, ut Ecclesia Christi una monstretur.* Et in epistola XLV ad Cornelium Papam, Romanam Ecclesiam vocat *Catholicæ Ecclesiæ radicem et matricem.* Et in eadem epistola XLV dicit se sollicitum fuisse ut *te conlegæ nostri et communionem tuam, id est Catholicæ Ecclesiæ unitatem pariter et charitatem probarent firmiter ac tenerent.* Et in epistola LVII ad Cornelium Papam : *Neque enim aliunde hæreses obortæ sunt aut nata sunt schismata, quam inde, quod Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Ecclesia ad tempus sacerdos et ad tempus judex vice Christi cogitatur.* Ex iis et nonnullis aliis textibus simul collatis, hæc colligenda venit S. Cypriani doctrina :

Primo. Existit relatio aliqua inter Romanam Ecclesiam et

(1) Non esse Cypriani hanc Epistolam, sed a Donatistis confictam probamus infra (sectione V). Citari tamen potuit, utpote vel Donatistarum persuasionem exprimens.

unitatem totius Ecclesiæ Catholicæ. Id ex citatis textibus aperte patet, et nemo est qui neget aut in dubium revocet. Sed quænam est relatio illa? Estne dumtaxat relatio signi ad rem significatam, ita ut Ecclesia Romana instituta quidem sit ob unitatem totius Ecclesiæ, sed ob unitatem significandam solummodo, non autem producendam? Estne potius relatio causæ ad effectum, ita ut Ecclesiæ Catholicæ unitas ab Ecclesia Romana dependeat et per eamdem producatur et conservetur?

Secundo. Juxta Cypriani doctrinam, Ecclesia Romana est causa seu medium efficax unitatis totius Ecclesiæ Catholicæ, et non merum dumtaxat illius unitatis signum aut symbolum. Nam de illa *cathedra Petri* seu *Ecclesia principali* dicit expresse Cyprianus : *Unde unitas sacerdotalis exorta est.* Et in aliis textibus variis modis exprimit illam Romanam Ecclesiam esse *originem* unitatis totius Ecclesiæ Christi. Porro merum signum seu symbolum non est *origo* rei significatæ. Nisi unitas totius Ecclesiæ vere *producatur* per Romanam Ecclesiam, dici nequit unitatem illam oriri e cathedra Petri, ex Ecclesia principali. Insuper Ecclesiam Romanam vocat Cyprianus *radicem* et *matricem* unitatis Catholicæ Ecclesiæ; sed voces illæ exprimunt relationem causæ ad effectum.

Præterea asserit Cyprianus, Romanum Pontificem et ejus communionem esse ipsammet Catholicæ Ecclesiæ unitatem : *te et communionem tuam, id est, Catholicæ Ecclesiæ unitatem.* Non sane poterat fortius exprimi, totius Ecclesiæ unitatem consistere in communione seu in unitate servata cum Romano Pontifice; ac proinde Sedem Apostolicam esse medium *per quod* omnes Particulares Ecclesiæ in unitatem coeunt. Cum nempe singulæ unitatem habeant cum Romano Pontifice, habent et inter se. — Objicies, dici a Cypriano, *ut unitatem manifestaret, ut Ecclesia Christi una monstretur :* proinde relationem Ecclesiæ Romanæ cum unitate totius Ecclesiæ, esse relationem signi ad rem significatam. — Respondeo, duo a Cypriano poni : produci unitatem totius Ecclesiæ per Eccle-

siam Romanam, id est, per conformitatem cum ipsa; et sic productam *manifestam* fieri. Unde quod Christus voluerit unitatem totius Ecclesiæ *manifestari per Ecclesiam Romanam*, non excludit quod etiam voluerit unitatem illam *produci per Ecclesiam Romanam*, id est per conformitatem fidei et per communionem cum illa Ecclesia.

Tertio. Unitas Ecclesiæ Catholicæ quam docet Cyprianus produci per Romanam Ecclesiam, intelligenda est, non tantum *unitas communionis* per quam excluduntur schismata, sed etiam et præcipue *unitas fidei*, per quam excluduntur hæreses. Qui enim loquitur generaliter et sine distinctione de *unitate Ecclesiæ catholicæ*, loqui censendus est de unitate totali seu completa, ac proinde potissimum de unitate fidei, quæ præcipua est.

Quarto, est ergo doctrina sancti Cypriani non posse quemquam esse in unitate Ecclesiæ catholicæ, nisi unitatem fidei servet cum Ecclesia Romana. Proinde ipsius doctrina est teneri quemque ad profitendam fidem quam docet Ecclesia Romana. Sed obligatio hæc absona foret si Ecclesia Romana errorem doceret : ergo Cypriani doctrina est, non posse errorem ab Ecclesia Romana doceri, seu illam Ecclesiam esse in decernenda fide infallibilem.

Objicies. — Restitit Cyprianus cum multis aliis Episcopis, Stephano Papæ docenti non rebaptizandos esse hæreticos. Ergo tunc temporis non agnoscebatur Romani Pontificis infallibilitas. — Hanc objectionem solvimus infra (sectione V) probando totam celebris hujusce conflictus historiam esse ad fabulas amandandam; et documenta quibus nititur a Donatistis fuisse conficta.

Quia tamen contrarium hucusque communius tenuerunt eruditi, objectionis solutionem ibidem subjungimus, etiam in hypothesi quod revera contigisset dictus conflictus.

Propositio IV^a^. — *Sæculo* III *pro certa habitam fuisse Romani Pontificis in decernenda fide infallibilitatem, constat ex quodam udicio Aureliani, imperatoris ethnici.* — Imperante Aureliano,

duo de Episcopatu Antiochiæ contendebant : Paulus Samosatenus, qui ob hæresim in synodo depositus fuerat, et Domnus, qui eidem Paulo subrogatus fuerat. Paulus, etsi depositus synodali sententia, nolebat sacras ædes Domno cedere. Ut eum ad id cogerent catholici Episcopi, recurrerunt ad imperatorem Aurelianum, qui tunc Antiochiæ aderat. Is autem, cui apprime notum erat fundamentale apud christianos dogma, neminem esse de vero ac legitimo christianorum corpore, nisi concordaret cum Romano Antistite, jussit illi e duobus ædes attribui, *cui Itálici christiani sacerdotes et Romanus Pontifex scriberent* (Eusebius, *Historiæ* libro VII, c. xxx). Nimirum ethnicus ille imperator, ad dignoscendum quisnam e duobus contendentibus legitimus esset Episcopus, non habuit pro norma judicium Alexandrini Patriarchæ aut 70 Episcoporum qui Paulum Samosatenum deposuerant ; sed *communionem* cum Romano Pontifice. Quid ita? Quia, ut ait Bossuetius (*Discours sur l'hist. univ.*), christianorum corpus *in hac* Romani Pontificis *communione semper contineri viderat.* « Tam « erat notorium (ait Fleury, *Hist.* tomo II, l. VIII, c. VIII), etiam « paganis, veræ christianæ religionis notam esse communio- « nem cum Ecclesia Romana. » Jam vero hæc adeo cunctis infixa persuasio existere non potuit sine persuasione de Romani Pontificis in sancienda fide inerrantia. Si enim existimassent christiani posse Romanos Pontifices in errorem et hæresim impingere, nequaquam se obstrictos reputassent ad servandam cum ipsis communionem, cum ista communio potissimum in ejusdem fidei professione consisteret.

Propositio V^a^. — *Sæculo quarto viguisse de Romani Pontificis infallibilitate persuasionem, testatur trigesimus nonus Canonum Nicænorum, ex arabico in latinum sermonem translatorum.* — A Nicæna œcumenica synodo anni 325 editos revera fuisse, non tantum 20 canones qui græce extant, sed et istos qui Arabico idiomate ad nos pervenerunt, vide probatum apud Mansi (tomo II Conciliorum, col. 947, edit. Florentiæ, 1759). Ex his autem trigesimus nonus sic habet : « Qui tenet Sedem Romæ,

caput et princeps est omnium Patriarcharum. Quandoquidem ipse est primus sicut Petrus, cui data est potestas in omnes Principes christianos et omnes populos eorum : ut qui sit Vicarius Christi Domini nostri super cunctos populos et universam Ecclesiam christianam. Et quicumque illi contradixerit a synodo excommunicatur » (apud Concilia Mansi, loco citado, col. 965). Igitur a Nicæna synodo excommunicandus decernitur *quicumque contradixerit* Romano Pontifici. Quod sane non sanxisset œcumenica illa synodus, si contingere posset ut Romanus Pontifex erroneam hæreticalemve doctrinam edicat ac tenendam præcipiat. Dato quippe casu talis definitionis erroneæ, non excommunicandus, sed laudandus foret, qui contradiceret. Casum ergo istum nequaquam dari posse, pro certo habuit Nicæna synodus; quod idem est ac plane ab ipsa creditam fuisse Romani Pontificis in docenda fide infallibilitatem. Merito igitur dictorum canonum latinus interpres, loco citato sic adnotat : « Quo testimonio nullum luculentius neque gravius a synodo Nicæna dari potuit. » Nimirum et primatus jurisdictionis et inerrantiæ prærogativa ex hoc textu apertissime colligitur. De istis canonibus arabicis confer quæ diximus supra, parte I, sectione III, capite primo.

Propositio VI^a^. — *Sæculo* IV *pro certa habitam fuisse Romani Pontificis in decernenda fide infallibilitatem constat ex sancto Paciano.*—Obiit Pacianus, Barcinonensis Episcopus, anno 390. Sic habet, epistola III : *Ipso referente Matthæo paulo superius ad Petrum locutus est Dominus; ad unum ideo, ut unitatem formaret ex uno, mox idipsum in commune præcipiens.* Alludit ad locum Matthæi in quo Dominus Petro confert ligandi et solvendi potestatem, et ad locum Joannis (cap. XX) ubi eadem potestas apostolis in communi confertur. Hæc ergo Paciani doctrina : Dominus unum elegit et præposuit Petrum, non ut *significaret* tantum Ecclesiæ suæ unitatem, sed ut illam *formaret* seu produceret. Ut autem formetur hæc unitas *ex uno*, necessarium est ut privilegium Petri ad ipsius successores

transierit, et ut omnes totius mundi christiani teneantur concordare in fide cum Petro et ejus successoribus. Sed obligatio hæc absona foret si Petri successores in decernenda fide errare possent. Ergo supponit et existimat Pacianus infallibiles quoad edocendam veram fidem esse Romanos Pontifices. Si Romanus Pontifex in fide errare possit, falsum est unitatem a Christo *formatam fuisse ex uno.*

Propositio VII^a. — *Sæculo* IV *pro certa habitam fuisse Romani Pontificis in decernenda fide infallibilitatem, constat ex sancto Optato Milevitano.* — Obiit Optatus anno 384. Libro II, capite II contra Parmenianum, ex hæresi Donatistarum episcopum, sic habet : *Negare non potes, scire te in urbe Roma Petro primo cathedram episcopalem esse collatam, in qua sederit omnium apostolorum caput Petrus, unde et Cephas appellatus est; in qua una cathedra unitas ab omnibus servaretur, ne cæteri apostoli singulas sibi quisque defenderent; ut jam schismaticus et peccator esset, qui contra singularem cathedram alteram collocaret. Ergo cathedram unicam, quæ est prima de dotibus* (Ecclesiæ), *sedit prior Petrus, cui successit Linus, Lino successit Clemens...* (enumerationem hanc ducit Optatus usque ad Siricium), *qui noster est socius, cum quo nobiscum totus orbis commercio formatarum in una communionis societate concordat.*

Attendenda varia hujusce doctrinæ capita : 1° extat Romæ *Episcopalis* cathedra; 2° hæc cathedra est *unica* et *singularis* relative ad unitatem ab omnibus servandam; 3° per hanc cathedram non intelligit sedem materialem, sed auctoritatem Romani Pontificis; siquidem ut probet Donatistis catholici orbis ecclesias esse in communione cum illa unica et singulari cathedra, dicit eas concordare in una communionis societate *cum Siricio Papa;* 4° schismaticus et peccator est, qui contra Romanam cathedram alteram collocat, seu qui non concordat in una communionis societate cum Romano Pontifice; 5° necessitas sic concordandi cum Romano Pontifice, involvit et quidem præcipue et ante omnia, ut per se patet, necessitatem concordandi cum eo *quoad fidem;* 6° extat proinde rigorosa

quoad omnes obligatio eam fidem tenendi, quam tenet et docet Romanus Pontifex; 7° repugnaret hæc obligatio si Romanus Pontifex posset errorem in fide docere; 8° infallibilem ergo in edocenda fide Romanum Pontificem supponit Optatus, idque tanquam omnino certum habet.

Insuper idem Optatus dicit libro VII, capite III : *Bono unitatis beatum Petrum... præferri apostolis omnibus meruisse.* Et libro II, capite VI : *Cathedra, quam probavimus per Petrum, nostra est.* Id est, ut interpretatur Albaspineus, « per commu-« nionem quam habemus cum summo Pontifice. » Et, libro VII, capite III, dicit a Christo datas claves *soli Petro, ut unitatis negotium formaretur.* Quæ loca magis ac magis confirmant Optati doctrinam revera eam fuisse quam ei tribuimus.

Propositio VIII^a^. — *Ex modo agendi veterum hæreticorum constat pro certa habitam fuisse Romani Pontificis in edocenda fide infallibilitatem.* — « Frequens schismaticorum et hæreti-« corum veterum mos fuit, nunc Romanum Pontificem secum « communicantem secumque sentientem jactare, nunc ejus « communionem approbationemque suorum dogmatum do-« lose procurare, nunc creare aut Romam mittere aliquem « qui se tanquam Romanum Pontificem gereret, ut ipsi exinde « viderentur catholici et catholica haberetur eorum doc-« trina » (Ballerinius, *de Vi ac Ratione primatus*, capite XIII, § 4, n. 22). Quod is revera fuerit mos veterum schismaticorum et hæreticorum, multis documentis probari posset. Pauca quædam indigitabimus. Factio schismatica quæ pseudoepiscopum Fortunatum in Africa sequebatur, Romam misit quosdam e suis, inter quos Felicissimum, ut Romanum Pontificem deciperent et in suas partes traherent. De quibus ita Cyprianus : *Navigare audent, et ad Petri cathedram atque ad Ecclesiam principalem, unde unitas sacerdotalis orta est, a schismaticis et profanis litteras ferre; nec cogitare eos esse Romanos quorum fides apostolo prædicante laudata est, ad quos perfidia habere non possit accessum* (epistola LV ad Cornelium Papam). Optatus Milevitanus hanc objectionem Donatistarum memorat

et confutat : *Sed et habere vos in urbe Roma partem aliquam dicitis* (libro II contra Parmenianum, capite IV). Ad quem Optati locum sic adnotat Albaspineus nota 42, pag. 32) : « Quod « scirent Donatistæ sine Pontificis Romani communione Ecclesiam se habere et in ea esse non posse, atque ab ejus communione ut hæretici separati essent, ideo Episcopum ex « suis Romam mittebant, ut possent dicere se Romæ habere « Episcopum, et cum Episcopo Romano se communionem habere. Hoc patet ex hoc loco (Optati) et ex collatione Carthaginis, in qua volebant pseudoepiscopum suum Romanum « interesse. » Secum habere Liberium Papam tentarunt Ariani, ut testatur sanctus Athanasius (Epistola ad monachos) : *Secum impii cogitantes : si Liberium in nostram sententiam traxerimus, omnes brevi superabimus.*

Jam vero hæc agendi ratio probat pro certa habitam fuisse apud catholicos Romani Pontificis in docenda fide infallibilitatem. Probat enim non habitos fuisse ut catholicos qui non concordabant cum Romano Episcopo ejusve communione carebant. Hæc autem communio et concordia haberi non poterat nisi eam fidem profitendo quam tenebat Sedes Apostolica. Ergo extabat persuasio de necessitate profitendi fidem quam edocebat ac tenebat Romanus Pontifex. Porro necessitas hæc absona fuisset, si fides Romani Pontificis potuisset esse erronea. Reputabatur ergo Romana sedes in fide edocenda infallibilis. Et ideo schismatici et hæretici, ne ut tales haberentur, omni arte persuadere tentabant sentire se cum Romano Pontifice et communionem cum ipso habere.

Propositio IX^a. — *Sæculo* IV *pro certa habitam fuisse Romani Pontificis in docenda fide infallibilitatem, constat ex Eusebio Vercellensi et Liberio Papa.* — Obiit Eusebius Vercellensis Episcopus anno 373. Sic ad eum scripsit Liberius Papa : *Me, frater charissime, ad solatium vitæ præsentis erigit invicta fides tua, qua secutus Evangeliorum præcepta, nullo genere a consortio Sedis Apostolicæ discrepasti.* Ibi sermo est de consortio *in fide*, de qua tum maxime agebatur. Invicta dicitur Eusebii fides

ex eo quod ne vel minimum discrepasset a fide Sedis Apostolicæ. Et quod non discrepandum sit a consortio seu a fide hujus sedis, dicitur ab Evangelio præcipi. Id aperte probat persuasionem de necessitate concordandi quoad fidem cum Romano Pontifice. Sed repugnat necessitas hæc si fides Romani Pontificis erronea esse possit : ergo infallibilis in fide edocenda reputabatur Romanus Pontifex.

Propositio X^a. — *Sæculo* iv *pro certa habitam fuisse Romani Pontificis in edocenda fide infallibilitatem, constat ex sancto Ambrosio.* — Obiit S. Ambrosius anno 397. 1° In sermone de excessu *fratris sui Satyri* (libro I, n. 47, Operum tomo II, pag. 1126 editionis Benedictinorum) : « Advocavit ad se Epis- « copum, nec ullam veram putavit nisi veræ fidei gratiam ; « percunctatusque ex eo est, utrumnam *cum Episcopis ca-* « *tholicis, hoc est, cum Romana Ecclesia* conveniret. Et forte « ad id locorum in schismate regionis illius Ecclesia erat. » Agitur ibi de sancti Ambrosii fratre Satyro. Is post naufragium in quemdam locum appulerat, et ibi recipere voluit baptismatis sacramentum, cui nondum initiatus fuerat. Quapropter advocavit ad se Episcopum. Sed metuens ne forte Episcopus ille hæreticus foret aut schismaticus, ipsum interrogavit, utrum conveniret *cum Episcopis catholicis, hoc est, cum Romana Ecclesia.* Persuasum ergo fuit sancto Ambrosio, necnon fratri ejus Satyro, idem esse convenire *cum Romana Ecclesia*, ac convenire cum Episcopis catholicis, seu *cum Ecclesia catholica.* Proinde indubitatam habuerunt hanc doctrinam : qui convenit cum Romana Ecclesia, est catholicus : qui non convenit, est, vel hæreticus, vel saltem schismaticus. Porro id falsissimum foret, si Romana Ecclesia in edocenda fide errare posset. Si enim Romanus Pontifex hæresim profiteatur ac doceat, quomodo catholicus erit qui cum illo in fide concordabit? Pro indubitata igitur habuerunt S. Ambrosius et frater ejus, Sedis Apostolicæ in rebus fidei inerrantiam. Conferat lector hanc Ambrosii formulam, cum simili qua usus erat Cyprianus. Hic in epistola lii, ad Antonianum Episcopum (pagina 95 edi-

tionis Pamelii) sic habet : « Scripsisti etiam ut exemplum « earumdem litterarum ad Cornelium collegam nostrum trans- « mitterem; ut deposita omni sollicitudine jam sciret, *te se- « cum, hoc est, cum Catholica Ecclesia, communicare.* » Unde Cypriano unum et idem erat *communicare cum Cornelio Papa* et *communicare cum Ecclesia catholica.* Dicit æquivalenter Ambrosius : *Communicare cum Ecclesia catholica est communicare cum Romana Ecclesia.* Dixerat æquivalenter Cyprianus : *Communicare cum Romano Pontifice est communicare cum Ecclesia catholica.* Omnino cæcutiat necesse est qui ex iis tam apertis testimoniis non colligit, certam ac indubitatam prorsus fuisse apud catholicos, primis Ecclesiæ sæculis, Ecclesiæ Romanæ seu Romani Pontificis in rebus fidei infallibilitatem.

2° Enarratione in psalmum XL, n. 30 (tomo I, col. 879, editionis Benedictinorum) : « Ipse est Petrus cui dixit : Tu es « Petrus et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. « *Ubi ergo Petrus, ibi Ecclesia.* Ubi Ecclesia, ibi nulla mors, « sed vita æterna. » Præsentiam Petri intelligit profecto Ambrosius de præsentia in successoribus Romanis Episcopis continuata, et de præsentia, non corporali, sed per doctrinæ seu fidei prædicationem et potestatis gubernativæ exercitium. Qui alium sensum his verbis adnectere tentabit, in absurda impingat necesse est. Sensus ergo est : Ubi tenetur fides Petri et successorum ejus, ac eorumdem auctoritati obedientia præstatur, ibi est vera Christi Ecclesia, seu vera Ecclesia catholica; quæ non causat mortem, sicut sectæ hæreticæ aut schismaticæ, sed confert vitam æternam. Proinde existimavit Ambrosius catholicum esse qui concordat cum fide quam docet Apostolica Sedes seu Romanus Pontifex, ejusque auctoritati subest ac regimini : catholicum non esse, qui vel discrepat ab illa fide, vel a Romanæ Ecclesiæ regimine sese subtrahit. Id autem non existimasset, nec asseruisset si putasset erroribus et hæresibus obnoxios esse Romanos Pontifices in edocenda ac præscribenda fide. Ergo eos infallibiles quoad fidem edocendam reputavit.

Ecclesia Romana. Ergo extabat persuasio de Sedis Apostolicæ in fidei decretis inerrantia.

Propositio XIV^a. — *Sæculo* IV *pro certa habitam fuisse Romani Pontificis in decernenda fide infallibilitatem, constat ex quodam decreto Gratiani imperatoris Orientis.* — Voluit nempe Gratianus Ecclesias quas Ariani invaserant reddere catholicis Episcopis. At catholicos sese contendebant qui tales non erant. Quapropter imperator ut veros catholicos a pseudocatholicis tuto discerneret, in sua hac de re lege decrevit, *ut ædes sacræ iis traderentur qui cum Damaso communicarent* (Theodoretus, *Hist.* l. V, c. II). Dubium non est quin communicatio illa quam requirebat imperator intellecta fuerit potissimum de communicatione *in fide*, seu de professione ejusdem fidei quam tenebat Romanus Pontifex. Quod cæteroquin manifeste patuit in applicatione ejusdem imperialis legis Antiochiæ facta. Ibi tres reperti sunt competitores quoad Ecclesias Arianis ereptas, videlicet Meletius, Paulinus et Apollinaris. Flavianus presbyter causam agens Episcopi sui Meletii, ut Paulinum arceret, sic eum allocutus est : *Si Damasi communionem amplecteris, amice, doctrinæ nobis manifestam similitudinem ostende* (Theodoretus, *Hist.* l. V, c. III). Paulinus communionis litteras habuerat a Damaso Papa ; sed nihilominus ab ejus doctrina discrepabat in quæstione de tribus hypostasibus ; et ex eo capite eum arcendum contendebat Flavianus, sic urgens : *Ostende igitur consensionem doctrinæ, et Ecclesias suscipe ut lex jubet.* Pariter ut Apollinarem arceret, sic eum allocutus est : *Miror te, amice, tam impudenter resistere veritati, cum probe scias Damasum asserere perfectum hominem a Deo assumptum esse*, etc... *Nunc saltem renuntia novitati, quam excogitasti, et Damasi doctrinam amplectere, et tum demum sacras ædes obtine.* Ergo communicationem cum Damaso Papa intelligebat imperator communicationem potissimum et ante omnia quoad fidem. Inde autem manifesta fit persuasio imperatoris. Pro certo nempe habebat non posse quemquam esse catholicum, seu esse in Ecclesia catholica, nisi fidem profiteretur quam tenet et

docet Romanus Pontifex. Ergo pro eadem habebat obligationem remanendi in Ecclesia catholica, et obligationem consentiendi in fide cum Romano Pontifice. Sed aperte repugnaret obligatio consentiendi quoad fidem cum Romano Episcopo, nisi hujus Episcopi fides foret infallibilis : ergo certo infallibilis reputabatur fides a Romanis Pontificibus sancita ac definita.

Propositio XV^a^. — *Sæculo* IV *pro certa habitam fuisse Romani Pontificis in edocenda fide infallibilitatem, constat ex Prudentio.* — Scripsit Prudentius quarto sæculo. Ad rem faciunt hæc quatuor ipsius carmina :

> Fugite, o miseri, execranda Donati
> Schismata, catholicis reddite vos populis :
> Ut fides vigeat, prisco quæ condita templo est,
> Quam tenet cathedra Petri.

Si existimasset Prudentius posse cathedram Petri in fide errare, non sic simpliciter et sine restrictione commendasset fidem quam tenet illa cathedra, id est, Ecclesia Romana. Respondere potuissent Donatiani : Cur nos hortaris ad tenendam hujus cathedræ fidem, quæ non est vera, sed corrupta; nos siquidem veram antiquam fidem tenemus. At supposito dogmate de infallibili fide cathedræ Petri, peremptoria est ejus in Donatistas animadversio.

Propositio XVI^a^. — *Sæculo* IV *pro certa habitam fuisse Romani Pontificis in decernenda fide infallibilitatem, constat ex sancto Hieronymo.* — Natus S. Hieronymus anno 331 ; mortuus anno 420.

1° Sic habet (libro primo adversus Jovinianum, n. 26) : *Propterea inter duodecim unus eligitur, ut capite constituto schismatis tollatur occasio.* Capitis constitutio non tolleret schismata, si membris non incumberet necessitas se subjiciendi capiti, et potissimum quoad fidem. Quod si fides capitis obligatoria sit quoad omnia membra, infallibilis est. Repugnat enim obligatio credendi errori et hæresi.

2° In epistola ad Damasum Papam (editionis Benedictinorum decimæ quartæ, tomi quarti, parte secunda, col. 19) :

3° Libro I *de Pœnitentia*, capite VII (Operum tomo II, col. 399 editionis Benedictinorum), de Novatianis hæreticis agens, sic pronuntiat Ambrosius : *Non habent enim Petri hæreditatem qui Petri sedem non habent, quam impia divisione discerpunt.* Loco verborum qui *Petri sedem*, alii *Petri fidem* legunt, et melius, ut ait Ballerinius (*De vi ac ratione primatus*, cap. XIII, § 5, n. 26). Ex utraque autem lectione colligitur habitos fuisse a sancto Ambrosio tanquam a salute extorres, qui non concordabant cum Romana Ecclesia. Præcipue autem ab ea concordia alieni sunt qui diversam fidem tenent. Ergo certam habuit Ambrosius necessitatem concordandi cum fide quam tenet et docet Sedes Apostolica. Repugnaret autem hæc necessitas, si erronea esse posset fides illa, seu nisi infallibilis foret in tradenda fide Romana Ecclesia.

PROPOSITIO XI[a]. — *Sæculo* IV *pro certa habitam fuisse Romani Pontificis in decernenda fide infallibilitatem, constat ex totius Occidentis testimonio, per concilium Aquileiense anni* 381 *expresso.* — Coactum est concilium illud ex omnibus prope Occidentis provinciis, ut in actis videri potest. Porro in sua ad Gratianum imperatorem epistola sic loquuntur dicti concilii Patres : *Totius orbis Romani caput, Romanam Ecclesiam, atque illam sacrosanctam fidem apostolorum ne turbari sineret, obsecranda fuit clementia vestra.* INDE ENIM IN OMNES VENERANDÆ COMMUNIONIS JURA DIMANANT (apud Labbe, tomo II, col. 999, edit. Parisiis 1671). *Jus communionis* non potest *dimanare ex Ecclesia Romana* in omnes alias, nisi eo sensu, quod unaquæque teneatur communicare cum Romana; non autem teneatur communicare cum ulla alia, nisi quatenus hæc pariter cum Romana communicet. Ergo Ecclesiæ omnes tenentur cum Romana Ecclesia communionem servare. At communio hæc servari nequit nisi eam fidem tenendo quam tenet et edicit Romana Ecclesia. Ergo tenentur Ecclesiæ omnes fidem profiteri quam docet Ecclesia Romana. Non autem ad id tenerentur si fides illa erronea esse posset. Hinc per illa verba, *inde in omnes venerandæ communionis jura dimanant*, totus

Occidens Romanæ Ecclesiæ jus asseruit cæteris omnibus suam imponendi fidem; ac simul proinde ipsi inerrantiam in fide vindicavit; siquidem, ut per se patet, ille solus potest aliis fidem suam imponere qui sit in fide infallibilis.

Propositio XII[a]. — *Sæculo* IV *pro certa habitam fuisse Romani Pontificis in decernenda fide infallibilitatem constat ex gestis a Damaso Papa.* — Obiit Damasus anno 384. Epistolæ quam direxit ad Paulinum Antiochenum, formulam fidei adnexuit, cui subscribere deberent quicumque vellent *Ecclesiæ copulari.* Hæc sunt epistolæ verba : *Unde ne aut tibi scrupulus resideret, et volentes forsitan Ecclesiæ copulari tua cautio probanda differret, fidem nostram misimus, non tam tibi, qui ejusdem fidei communione sociaris, quam his qui in ea subscribentes, tibi, id est nobis per te voluerint sociari* (apud Coustant, epistola V, et apud Labbe, tomo II, col. 865, edit. Parisiis, 1671). Ergo ut quis Ecclesiæ copularetur, necesse fuit eum fidei a Romano Episcopo determinatæ subscribere, alioquin non habendus ut catholicus. Sed hæc obligatio concordandi in fide cum Romanis Pontificibus supponit eos esse in fide infallibiles. Ergo pro certa illa infallibilitas habebatur.

Propositio XIII[a]. — *Sæculo* IV *pro certa habitam fuisse Romani Pontificis in decernenda fide inerrantiam, constat ex Sozomeno.* — Scripsit quidem Sozomenus quinto sæculo ; sed ad tempus Damasi Papæ spectat quod enarravit (libro VI Historiæ suæ, capite XXII) his verbis : « Cum hæc quæstio agitaretur et contendendi studio magis magisque in dies cresceret, Episcopus urbis Romæ scripsit ad Orientales Ecclesias, ut Trinitatem consubstantialem, ac honore gloriaque æqualem una cum Occidentalibus Episcopis confiterentur. Quo facto, *utpote controversia judicio Romanæ Ecclesiæ terminata*, singuli quievere, eaque quæstio finem accepisse visa est. » Ergo extabat tunc temporis, persuasio controversias de fide pro terminatis habendas esse, statim ac Romana Ecclesia judicium protulerat. Alioquin non *quievissent singuli* ex eo quod pronuntiasset

« Ideo mihi cathedram Petri et fidem apostolico ore laudatam censui consulendam. Inde nunc meæ animæ postulans cibum, unde olim Christi vestimenta suscepi. Neque vero tanta vastitas elementi liquentis et interjacens longitudo terrarum me a pretiosæ margaritæ potuit inquisitione prohibere. Ubicumque fuerit corpus, illuc congregabuntur et aquilæ. Profligato a sobole mala patrimonio, *apud vos solos incorrupta Patrum servatur hæreditas... Vos estis lux mundi, vos sal terræ...* Quamquam igitur tui me terreat magnitudo, invitat tamen humanitas... Ego nullum primum nisi Christum sequens, *beatitudini tuæ, id est, cathedræ Petri, communione consocior. Super illam petram ædificatam Ecclesiam scio. Quicumque extra hanc domum agnum comederit, profanus est. Si quis in arca Noe non fuerit, peribit regnante diluvio...* Hic collegas tuos Ægyptios confessores sequor.... Non novi Vitalem; Meletium respuo ; ignoro Paulinum. *Quicumque tecum non colligit, spargit ; hoc est, qui Christi non est Antichristi est.* Nunc... trium *hypostaseon* ab Arianorum præsule et Campensibus novellum a me homine Romano nomen exigitur... Interrogamus quid tres hypostases posse arbitrentur intelligi. Tres personas subsistentes aiunt. Respondemus nos ita credere. Non sufficit sensus, ipsum nomen efflagitant... Decernite : *Si placet, non timebo tres hypostases dicere...* Quamobrem obtestor beatitudinem tuam per crucifixum, mundi salutem, per homousion Trinitatem, ut mihi epistolis tuis, sive tacendarum, sive dicendarum hypostaseon detur auctoritas... Simul etiam cui apud Antiochiam debeam communicare significes : quia Campenses, cum Tharsensibus hæreticis copulati, nihil aliud ambiunt, quam ut auctoritate communionis vestræ fulti, tres hypostases cum antiquo sensu prædicent. »

Campenses de quibus ibi est sermo, illi Antiocheni vocabantur, qui ante reditum Meletii, catholici Episcopi, synaxes in campis agebant. Ii utebantur voce *hypostaseon*, non in sensu ariano trium substantiarum, sed in sensu catholico trium personarum. Sed timebat Hieronymus ne sub illa voce ali-

quid hæreseos latitaret. Et ideo recurrit ad Romanum Pontificem, ut decisionem hac de re obtineat. Jam vero modus quo loquitur manifestum facit pro certa ipsum habuisse Romani Pontificis in decernenda fide infallibilitatem. Cur enim consulendam censet *cathedram Petri et fidem apostolico ore laudatam*; id est, cur decisionem de re ad fidem pertinente postulat a Romano præsule? Quia, inquit, *apud vos solos incorrupta Patrum servatur hæreditas;* quia Damasus est *lux mundi, sal terræ;* quia *consociatur communione eidem Damaso, id est, cathedræ Petri*, et scit *super illam petram Ecclesiam fuisse ædificatam;* quia certum ipsi est, *profanum esse qui extra hanc domum agnum comederit*, et *periturum* qui *in hac arca Noe non fuerit*, et esse antichristi *qui non colligit cum Damaso;* quia tandem *non timebit*, sed certus erit se non errare, si sequatur decisionem Damasi quoad quæstionem illam de hypostasibus. Si quis neget Hieronymo hæc scribenti certam et indubitatam fuisse Romanorum Pontificum in decernenda fide inerrantiam, id etiam de me neget, qui ex professo illam Sedis Apostolicæ divinam prærogativam hic defendo. Non enim video quibus clarioribus verbis illam exprimere possem. Enimvero qui consulendo Papam dicit se consulere *cathedram Petri et fidem Apostolico ore laudatam*, pro certo sane habet Papam non responsurum erronee aut hæretice : alioquin non existimaret consuli a se *fidem Apostolico ore laudatam*. Item qui Romanum Pontificem vocat *lucem mundi* et *salem terræ*, pro certo habet ab illo Pontifice doceri non posse errorem aut hæresim. Quippe si Papa non sit quoad fidem edocendam infallibilis, non ipse lux mundi et sal terræ, sed dumtaxat concilio œcumenico aut corpori Episcoporum prærogativa hæc tribuenda erit. Item si Papa in decernenda fide sit fallibilis, falsum est *dispergere qui non colligit cum ipso;* casu enim quo Papa hæresim doceat, non colligere cum ipso, erit recte colligere; et colligere cum ipso, erit dispergere. Præterea per *domum* illam in qua nisi quis agnum comedat profanus est, et *arcam* illam in qua

nisi quis stet diluvio peribit, intelligit Hieronymus doctrinam quam tenet Romanus Pontifex. Nam sub his *domus* et *arcæ* metaphoris ibi loquitur de *cathedra Petri*, ut ex contextu patet; et aliunde consulendo Damasum Papam, dicit se consulere *cathedram Petri*. Ergo *ipsammet fidem* quam edocet Romanus Pontifex asserit esse *domum* extra quam si quis agnum comedat profanus est, et *arcam* e qua quisquis exierit mortem non effugiet. An, quæso, id de Romani Pontificis doctrina Hieronymus asseruisset, si existimasset doctrinam illam erroneam esse posse ac hæreticam ? Et tandem cur *non timet* Hieronymus eo modo profiteri circa hypostases, quem ipsi licitum *decreverit* Damasus ? Si errare possit Romanus Pontifex decernendo de fide, etiam post Damasi decretum errorem timere debet. Ideo ergo non timet Damasi decisioni obsequi, quod pro certo habeat infallibilia esse Romani Pontificis circa fidem decreta. O Gallicanorum squammeam cæcitatem, queis vel illud solum Hieronymi testimonium oculos non aperuit !

3° In alia ad Damasum Papam epistola (quæ est decima sexta in editione Benedictinorum, tomi quarti parte secunda, col. 22) : « In tres partes scissa Ecclesia (*nimirum in Syria, « ubi tunc degebat Hieronymus*) ad se rapere me festinat. Mona- « chorum circa manentium antiqua in me surgit auctoritas. « Ego interim clamito : *Si quis cathedræ Petri jungitur, meus « est.* Meletius, Vitalis atque Paulinus tibi hærere se dicunt. « Possem credere si unus assereret. Nunc aut duo mentiun- « tur, aut omnes. Idcirco obtestor beatitudinem tuam... ut « mihi litteris tuis, apud quem in Syria debeam communicare « significet. » Versabatur dissidium circa rem ad fidem pertinentem ; præcipue nimirum circa hypostases : an tres asserere liceret, an unicam. Regulam autem quam secutus est tunc Hieronymus a fortiori secutus fuisset quoad alias majoris momenti quæstiones. Quænam autem hæc regula? *Si quis cathedræ Petri jungitur, meus est.* Regula autem illa huic æquivalet : *l e catholicus est qui concordat cum fide quam tenet et docet*

Romanus Pontifex. Porro qui tutam existimat hanc regulam, hoc ipso pro certa habet Romani Pontificis in decernenda fide inerrantiam. Si enim hæresim docere posset Papa, perperam pro catholico haberetur qui ei in fide consonat.

4° In epistola ad Theophilum Alexandrinum Episcopum (58 in editione Benedictinorum, tomi quarti parte secunda, col. 597) : « Quod de canonibus ecclesiasticis mones, gratias agi- « mus... Sed tamen scito nobis nihil esse antiquius quam Christi « jura servare, nec Patrum transferre terminos, semperque « meminisse Romanam fidem, apostolico ore laudatam, cujus « se esse participem Alexandrina Ecclesia gloriatur. » Degebat Hieronymus intra fines Hierosolymitanæ diœceseos, atque ipsum inter et Hierosolymitanum præsulem vehemens exortum erat dissidium, quod componere satagebat Alexandrinus Patriarcha Theophilus. In citata autem epistola ad suam defensionem id solum adduxit Hieronymus, se in *fide Romana* constanter permansisse : æstimans scilicet ita satis probari se esse catholicum. Inepta sane defensio si Romana fides erronea esse posset. Eam ergo tutam et infallibilem habebat Hieronymus.

5° In Apologia adversus Rufinum, libro I (in editione Benedictinorum, tomi quarti parte secunda, col. 353), citat Hieronymus Rufini verba, quibus asseruerat Origenis libros ita fuisse ab Hieronymo in latinum translatos, ut, licet in græco inveniantur offendicula, attamen *nihil in illis* (sunt verba Rufini) *quod a nostra fide discrepet latinus lector inveniat*. Voces illas *a nostra fide* sic carpit Hieronymus :

« Simulque et hoc ab eo quæro, quid sibi velit sermo mo- « deratus et dubius : *Nihil*, inquit, *in illis quod* A FIDE NOSTRA « *discrepet latinus lector inveniet*. Fidem *suam* quam vocat? « Eamne qua Romana pollet Ecclesia? An illam quæ in Ori- « genis voluminibus continetur? Si Romanam responderit, « ergo aut catholici sumus, qui nihil de Origenis errore « transtulimus. » Igitur ne vel minimum dubitabat Hieronymus, quin unum et idem foret, *esse catholicus*, et *fidem*

Romanæ Ecclesiæ tenere. Id porro ipsi persuasum non fuisset, si erroneam esse posse Ecclesiæ Romanæ fidem existimasset.

Propositio XVII[a]. — *Sæculo* v *pro certa habitam fuisse Romani Pontificis in decernenda fide infallibilitatem, constat ex sancto Zozimo Papa.* — De causa Cœlestii rescribens anno 418 Zozimus Papa, ita Carthaginiensis concilii Patres alloquitur :

« Quamvis Patrum traditio Apostolicæ Sedi auctoritatem « tantam tribuerit, ut de ejus judicio disceptare nullus au- « deret... : tantam enim huic Apostolo canonica antiquitas « per sententias omnium voluit esse potentiam, ex ipsa quo- « que Christi Dei nostri promissione, ut et ligata solveret, et « soluta vinciret; par potestatis data conditio in eos qui Se- « dis hæreditatem, ipso annuente, meruissent. Habet enim « ipse cum omnium Ecclesiarum, tum hujus maxime ubi « sederat, curam; nec patitur aliquid privilegii aliqua titu- « bare aura sententiæ, cui ipsa sui nominis firma et nullis « hebetata motibus constituit fundamenta, et quæ sine pe- « riculo temere nullus incesset. Cum ergo tantæ auctoritatis « Petrus caput sit, et sequentia omnium majorum studia « firmaverit, ut tam humanis quam divinis legibus et disci- « plinis omnibus firmetur Romana Ecclesia, cujus locum nos « regere et potestatem nominis obtinere non latet vos, sed « nostis, fratres carissimi, et quemadmodum sacerdotes scire « debetis : tamen cum tantum nobis esset auctoritatis, ut « nullus de nostra possit retractare sententia, nihil egimus « quod non ad vestram notitiam nostris ultro litteris refer- « remus... » (apud Labbe tomo II, col. 1572, edit. Parisiis, 1671).

Ex iis verbis hæc de Zozimi doctrina colligenda veniunt :

1° Tanta Petro data est a Christo auctoritas, ut possit ligata solvere et soluta vincire.

2° Par potestas transiit ad Romanos Pontifices Petri successores; unde tanta est Sedis Romanæ auctoritas, *ut nullus audeat de ipsius judicio disceptare*, nullusque possit *de Ro-*

mani Pontificis sententia retractare. Atque ita fuit non humano tantum sed et divino jure firmatum.

3° Hæc suprema judicandi potestas intelligitur a Zozimo, et quidem præcipue, quoad fidei quæstiones; siquidem agitur de judicando Cœlestio, qui tanquam hæreticus denuntiabatur. Et præterea potestas illa ligata solvendi et soluta vinciendi, Petro divinitus collata, atque ad ejus in Romana Sede successores transmissa generaliter et absque restrictione asseritur; ita ut complectatur etiam judicandas fidei causas, cum hæ præcipuæ sint.

4° Jam vero Romano Pontifici judicandi potestatem tribuere, cui fas sit nulli resistere, idem est ac ipsi infallibilitatem vindicare, ut patet.

Propositio XVIII[a] — *Sæculo* v *pro certa habitam fuisse Romani Pontificis in decernenda fide infallibilitatem, constat ex sancto Augustino et ex gestis contra Pelagianos*. — Natus Augustinus anno 354, mortuus anno 430. Qui Romani Pontificis infallibilitatem negant huic opinioni adhæsisse Augustinum probare conantur ex ipsius libris *de Baptismo*. Ast contrariam ejus doctrinam certo arguunt alia ejus scripta; nec contradicit quod objicitur. Utrumque assertum verum probemus.

I. In *Psalmo contra partem Donati*, sic Donatistas hortatur Augustinus ut ad Ecclesiæ unitatem redeant: *Venite, fratres, si vultis ut inseramini in vite: dolor est cum vos videmus præcisos ita jacere: numerate sacerdotes vel ab ipsa Petri sede: et in ordine illo patrum quis cui successit videte: ipsa est Petra quam non vincunt superbæ inferorum portæ* (in editione Benedictinorum, tomo IX, col. 7).

Simile ratiocinium in Epistola ad Generosum, quem Donatistæ ad suas partes trahere conabantur: *Si tibi angelus de cœlo diceret: Dimitte christianitatem orbis terræ et tene partes Donati, cujus ordo tibi exponitur in epistola Episcopi tuæ civitatis, anathema esse deberet; quia te a toto præcidere, et in partem contrudere conaretur, et alienare a promissis Dei. Si enim ordo*

Episcoporum sibi succedentium considerandus est, quanto certius et vere salubriter ab ipso Petro numeramus, cui totius Ecclesiæ figuram gerenti Dominus ait : Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam et portæ inferorum non vincent eam. Petro enim successit Linus; Lino Clemens... (et deducitur catalogus usque ad Anastasium)... *Siricio Anastasius. In hoc ordine successionis nullus Donatista Episcopus invenitur. Sed ex transverso ex Africa ordinatum miserunt, qui paucis præsidens Afris in urbe Roma, Montensium vel Cutzupitarum vocabulum propagavit* (Epistola LIII, in editione Benedictinorum, tomo II, col. 120).

Jam vero huncce ratiocinandi modum perpendamus. Probare vult Donatistis Augustinus eos esse ab Ecclesia catholica separatos et a vera fide alienos. Et ut hoc probet recurrit ad catalogum Romanorum Pontificum, in quo videre erat quis cui successit in Romana Sede, a Pontificatu sancti Petri usque ad existentem tunc temporis Romanum Pontificem. Quo recitato catalogo, dicit Donatistis : Inter illos Pontifices nullus extitit Donatista. Equidem Romæ commorantem habetis unum e vestra secta Episcopum, qui se Romanum Pontificem jactitat, quem vos eo misistis; sed is nulli Romano Episcopo successit, nec reperitur in catalogo, tanquam legitimus suo loco successor. Hoc est totum Augustini ratiocinium, quo satis superque erroris convictos Donatistas existimat.

Porro ejusmodi ratiocinium ineptum prorsus fuisset ad convincendos illos hæreticos, nisi tanquam certum et extra controversiam positum omnes habuissent, non posse quemquam esse catholicum, nisi concordet, et quidem potissimum quoad fidem, cum Ecclesia Romana. Enimvero sublata necessitate concordandi in fide et communionem servandi cum Sede Apostolica, ex eo quod hanc concordiam non haberent Donatistæ, argui non poterat eos esse ab Ecclesia catholica separatos. Ratiocinium quippe sancti Augustini sic contrahi potest : *Romani Pontifices vos habent ut hæreticos, et nullus ex ipsis Donatista fuit, seu vestram doctrinam professus est;*

ergo non estis catholici. Respondere potuissent Donatistæ : Ut simus catholici necesse non est concordare nos et communionem habere cum Ecclesia Romana; ergo ex eo quod nobis consentientem non habeamus Ecclesiam Romanam, non sequitur nos non esse catholicos. Sed hoc responsum non timebat Augustinus; quia certa apud omnes erat necessitas communionem et fidei unitatem servandi cum Ecclesia Romana. Nec ipsi Donatistæ eam necessitatem negabant; sed dictitabant cum ipsis consentire Romanum Pontificem; eum intelligentes quem Romam miserant et qui se Romanum Episcopum et Petri successorem fingebat. Nequaquam ergo dubia Augustino fuit necessitas in fide conveniendi cum Romana Sede. Sed admittere hanc necessitatem, idem est ac infallibilem in fide existimare Sedem Apostolicam; cum repugnet obligatio credendi errori vel hæresi. Quam cæteroquin infallibilitatem aperte innuit Augustinus cum, prænonitis Donatistis ut *in ordine illo successorum Petri videant quis cui successerit*, statim addit, *ipsa est Petra quam non vincunt superbæ inferorum portæ.* Gallicani qui admissam ab Augustino negant Sedis Apostolicæ in sancienda fide inerrantiam, numquam poterunt expositum Hypponensis præsulis ratiocinium in aliquo non absono sensu explicare.

II. Ad rem faciunt gesta contra Pelagianam hæresim, in quibus maximas partes habuit Augustinus. In synodali epistola Carthaginensis concilii ad Innocentium I, anni 416, postquam retulerunt patres visum sibi anathemari oportere Pelagium et Cœlestium, sic addunt : *Hoc itaque gestum, domine frater, sanctæ caritati tuæ intimandum duximus, ut statutis nostræ mediocritatis etiam Apostolicæ Sedis adhibeatur auctoritas, pro tuenda salute multorum, et quorumdam perversitate etiam corrigenda* (inter Augustini epistolas centesima septuagesima quinta, in editione Benedictinorum, t. II, col. 618).

Suam eodem anno epistolam ad Innocentium I direxere concilii Milevitani Patres : *Quia te*, inquiunt, *Dominus gratiæ*

suæ præcipuo munere in Sede Apostolica collocavit..., magnis periculis infirmorum membrorum Christi pastoralem diligentiam, quæsumus adhibere digneris. Tum exponunt Pelagii et Cœlestii hæresim. Et postquam monuerunt nonnullos ea seductos fuisse, at *multo plures*, inter quos Hieronymus, contra eam strenue decertare, ita subjungunt : *Sed arbitramur adjuvante misericordia Domini nostri..., auctoritati sanctitatis tuæ, de Sanctarum Scripturarum auctoritate depromptæ, facilius eos qui tam perversa et perniciosa sentiunt, esse cessuros, ut de correctione potius eorum gratulemur, quam contristemur interitu* (inter Augustini epistolas, centesima septuagesima sexta, editionis Benedictinorum tomo II, col. 620).

Directa etiam hac de re ad Innocentium I epistola ab Augustino et quatuor aliis Episcopis, quam sic concludunt : *Dabit sane nobis veniam suavitas mitissima cordis tui, quod prolixiorem epistolam fortassis quam velles tuæ misimus sanctitati. Non enim rivulum nostrum tuo largo fonti augendo refundimus; sed... utrum etiam noster licet exiguus ex eodem quo etiam tuus abundans emanet capite fluentorum, hoc a te probari volumus, tuisque rescriptis de communi participatione unius gratiæ consolari* (epistola CLXXVII, editionis Benedictinorum tomo II, col. 628).

Eodem anno 416, post duo supramemorata concilia Africana, sed ante decretum Innocentii I, quo damnata est Pelagii hæresis, scripsit S. Augustinus ad Hilarium Episcopum, certiorem eum faciens de exorta Pelagiana hæresi, et de bino Africano concilio : *Nova quædam hæresis*, inquit, *inimica gratiæ Christi contra Ecclesiam Christi conatur exurgere;* SED NONDUM EVIDENTER AB ECCLESIA SEPARATA EST... *Jam enim cum ista scriberem, cognoveramus in Ecclesia Carthaginensi adversus eos episcopalis concilii conditum fuisse decretum, per epistolam sancto et venerabili Papæ Innocentio dirigendum; et nos de concilio Numidiæ ad eamdem Apostolicam Sedem jam similiter scripseramus* (epistola CLXXVIII, in editione Benedictinorum tomo II, col. 629).

Rescripsit Innocentius I, ad episcopos Carthaginensis concilii, anno 417 :

« Inquirendo de his rebus quas omni cum sollicitudine decet a sacerdotibus, maxime a vero justoque et catholico tractari concilio, antiquæ traditionis exempla servantes, et ecclesiasticæ memores disciplinæ, vestræ religionis vigorem non minus nunc in consulendo, quam antea cum pronuntiaretis, vera ratione firmatis, qui ad nostrum referendum approbastis esse judicium; scientes quid Apostolicæ Sedi (cum omnes hoc loco positi ipsum sequi desideremus apostolum) debeatur, a quo ipse episcopatus et tota auctoritas nominis hujus emersit. Quem sequentes, tam mala jam damnare novimus, quam probare laudanda. Unde id vere, quod Patrum instituta sacerdotali officio custodientes non censetis esse calcanda : quod illi, non humana, sed divina decrevere sententia : ut quidquid, quamvis de disjunctis remotisque provinciis ageretur, non prius ducerent finiendum, nisi ad hujus Sedis notitiam perveniret, ut tota hujus auctoritate justa quæ fuerit pronuntiatio firmaretur : indeque sumerent cæteræ Ecclesiæ (velut de natali suo fonte aquæ cunctæ procederent, et per diversas totius mundi regiones puri capitis incorruptæ manarent) quid præcipere, quos abluere, quos veluti in cœno inemundabili sordidatos mundis digna corporibus unda vitaret » (apud Labbe, tomo II, col. 1283, edit. Parisiis, 1671 ; videri etiam potest apud Coustant, col. 889).

Idem Innocentius I anno 417 ita rescripsit ad Patres Milevitani concilii :

« Præsertim quoties fidei ratio ventilatur, arbitror omnes fratres et coepiscopos nostros nonnisi ad Petrum, id est, sui nominis et honoris auctorem, referre debere, velut nunc retulit vestra dilectio, quod per totum mundum possit Ecclesiis omnibus in commune prodesse. Fiant enim necesse est cautiores, cum inventores malorum, ad duplicis relationem synodi, sententiæ nostræ statutis viderint ab ecclesiastica

communione sejunctos » (apud Labbe, loco citato, col. 1287, et apud Coustant, col. 896).

Hisce duobus Innocentii I rescriptis damnati ac anathemate notati sunt Pelagius, Cœlestius eorumque sectatores. Verba quæ condemnationem illam exprimunt prætermittimus.

Eodem anno 417, id est, statim ac notum habuit dogmaticum illud Innocentii I judicium, in publica concione sic edixit sanctus Augustinus : *Fratres mei, compatimini mecum. Ubi tales inveneritis* (loquitur de Pelagianis), *occultare nolite : non sit in vobis perversa misericordia. Prorsus ubi tales inveneritis, occultare nolite. Redarguite contradicentes, et resistentes ad nos perducite. Jam enim de hac causa duo concilia missa sunt ad Sedem Apostolicam :* INDE ETIAM RESCRIPTA VENERUNT : CAUSA FINITA EST : UTINAM ALIQUANDO FINIATUR ERROR (Sermone CXXXI, in editione Benedictinorum, tomo V, col. 645).

Hæc porro in causa Pelagianæ hæreseos gesta, sive singula perpendantur, sive præsertim simul conferantur, manifestam faciunt sæculo V vigentem persuasionem de Sedis Apostolicæ quoad fidem edocendam infallibilitate. Etenim :

Primo jam satis aperte hanc persuasionem innuit modus quo Africani Patres ad Romanum Pontificem referunt, et suam ei sententiam confirmandam subjiciunt. *Statutis nostræ mediocritatis*, inquiunt, *Apostolicæ Sedis adhibeatur auctoritas.* Ita sane indicant, accedente apostolica decisione quæstionem finiri posse. Quid ita nisi quod infallibilis decisio hæc apud omnes catholicos censeretur? Item cur arbitrantur *auctoritati* Romani Pontificis errantes *facilius cessuros?* Si Romanus Pontifex in decernenda fide errare possit, non est cur ejus auctoritati magis quam duobus conciliis deferatur. Sed dum volunt a Romano Pontifice probari utrum ipsorum *rivulus*, id est, ipsorum doctrina, emanet necne ex *capite fluentorum*, id est, ex vera traditione fidei, aperte supponunt, certam non esse doctrinam fidei quæ non concordet cum ea quam tenet Romanus Pontifex.

Secundo, apertissime Sedis Apostolicæ infallibilitatem exprimunt quæ Innocentius I Africanis Patribus rescripsit. Dicit enim eos recte quæstionem definiendam reservasse judicio Romanæ Sedis, scientes quid huic sedi *debeatur;* quod perinde est ac dicere, definitivam in quæstionibus fidei sententiam ad solum Romanum Pontificem pertinere. Causam autem cur non *finiendæ sint* causæ fidei nisi prius perlatæ sint ad Sedis Apostolicæ notitiam, hanc esse dicit : *Ut tota pronuntiatio hujus sedis auctoritate firmetur, indeque sumant cæteræ Ecclesiæ* quid tenere debeant. Non poterat clarius edici Romanum Pontificem esse supremum et ultimum controversiarum judicem, ejusque decreta esse quoad omnes Ecclesias obligatoria. Jam vero supremus in Ecclesia judex infallibilis sit necesse est ; nec obligatoria esse possunt ejus circa fidem decreta, si errori obnoxia sint.

Tertio, tandem infallibilitatem Romani Pontificis luce meridiana clarius adstruunt sancti Augustini verba. Post duo concilia Africana et ante Romani Pontificis judicium, *nondum evidenter ab Ecclesia separatam* existimat Pelagianam sectam. Sed statim ac pronuntiavit Innocentius I, *finitam causam* fidenter asserit : *Rescripta venerunt : causa finita est : utinam aliquando finiatur error.* Quæ Augustini sententia, perpetuo deinceps tanquam tutissima fidei regula celebrata recurrit. An, quæso, finitam rescripto Romani Pontificis causam edixisset Augustinus, si errori obnoxium Romæ Episcopum reputasset?

III. Doctrinæ e Romani Pontificis in decernenda fide inerrantia primo quidem intuitu contraria videntur quæ scripsit Augustinus in suis libris *de Baptismate*. Non tamen evincunt ipsum oppositæ opinioni adhæsisse. Objicitur imprimis locus ubi, Cyprianum excusans quod hæreticorum baptisma pro valido non habuerit, sic loquitur sanctus Augustinus : « Nec « nos ipsi tale aliquid auderemus asserere, nisi universæ Ec- « clesiæ concordissima auctoritate firmati; cui et ipse sine « dubio cederet, si jam illo tempore quæstionis hujus veri-

« tas eliquata et declarata per plenarium concilium solida-« retur » (*de Baptismo*, libro II, capite IV, n. 5, editionis Benedictinorum tomo IX, col. 98).

Alter locus objectus ille est in quo loquens de sententia Cypriani circa baptisma hæreticorum, sic habet idem Augustinus : « Et profecto issem in eamdem sententiam, nisi « me ad diligentiorem considerationem revocaret tanta auc-« toritas aliorum, quos vel pares gratia doctrinæ, vel etiam « fortasse doctiores, per tot gentes, latinas, græcas, barbaras, « et ipsam hebræam, Ecclesia toto orbe diffusa parere potuit, « quæ ipsum quoque peperérat ; qui mihi nullo modo videri « potuerunt frustra noluisse istam tenere sententiam. Non « quia fieri non potuit ut in obscurissima quæstione verius « pluribus unus paucive sentirent ; sed quia non facile pro « uno vel paucis adversus innumerabiles ejusdem religionis « et unitatis viros, et magno ingenio et ubèri doctrina præ-« ditos, nisi pertractatis pro viribus atque perspectis rebus « ferenda sententia est » (*de Baptismo*, libro III, capite IV, n. 6, editionis Benedictinorum tomo IX, col. 111). Ex his locis, inquiunt adversarii, merito colligitur alienum fuisse Augustinum a doctrina de Romani Pontificis in definienda fide inerrantia. Dum enim dicit, cessurum fuisse Cyprianum, si quæstio eliquata fuisset per *plenarium concilium*, non addit, vel *per decisionem Romani Pontificis*. Et causam declarans cur ipse in sententiam Cypriani non ierit, auctoritatem allegat *Ecclesiæ toto orbe diffusæ*, non autem Stephani Papæ aut alterius Romani Pontificis decisionem. — Respondeo :

1° Si talis foret objectorum textuum sensus, sequeretur sanctum Augustinum sibi contradixisse. Nam alibi, ut vidimus, aperte asseruit quæstiones fidei *finiri* per decisionem Romani Pontificis, absque concilio œcumenico, et non expectato totius Ecclesiæ dispersæ sensu : *Inde rescripta venerunt ; causa finita est.*

2° Sed objectorum textuum sensus non is est qui fingitur. Equidem in allegato textu ubi dicit cessurum Cyprianum si

quæstio decisa in contrarium fuisset *per plenarium concilium*, non addidit, vel *per decisionem Romani Pontificis;* sed hoc æquivalentibus terminis addidisse videtur paulo post, id est, capite IX, numero 14 ejusdem libri secundi *de Baptismo*. Ibi enim, citatis nonnullis Cypriani verbis, concilium Africanum memorantibus, sic pergit S. Augustinus : « Hac attestatione « satis ostendit, multo magis se fuisse commemoraturum, si « quod de hac re *transmarinum* vel universale concilium fac- « tum esset » (edit. Benedictinorum tomo IX, col. 104). Cum Romani Pontifices non solerent decreta fidei edere nisi in Romano concilio, quod plerumque constabat vicinis Episcopis aliisve Romæ præsentibus et clero Romano, idem Africanis erat decretum *concilii transmarini* et *decretum Romani Pontificis*. Notetur autem disjunctiva hæc, *transmarinum* (sic Romanum appellabant) *vel universale* concilium. Non minus scilicet deferebant Romano concilio, quam universali. Quid ita ? Sane ob infallibilem Romani Pontificis auctoritatem, quæ concilio transmarino inerat. Alioquin absonum fuisset pari gradu ponere *particulare concilium* Romæ, et œcumenicam synodum.

3° De facto quæstio decisa non fuit, per proprie dictam fidei definitionem solius Romani Pontificis, sed per plenarium concilium. Nam, ut alibi ostendimus, decretum Stephani Papæ[1] non fuit proprie dicta fidei decisio, nec ut tale habitum est. Sed decisa fuit quæstio hæc de baptismate hæreticorum per plenarium concilium, quod pluries memorat Augustinus, antequam ipse nasceretur celebratum, videlicet Nicænum anni 314, vel (ut alii volunt) Arelatense anni 325. Non ergo mirum est excusari Cyprianum ab Augustino ex eo capite, quod nondum celebratum fuisset plenarium concilium a quo quæstio decisa est. Item mirum non est, dum causam declarat cur ipse Cypriani sententiæ non adhæserit, allegari ab

[1] Ad fabulas rejiciendum Cypriani cum Stephano conflictum, et proinde ipsum etiam decretum Stephani, probamus infra (sectione 5); sed hic loquimur in hypothesi contraria, quæ communius recepta est.

ipso dumtaxat *Ecclesiæ toto orbe diffusæ* auctoritatem. Quia nempe de facto per hanc auctoritatem in concilio plenario quæstio decisa fuerat. Equidem non addit, se atque ipsum Cyprianum adhæsuros quoque fuisse definitioni solius Romani Pontificis, si et hæc intervenisset; at neque negat; sed tantum silentio prætermittit. Opportunum autem erat, pro suæ scriptionis scopo ut hoc taceret. Nam :

4° In libris *de Baptismo* totus est Augustinus ut Donatistas Cypriani potissimum auctoritatem allegantes confutet. Dicebant Augustino Donatistæ : Si erravit Cyprianus, cur eum non damnas et habes ut hæreticum? Si non erravit, cur tenes validum esse hæreticorum baptisma, quod pro nullo habuit Cyprianus? Respondebat Augustinus : erravit quidem Cyprianus, sed antequam celebratum fuisset plenarium concilium per quod quæstio decisa est. Ejus sententia quæ post illud concilium certo hæretica fuit, talis non erat tempore Cypriani, utpote nondum decisa ; proinde hæreticus non fuit Cyprianus, ob illam suam opinionem liberæ tunc disputationi adhuc relictam. Inutile erat moveri ab Augustino quæstionem, an ipse necnon Cyprianus obtemperassent etiam decisioni a solo Romano Pontifice prolatæ. Nec tantum inutile, sed etiam intento scopo nocivum. Habebant enim Donatistæ unum e secta sua Romæ commorantem Episcopum, qui se Romanum Pontificem dictitabat ; cujus forsan auctoritatem Augustino objecissent, et sic debuisset sanctus Augustinus quæstionem de isto Antipapa in antecessum expendere. Quam disceptationem declinabat allegando dumtaxat concilii generalis auctoritatem. Hæc enim plene ad scopum sufficiens erat. Impudens quippe visa fuisset Donatistarum audacia, si dixissent plenarii concilii et Ecclesiæ toto orbe dispersæ auctoritati non esse deferendum : et ideo hanc solam auctoritatem allegat Augustinus, et de valore papalis decisionis, quæ de facto non intervenerat, opportune silet, aut saltem de ea expresse non disserit.

Instabis : non dicit tantum Augustinus rejici a se Cypriani

opinionem ob Ecclesiæ universæ auctoritatem ; sed dicit *non rejecissem nisi* me movisset illa totius Ecclesiæ seu plenarii concilii auctoritas : ergo non rejecisset, si sola intervenisset Romani Pontificis definitio. — Respondeo : dum dicit Augustinus : « Nec nos ipsi auderemus tale aliquid asserere, *nisi universæ Ecclesiæ auctoritate firmati*, » non excludit aliam æquivalentem auctoritatem, nempe papalis definitionis ; sed ita loquitur quia alludit ad id quod de facto contigerat. Decisa fuerat quæstio per plenarium concilium, et non per proprie dictam Romani Pontificis definitionem.

Unde sensus est : « Difficilis illa quæstio non fuit decisa « nisi per plenarium concilium ; siquidem antea nulla inter- « venerat Romani Pontificis proprie dicta definitio. Nisi ergo « pronuntiasset illud plenarium concilium, issem et ego in « sententiam Cypriani, et eam condemnare non auderem ; « quia nulla adhuc infallibilis auctoritas erroneam illam « edixisset. »

Confer hac de re Ballerinium (*de Vi ac Ratione primatus*, c. XIII, § 9). Nota insuper per citatum textum sancti Augustini, si nude sumatur, everti ipsiusmet concili œcumenici infallibilitatem. Dicit enim : *Non quia fieri non potuit ut in obscurissima quæstione verius pluribus unus paucive sentirent*. Et ibi agi de judicio *Ecclesiæ toto orbe diffusæ*, seu de concilio œcumenico, volunt Gallicani systematis propugnatores. Igitur hunc textum sibi contrarium habent, et benigne interpretari coguntur. Nos dicimus : vel ibi non agitur de proprie dicta concilii œcumenici sententia, sed dumtaxat *de opinione* generalius recepta ; et tunc revera contingere potest ut *unus* vel *pauci* recte sentiant, errantibus cæteris numero quamplurimis : vel intellexit Augustinus, erroneam esse posse *sententiam dogmaticam* a majori parte præsulum in concilio generali prolatam, et tunc verba hæc sancti doctoris prorsus rejicienda forent, utpote minus considerate dicta, et doctrinæ pluries alibi ab ipso traditæ adversantia.

Propositio XIX^a^. — *Sæculo* V *pro certa habitam fuisse Romani*

Pontificis in decernenda fide infallibilitatem, constat ex hæreticis Cœlestio et Pelagio. — In libello quem Cœlestius Zozimo Papæ obtulit, ita declarabat Cœlestius : *Si forte ut hominibus quispiam ignorantiæ error obrepsit, vestra sententia corrigatur* (apud S. Augustinum, *de Gratia et Peccato originali*, libro II, capite VI, n. 7, tomo X editionis Benedictinorum, col. 256). Id postquam retulit S. Augustinus, ita subjungit (citato loco, n. 8) : « Hanc ejus prælocutionem « venerabilis Papa Zozimus tenens, egit cum homine quem « falsæ doctrinæ ventus inflaverat, ut ea quæ illi a diacono « Paulino fuerant objecta damnaret, atque ut Sedis Aposto- « licæ litteris, quæ a sanctæ memoriæ suo prædecessore mana- « verant, præberet assensum. At ille noluit quidem diaconi « objecta damnare ; sed beati Papæ Innocentii litteris non est « ausus obsistere. Immo se *omnia quæ Sedes illa damnaret dam- « turum esse promisit.* » Exprimunt verba hæc omnimodam persuasionem de Sedis Apostolicæ in definienda fide inerrantia. Absone enim imo et impie quis promitteret *se damnaturum quidquid sedes illa damnabit*, si sedes illa posset damnare veram fidem seu in errorem et hæresim prolabi. Sed cur vir hæreticus ausus non est Sedis Apostolicæ decisionibus obsistere, et hanc emisit de hujus Sedis infallibilitate professionem ? Quia nempe certum apud omnes catholicos, et extra controversiam positum dogma erat necessitas concordandi in fide cum Romana Sede. Hoc dogma si negasset, statim pro non catholico ab omnibus habitus fuisset. Et cum adhuc tunc sese catholicum et hæreseos injuste accusatum prætenderet, suam cum Sedis Apostolicæ doctrina consensionem protestatus est. Unde cum Zozimus Papa eum sic interrogaret : « Illa omnia « damnas quæ jactata sunt de nomine tuo ? » ipse respondit : « *Damno secundum sententiam beatæ memoriæ præcessoris tui* « *Innocentii* » (S. Augustinus, *Contra duas epistolas Pelagianorum*, libro II, n. 6, editionis Benedictinorum tomo X, col. 435).

Non absimilis Pelagii agendi ratio. Libellus fidei, quem ad

Innocentium I misit, quique in extenso refertur inter sancti Augustini Opera (appendix ad tomum X, col. 96, editionis Benedictinorum), sic concluditur : *Hæc est fides, Papa beatissime, quam in Ecclesia catholica didicimus, quamque semper tenuimus et tenemus. In qua si minus perite aut parum caute aliquid forte positum est, emendari cupimus a te, qui Petri et fidem et sedem tenes ; sin autem hæc nostra confessio apostolatus tui judicio comprobatur, quicumque me maculare voluerit, se imperitum, vel malevolum, vel etiam non catholicum, non me hæreticum, comprobabit.* Notentur verba hæc : *Si parum caute aliquid positum est, emendari a te cupimus.* Suam ergo fidem Romani Pontificis judicio subjicit, et hoc faciendo nullum errorem sibi pertimescendum existimat. Seposita autem Innocentii I infallibilitate, vesana fuisset hæc tanta fiducia. Item notetur causa, cur sic omnimode confidat Romani Pontificis judicio : Quia, inquit, *Petri et fidem et sedem tenes.* Sensus obvius est : quia cum sis Romæ Episcopus, Petri fidem et sedem tenes, nec proinde errare potes. Sed potissimum notentur ultima verba : *Se non catholicum comprobabit* qui me errare contendet, *si hæc nostra confessio apostolatus tui judicio comprobetur.* Idem profecto est ac si diceret : Ille non est catholicus, qui prolatis a Romano Pontifice circa fidem decretis non adhæret. Jam vero si dogma de necessitate concordandi cum fide Romani Pontificis, seu (quod idem est) dogma de ipsius infallibilitate quoad fidem, fuisset tunc novum vel dubium apud catholicos, illud tam fortiter asserendo, causæ suæ non profuissent, sed nocuissent Pelagius et Cœlestius. Tanquam novus error eis imputatum a cæteris Episcopis fuisset, quod assererent catholicum non esse qui non concordat in fide cum Romano Pontifice, seu quod infallibilem contenderent Romæ Episcopum. Nedum autem quisquam tunc in hoc eos errasse objecerit finitam ipsorum causam, Romani Pontificis judicio, edicebat Augustinus : *Inde rescripta venerunt, causa finita est.* Consonant totius antiquitatis documenta ad eamdem testandam catholicorum persuasionem.

Objicies. — Perperam objiciuntur Cœlestius et Pelagius, cum sint hæretici.

Respondeo : Eos licet hæreticos, merito allegamus, siquidem eorum agendi ratio receptam probat ipsorum ævo doctrinam, de necessitate concordandi in fide cum Romano Pontifice.

At dici potest eos palpare voluisse Romano Pontifici, ut ejus gratiam sibi conciliarent.

Respondeo : Nisi firma fuisset catholicorum persuasio de Romani Pontificis in rebus fidei inerrantia, hac agendi ratione non sibi profuissent, ut dictum est. Præterea ipsorum accusatores ad Romanum Pontificem, causam ultimatim definiendam pariter referebant; sicque eamdem persuasionem profitebantur. Sane adulatoria fuisse Pelagii verba non existimavit Parisiensis Universitas, quæ eis usa est anno 1387, erga Clementem VII, quem pro legitimo Papa habebat, ut videre est infra inter testimonia sæculi decimi quarti.

Propositio XX^a^. — *Sæculo* v *pro certa habitam fuisse Romani Pontificis in decernenda fide infallibilitatem, constat ex S. Cyrillo, ex gestis concilii œcumenici Ephesini, et ex sancto Cœlestino Papa.*

1° Cœlestinum Papam rogavit S. Cyrillus ut ediceret, num discedendum esset a Nestorii communione : *Digneris igitur*, inquit, *nobis declarare quid tibi videatur; et utrum aliquando cum illo communicare oporteat; an libere denuntiare, neminem cum eo, qui talia sentit ac docet, communicare.* Tum ibidem affirmat Cyrillus, opus esse ut aliis etiam Episcopis suam hac de re sententiam Cœlestinus significet, *ut omnes uno animo in una sententia persistant* (apud Coustant, *Epistolæ Romanorum Pontificum*, inter Cœlestini epistolas, epistola I, n. 7, col. 1094, edit. Parisiensis 1721). Ibi supponit S. Cyrillus hanc esse vim Romani Episcopi circa fidem decretorum, ut *sentiendi unitatem* inter catholicos Episcopos producant ac determinent. Cur autem hanc eis decretis inesse vim credidit? Ideo sane quia obligatoria quoad omnes existimavit. Alio-

quin enim non magis efficacia ad dictam unitatem procurandam Romani Præsulis decreta æstimasset Cyrillus, quam cujuslibet alterius Episcopi. Aliunde autem hac vi præditas non reputasset Romani Pontificis sententias, si errori obnoxias eas credidisset.

2° In epistola sancti Cyrilli ad Joannem Antiochenum Episcopum, hæc ad rem faciunt : « Sancta Romana synodus di-
« sertam statim in illum sententiam tulit : qua de re et ad
« tuam quoque pietatem perscripsit. Horum proinde decreto
« modis omnibus *parendum est illis qui a totius Occidentis com-*
« *munione excidere noluerint... Nos enim sequemur quæ illi ju-*
« *dicaverunt. Veremur namque ne a tantorum communione ex-*
« *cidamus ;* qui non ob aliud indignantur, neque ob parvi
« momenti res commoti sunt, eamque sententiam tulerunt,
« sed propter ipsam fidem, universasque orbis terrarum tur-
« batas Ecclesias, et communem populi ædificationem » (in Actis concilii œcumenici Ephesini, parte I, capite XXI, apud Labbe, tomo III, col. 380, edit. Parisiis, 1671). Ibi satis aperte exprimitur obligatio *parendi* sententiæ Romanæ synodi contra Nestorium prolatæ. Equidem sententia hæc non fuit solius Cœlestini, sed Romanæ synodi ; et loquitur Cyrillus de omnium Occidentalium communione non deserenda. Sed huic decreto obligandi vim potissimum tribuebat, ob Romani Pontificis auctoritatem. Seclusa enim hac auctoritate, cui totius mundi præsules subesse debeant, cur Occidentalium potius judicia sequi debuissent Orientales Episcopi, quam Orientalium Occidentales? Præterea solius Cœlestini nomen præferebat epistola quam Cyrillus Joanni Antiocheno mittebat. Et in græco textu habetur, *nos enim ipsius sequemur judicia*, ἡμεῖς γὰρ τοις παρ' αὐτου ἀκολουθήσομεν κρίμασι; non autem, ut in versione, *nos enim sequemur quæ illi judicaverint.*

3° In sententia depositionis quam Ephesina synodus contra Nestorium pronuntiavit, sic habetur: « *Coacti* per sacros
« canones *et epistolam sanctissimi Patris nostri et comministri*
« *Cœlestini* Romanæ Ecclesiæ Episcopi, lacrymis subinde

« perfusi, ad lugubrem hanc contra eum sententiam neces-
« sario venimus. Igitur Dominus Noster, etc. » (actione I, circa medium ; apud Labbe, tomo III, col. 533, edit. Parisiis, 1671). *Coactos* se *per Cœlestini epistolam* declarant Ephesini Patres ad pronuntiandam contra Nestorium depositionis sententiam. Græce habetur : ἀναγκαίως κατεπειχθέντες, *necessario impulsi*. Non poterant se coactos existimare ad deponendum Nestorium, nisi simul se coactos agnoscerent ad damnandum ipsius errorem dogmaticum ; siquidem ob illum errorem eum deponebant. Ergo Cœlestini sententiam contra Nestorii errores obligatoriam reputarunt. Quod autem additur *per canones*, id referri non potest ad dogmaticum errorem Nestorii ; quia nulli exstabant de hoc errore canones ; sed refertur ad necessitatem deponendi eos Episcopos, qui in hæresim lapsi sunt. Probat ergo is synodi Ephesinæ loquendi modus omnimodam persuasionem de necessitate adhærendi decisionibus dogmaticis Romani Episcopi ; ita ut œcumenica etiam concilia eas sequi atque amplecti teneantur.

4° In epistola ad Joannem Antiochenum aliosque Orientis Episcopos directa, qua Cœlestinus pronuntiatam a se contra Nestorium sententiam significat, ita habetur : « Hanc de eo-
« dem Nestorio sciat sanctitas tua a nobis, imo a Christo Deo,
« latam esse sententiam ut, aut intra decem dies ex quo pri-
« mum monitus fuerit numerandos sacrilegas de Christi na-
« tivitate prædicationes suas scripta confessione condemnet,
« et se profiteatur fidem sequi quam Romana et Alexandrina
« et universalis servat Ecclesia, aut ab Episcoporum cœtu re-
« motus intelligat suam obfuisse perniciem » (apud Labbe, tomo III, col. 377, edit. Parisiis, 1671). Sic loquendo, manifestum sane facit Cœlestinus obligatoriam a se reputari suam contra Nestorium sententiam, atque infallibilem, cum illam perinde habeat ac si *a Christo Deo* pronuntiata fuisset. Quæ persuasio si tunc temporis non fuisset catholicorum animis insita et extra dubium posita, contradictionem procul dubio ex parte orthodoxorum præsulum passa fuisset. Nedum au-

tem ei contradixerint, se ea obstrictos ac *coactos* declararunt Ephesini Patres, ut modo vidimus. Nec objiciatur fuisse simul sententiam Romanæ synodi. Nam synodus illa, per se, id est seclusa Romani Pontificis in ea pronuntiantis inerrantia, infallibilis non fuisset, utpote particularis dumtaxat synodus, et non œcumenica.

In eadem epistola (loco citato, col. 376) de excommunicatis a Nestorio sic pronuntiatur : « Si quis vero aut ab Episcopo « Nestorio aut ab aliis qui eum sequuntur ex quo talia prædi- « care cœperunt, vel excommunicatus, vel exutus seu antis- « titis seu clerici dignitate, hunc in nostra communione et « durasse et durare manifestum est. » Quasi nempe ejusmodi excommunicatis diceret, nihili ab ipsis faciendas ejusmodi excommunicationes, cum in communione Romani Pontificis permaneant. Ex quo iterum manifesta fit generalis illorum temporum persuasio, esse catholicos qui cum Romano Pontifice in fide concordant ac communicant, non esse catholicos qui dissident.

5° In Ephesino synodo sic locutus est Philippus, unus e legatis Romani Pontificis : « *Dudum* quidem sanctissimus bea- « tissimusque Papa noster Cœlestinus, Sedis apostolicæ Epis- « copus, per suas epistolas ad Cyrillum sanctum virum ac « piissimum Ecclesiæ Alexandrinæ Episcopum, *de præsenti « hac causa et negotio definivit;* quæ litteræ sacro vestro con- « ventui sunt exhibitæ. Et nunc alias rursum ad corroboratio- « nem fidei catholicæ, ad vestram omnium pietatem per nos « misit litteras, quas a nobis exhibitas decenter sanctæ synodo « jubete legi » (apud Labbe, tomo III, col. 611, edit. Parisiis 1671).

In his autem ad Ephesinum concilium litteris, ita declarat Cœlestinus Papa : « Direximus pro nostra sollicitudine sanc- « tos fratres et consacerdotes nostros, unanimes nobis et pro- « batissimos viros, Arcadium et Projectum Episcopos, et Phi- « lippum presbyterum nostrum, qui iis quæ aguntur inter- « sint, et *quæ a nobis antea statuta sint exequantur*. Quibus

« præstandum a vestra sanctitate non dubitamus assensum, « quando id quod agitur videatur pro universalis Ecclesiæ « securitate decretum » (apud Labbe, tomo III, col. 618, edit. Parisiis 1671).

Lectis in Concilio his Cœlestini litteris, Projectus ejus legatus dixit : « Litterarum sancti venerandique Papæ Cœlestini « Episcopi *formam* vestra sanctitas consideret : qui sanctitatem « vestram hortatus est, non quasi ignorantem docens sed tan- « quam gnaram commonefaciens, ut *ea quæ et dudum antea « definire, et nunc in memoriam revocare dignatus est*, juxta « communis fidei regulam catholicæque Ecclesiæ utilitatem, « ad finem numeris omnibus absolutum deduci jubeatis » (apud Labbe, tomo III, col. 618, edit. Parisiis, 1671).

Postea sic locutus est Firmus Cæsareæ Cappadociæ Episcopus : « Apostolica et sancta Sedes Cœlestini sanctissimi Epis- « copi, per litteras quas ad religiosissimos Episcopos, ad « Cyrillum, inquam, Alexandrinum, et Juvenalem Hierosoly- « mitanum, et Rufum Thessalonicensem, necnon ad sanctas « Constantinopolis et Anthiochiæ Ecclesias misit, *etiam ante « de præsenti negotio sententiam regulamque præscripsit; quam « nos quoque secuti... formam illam executioni mandavimus*, « canonicum apostolicumque judicium in illum (*in Nestorium*) « proferentes » (apud Labbe, tomo III, col. 618, edit. Parisiis, 1671).

Philippus presbyter et Apostolicæ sedis legatus dixit : « Gratias agimus sanctæ venerandæque synodo, quod litteris « sancti beatique Papæ nostri vobis recitatis, sancta membra, « sanctis vestris vocibus, sancto capiti, sanctis etiam vestris « exclamationibus, vos adjunxeritis. Non enim ignorat vestra « beatitudo, *totius fidei vel etiam apostolorum caput esse bea- « tum Apostolum Petrum...*

Theodorus Ancyræ Episcopus dixit : « *Justam esse sanctæ « synodi sententiam demonstravit universorum Deus per litteras « Cœlestini religiosissimi Episcopi* » (apud Labbe, tomo III, col. 619, edit. Parisiis, 1671).

Et tandem declarant Ephesini Patres, *coactos se per Cœlestini epistolam*, ad pronuntiandam contra Nestorium sententiam devenire (apud Labbe, tomo III, col. 533, edit. Parisiis, 1671).

Porro ex hisce omnibus apertissime liquet, causam *pro finita* habitam ab omnibus fuisse, vi solius sententiæ a Cœlestino ante Ephesinam synodum pronuntiatæ. Accessit œcumenici concilii Ephesini sententia, non ut judicium Cœlestini Papæ synodus judicaret, sed ut ei publice ac notorie adhærendo plenæ decreti pontificii executioni consuleretur. Suos legatos ad Concilium mittit Cœlestinus *ut exequantur* quæ ab ipso jam *statuta fuerant*. De *hac causa jam definivisse* Cœlestinum admonet unus e legatis. Alter dicit attendendam esse litterarum Cœlestini *forman*, juxta quam commonetur synodus ut *dudum a Cœlestino definita ad absolutum finem deduci* procuret. Unus e Patribus dicit, Patres secutos *sententiam regulamque* a Cœlestino *præscriptam*, et *formam illam executioni mandasse*. Alter dicit, justam probari sententiam synodi *per sententiam Cœlestini*, cum contrarium procul dubio dixisset, nempe sententiam Cœlestini justam probari per sententiam synodi, si juxta gallicanum systema fallibilem in decernenda fide Romanum Episcopum existimasset. Et tandem omnes Patres *coactos* se fatentur per pronuntiatum jam a Cœlestino judicium. Agnitus ergo Romanus Pontifex tanquam *caput fidei*, ut eum vocavit in plena synodo Philippus Cœlestini legatus, et agnita ejus auctoritas in ferendis fidei definitionibus quibus omnes assentire teneantur, quæque proinde errori obnoxiæ nunquam esse possint.

Propositio XXI[a]. — *Sæculo* v *pro certa habitam fuisse Romani Pontificis in decernenda fide infallibilitatem, constat ex auctore capitulorum de gratia inter Cœlestini Papæ epistolas inseri solitorum.* — Inseri solent hæc capitula post epistolam sancti Cœlestini I ad Gallicanos Episcopos (apud Labbe, tomo II, col. 1614, edit. Parisiis, 1761). Auctorem alii volunt S. Cœlestinum, alii S. Leonem Magnum. Ballerinio probabilius est

auctorem fuisse S. Prosperum (*de Vi ac Ratione primatus*, c. XIII, § 11, n. 62). Quod autem sæculo V recentius non sit documentum istud pro certo habent eruditi. Inscribuntur ista capitula : *Præteritorum Sedis apostolicæ Episcoporum auctoritates de gratia Dei et libero voluntatis arbitrio.* Per *auctoritates* intellexit scriptor, prout ex toto contextu patet, varias Romanorum Pontificum dogmaticas decisiones, quas etiam vocat *sententias* seu *regulas*. Sub finem, de iis pontificiis decisionibus dicitur : *Ut prorsus non opinemur catholicum, quod apparuit præfixis sententiis esse contrarium.* Qui hæc scripsit profecto infallibiles existimavit in decernenda fide Romanos Pontifices. Si enim errori obnoxiæ forent Pontificiæ illæ decisiones, immerito pro *non catholicis* haberentur qui iisdem decisionibus non consentiunt.

Propositio XXII[a]. — *Sæculo* V *pro certa habitam fuisse Romani Pontificis in decernenda fide infallibilitatem, constat ex epistola Sixti III ad Joannem Antiochenum.* — Nestorio primum faverat Joannes Antiochenus Episcopus, et hac de causa fuerat a catholica communione segregatus. Postmodum vero cum Nestorium hæreticum et legitime depositum declarasset, et in communionem catholicam receptus fuisset, ad ipsum litteras direxit Sixtus III (anno 432 Pontifex factus), in quibus hæc inter alia legere est : « Expertus es negotii præsentis eventu « *quid sit sentire nobiscum.* Beatus Petrus Apostolus *in succes-* « *soribus suis, quod accepit, hoc tradidit.* Quis *ab ejus se velit* « *separare doctrina, quem ipse,* inter Apostolos primum magis- « ter, *edocuit?* Non hunc auditus per alterum, non sermo « lectus instruxit. Doctus est cum aliis ore doctoris. Non scrip- « turæ, non scriptorum passus est quæstionem. *Absolutam et* « *simplicem fidem, et quæ controversiam non haberet accepit* » (Labbe, tomo III, col. 1261, edit. Parisiis 1671). Nimirum ut palam faciat Sixtus III quam necesse sit *sentire cum Romano Pontifice*, declarat quid sit hoc modo sentire. Est nempe habere *illam ipsam fidem* quam Beatus Petrus ab ore Christi accepit, et quam per successores suos Romanos Pontifices

tradit; fidem scilicet *absolutam* et *quæ controversiam non habet;* ita ut tam necesse sit tenere fidem Romani Pontificis, quam fidem a Christo traditam. Clarius sane asseri non poterat Romani Pontificis in edocenda vera fide infallibilitas. « Ubi « obiter notanda (ait ad hunc textum Pater Coustant) vis ar- « gumenti, quo Sixtus ab Sedis apostolicæ doctrina disce- « dendum non esse probat : quia nimirum hæc ipsissima est « doctrina, quam non ex incerta hominum relatione, aut ex « libris obscuris et ambigue scriptis, sed ex primario verita- « tis fonte, hoc est ex ipso Christi ore, accepit Petrus, et « exinde Ecclesiæ suæ servandam impertiit. Unde sequitur « absolutam, simplicem et controversiæ expertem esse Apos- « tolicæ sedis fidem » (*Epistolæ Romanorum Pontificum*, in præ- fatione, n. 36).

Propositio XXIII^a^. — *Sæculo* v *pro certa habitam fuisse Romani Pontificis in decernenda fide inerrantiam, constat ex sancto Leone Magno.* — Creatus est Pontifex Leo I anno 420. In epistola ad Episcopos provinciæ Viennensis (apud Labbe, epistola LXXXIX, tomo III, col. 1396, edit. Parisiis, 1671), agens de munere prædicationis apostolis commisso, ita disserit : « Sed hujus « muneris sacramentum ita Dominus ad omnium Apostolo- « rum officium pertinere voluit, ut id in beatissimo Petro « Apostolorum omnium summo, principaliter collocaret; « atque ab ipso, quasi quodam capite, dona sua vellet in cor- « pus omne manare; ut *exsortem se mysterii intelligeret esse « divini, qui ausus fuisset a Petri soliditate recedere.* Hunc enim « in consortium individuæ unitatis assumptum, id quod ipse « erat voluit nominari, dicendo : *Tu es Petrus et super hanc « petram ædificabo Ecclesiam meam;* ut æterni ædificatio tem- « pli, mirabili munere gratiæ Dei, *in Petri soliditate consis- « teret.* »

In sermone de Passione Domini (LXII, alias LX, capite II; tomo I, col. 134, editionis Lugdunensis, 1700) : « Ut ad regi- « men totius Ecclesiæ præparatus, primum disceret quod « doceret, et *pro soliditate fidei* quam erat prædicaturus, au-

« diret : *Tu es Petrus et super hanc Petram ædificabo Ecclesiam « meam et portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* »

In sermone anniversario tertio assumptionis suæ ad summum Pontificatum, capite II (tomo I, pag. 53, editionis Lugdunensis, 1700) : « *Et ego*, inquit, *dico tibi :* hoc est, sicut « Pater meus tibi manifestavit divinitatem meam, ita et ego « tibi notam facio excellentiam tuam ; *quia tu es Petrus ;* id est, « cum ego sim inviolabilis petra, ego lapis angularis qui fa- « cio utraque unum, ego fundamentum præter quod nemo « potest aliud ponere ; tamen tu quoque petra es, quia mea « virtute solidaris ; ut quæ mihi potestate sunt propria, sint « tibi mecum participatione communia. *Et super hanc petram « ædificabo Ecclesiam meam*, et *portæ inferi non prævalebunt « adversus eam.* Super hanc, inquit, fortitudinem æternum « extruam templum ; et Ecclesiæ meæ cœlo inferenda subli- « mitas, *in hujus fidei firmitate consurget.* »

In eodem sermone, capite III : « Commune erat omnibus « apostolis periculum de tentatione formidinis, et divinæ pro- « tectionis auxilio pariter indigebant, quoniam diabolus om- « nes exagitare, omnes cupiebat elidere. Et tamen specialis a « Domino Petri cura suscipitur, et *pro fide Petri* proprie sup- « plicatur ; tanquam aliorum status certior sit futurus, si « mens principis victa non fuerit. In Petro ergo omnium for- « titudo munitur ; et divinæ gratiæ ita ordinatur auxilium, « ut firmitas, quæ per Christum Petro tribuitur, per Petrum « Apostolis conferatur. »

In sermone anniversario quarto assumptionis suæ ad summum Pontificatum, capite IV (sermone V, alias IV, tomo I, pag. 55, editionis Lugdunensis 1700) : « Subjungit autem se « ad rationem solemnitatis nostræ, non solum apostolica, « sed etiam episcopalis beatissimi dignitas Petri, qui sedi « suæ præesse non desinit, et indeficiens obtinet cum æterno « sacerdote consortium. *Soliditas enim illa*, quam de petra « Christo ipse petra factus accepit, *in suos quoque se transfu- « dit hæredes.* »

In sermone anniversario secundo assumptionis suæ ad summum Pontificatum, capite II (sermone III, alias II, tomo I, p. 51, editionis Lugdunensis 1700) : « Quamvis ergo, dilectissimi, « nos ad explendam nostri officii servitutem et infirmi inve- « niamur et segnes... habentes tamen incessabilem propitia- « tionem omnipotentis et perpetui sacerdotis... de ipsius « constitutione gaudemus... de cujus principali æternoque « præsidio etiam apostolicæ opis munimen accepimus, quod « utique ab opere suo non vacat. Et firmitas fundamenti cui « totius Ecclesiæ superstruitur altitudo, nulla incumbentis « sibi templi mole lacessit. *Soliditas enim illius fidei* quæ in « apostolorum Principe est laudata, *perpetua est;* et sicut « permanet quod in Christo Petrus credidit, ita permanet « quod in Petro Christus instituit. »

In eodem sermone, capite III : « Manet ergo dispositio ve- « ritatis, et *beatus Petrus* in accepta fortitudine petræ perse- « verans, *suscepta Ecclesiæ gubernácula non reliquit*... Si quid « itaque a nobis recte agitur recteque discernitur... illius est « operum atque meritorum, cujus *in sede sua vivit potestas et « excellit auctoritas*... Tanta enim divinitus soliditate munita « est (fides Petri), ut eam neque hæretica unquam perrum- « pere pravitas nec pagana potuerit superare perfidia. Ilis « itaque modis, dilectissimi, rationabili obsequio celebratur « hodierna festivitas, ut in persona humilitatis meæ ille in- « telligatur, ille honoretur, in quo et omnium pastorum « sollicitudo cum commendatarum sibi ovium custodia per- « severat, et cujus etiam dignitas in indigno hærede non « deficit. »

Ex istis sancti Leonis textibus hæc colligenda veniunt :

1° Persuasum habuit sanctus Leo verba hæc Christi, *super hanc petram*, intelligenda esse de beato Petro apostolo; ita ut apostolus ille constitutus revera fuerit *fundamentum* seu *petra fundamentalis* Ecclesiæ.

2° Item persuasum habuit beatum Petrum, per *soliditatem fidei* quam prædicaturus erat, seu ratione *hujus soliditatis*,

dictum et constitutum fuisse fundamentalem Ecclesiæ petram. Constat ex citatis verbis, *pro soliditate fidei quam erat prædicaturus... super hanc fortitudinem æternum extruam templum, et Ecclesiæ meæ cœlo inferenda sublimitas in hujus fidei firmitate consurget*, etc.

3° Item persuasum habuit fidem a beato Petro prædicatam, ex divino munimine, nulli prorsus errori obnoxiam, seu vere ac proprie infallibilem fuisse. Docet siquidem hanc principis Apostolorum *fidei soliditatem* esse petram, *contra quam portæ inferi non prævalebunt;* et esse *divini mysterii exsortem*, id est, extra salutis viam, qui audet *a Petri soliditate recedere.*

4° Nec minus aperte docet sanctus Leo, hanc *soliditatem fidei* a beato Petro prædicatæ, seu hanc in docenda fide infallibilitatem ad ipsius successores Romanos Pontifices transisse. « Soliditas enim illa, inquit, quam de petra Christo ipse « petra factus accepit, *in suos quoque se transfudit hæredes;* « *soliditas enim illius fidei* quæ in apostolorum principe est « laudata, *perpetua est;* et... *permanet quod in Petro Christus* « *instituit.* Beatus Petrus, *in accepta fortitudine petræ perseve-* « *rans*, suscepta Ecclesiæ gubernacula *non reliquit.* » Notetur etiam locus ubi dicit sanctus Leo, in sede Petri vivere ejusdem Petri potestatem et auctoritatem : *Cujus in sede sua vivit potestas et excellit auctoritas.* Item locus ubi dicit, *tanta soliditate divinitus munitam fuisse* fidem Petri, ut eam hæresis aut pagana perfidia *nunquam potuerit perrumpere nec superare;* quæ verba ad hæreses etiam post obitum sancti Petri exortas aperte referuntur; ac proinde intelligenda sunt de fide Petri in ipsius etiam successoribus perseverante. Item locus ubi dicit sanctus Leo, in se, quamvis indigno hærede, Petri *dignitatem non deficere.*

Nisi infallibilitatis privilegium in prædicanda fide ad Petri etiam successores Romanos Pontifices transisset, omnia hæc sancti Leonis asserta prorsus falsa forent et absona. Falsum esset soliditatem fidei Petri *ad ipsius hæredes sese transfu-*

disse : falsum, soliditatem fidei Petri *perpetuam esse*, et beatum Petrum suscepta Ecclesiæ gubernacula *non reliquisse :* falsum, in Sede Romana *vivere Petri potestatem et auctoritatem :* falsum ex *solidata fide Petri* provenire, quod Sedis Romanæ fides nunquam errore ac hæresi maculata fuerit : falsum in Romanis Pontificibus, Petri hæredibus, *non deficere Petri dignitatem :* falsa tandem assertio, *Petrus sedi suæ præesse non desinit;* et falsa ratio in hujus assertionis probationem adducta, *soliditas enim illa in suos quoque se transfudit hæredes.* Qui sancti Leonis Magni loquendi modus, non tantum probat indubitatam ipsi fuisse Romani Pontificis quoad dogmatica decreta infallibilitatem, sed eamdem etiam apud catholicos persuasionem viguisse. Non enim adeo certam et extra controversiam positam ejusmodi infallibilitatem supponere et asserere ausus fuisset, si vel novam, vel disceptationibus obnoxiam hancce doctrinam Orientis et Occidentis Ecclesiæ existimassent.

Propositio XXIV[a]. — *Sæculo* v *pro certa habitam fuisse Romani Pontificis in decernenda fide infallibilitatem, constat ex Theodoreto.* — Theodoretus Cyri in Palestina Episcopus constitutus est anno 423. Postquam contra ipsum quatenus Nestorianæ hæresi faventem, pronuntiata fuisset sententia, recursum instituit ad S. Leonem Romanum Pontificem, directa ad ipsum epistola (quæ est inter Leonianas LII, col. 997, in editione Ballerinorum; et habetur tomo I, pag. 266, editionis Lugduni, 1700), in qua sic occurrit : « Si Paulus præco « veritatis, tuba Spiritus sancti, ad magnum Petrum se con- « tulit, ut iis, qui Antiochiæ de legali conversatione ambige- « bant, explicationem ab illo referret; multo magis nos hu- « miles et pusilli ad Apostolicam Sedem vestram accurrimus, « ut Ecclesiarum ulceribus remedium a vobis accipiamus. « Vos enim primas in omnibus tenere convenit. Multis siqui- « dem prærogativis ornatur sedes vestra... Habet præterea « (scilicet urbs Roma) communium patrum magistrorumque « veritatis Petri et Pauli sepulcra, fidelium animas illumi-

« nantia... Supplices oramus sanctitatem tuam ut tempestate « jactatis Dei Ecclesiis opem ferat... Nos autem hic (Alexan- « drinus Episcopus) triginta mansionibus distantes condem- « navit ut voluit... At ego Apostolicæ vestræ sedis expecto « sententiam, et oro atque obtestor sanctitatem tuam ut mihi « rectum ac justum tribunal vestrum invocanti opem ferat, « jubeatque ad vos venire, et doctrinam meam Apostolicis « vestigiis inhærentem ostendere... Ante omnia ut a vobis « docear oro, an me oporteat in hac injusta depositione « acquiescere, an non : vestram enim sententiam expecto. « Quod si in judicatis manere me jusseritis, manebo, neque « ulli hominum deinceps molestus ero, sed rectum Dei sal- « vatorisque nostri judicium expectabo. »

Agitur hic de causis ad fidem pertinentibus. Asserit autem Theodoretus et certum supponit a *Romano Pontifice accipiendum esse remedium Ecclesiarum ulceribus.* Id vero non diceret nisi infallibilem in judiciis de fide existimaret Romanum Episcopum. Si enim fallibilis sit, ipsius judicia nequaquam poterunt Ecclesiarum ulcera sanare; nec est cur ad eum recurratur ut *tempestate jactatis Dei Ecclesiis opem ferat.* Item ibi supponit Theodoretus Romanum Pontificem, supremum esse controversiarum judicem, quod idem est ac infallibilem in fide eum supponere.

Propositio XXV^a^. — *Sæculo* v *viguisse de Romani Pontificis infallibilitate persuasionem, constat ex epistola synodica Episcoporum Galliæ ad S. Leonem Magnum.* — In hac epistola, cui subscripserunt Episcopi Gallicani XLIII, et quæ habetur inter epistolas sancti Leonis (tomo III Operum, editionis Romanæ Cacciari, 1755, pag. 272) attendenda potissimum verba ista : « Quæ apostolatus vestri scripta, *ita ut symbolum fidei*, quisquis redemptionis sacramenta non negligit, tabulis cordis adscribit, et tenaci, quo ad confundendos hæreticorum errores paratior sit, memoriæ commendavit. »

Scripta autem de quibus ibi loquuntur Gallicani Episcopi, sunt eæ litteræ quas sanctus Leo ad Orientem *pro catholicæ*

fidei assertione miserat, quasque Gallicanis præsulibus communicaverat, prout initio epistolæ suæ dicunt iidem Galliæ antistites. Porro dum ita loquuntur dicti Episcopi, palam faciunt suam de Romani Pontificis infallibilitate persuasionem. Qui enim Romani Pontificis definitiones habent *ut symbolum fidei*, eas procul dubio infallibiles censent.

Propositio XXVI[a]. — *Sæculo* v *pro certa habitam fuisse Romani Pontificis infallibilitatem, constat ex gestis in Chalcedonensi œcumenica synodo, et epistola qua S. Leo Magnus Eutychem damnaverat.*

I. Sanctus Flavianus, Constantinopolitanus Episcopus, coacto concilio, Eutychem tanquam hæreticum damnaverat. Appellavit Eutyches ad S. Leonem; ad quem etiam retulit Flavianus de iis quæ contra Eutychem peracta fuerant; orans simul ut dignaretur Leo *per propria scripta* damnationem contra eumdem Eutychem decernere. Tum ita subjungit Flavianus : *Causa enim eget solummodo vestro solatio atque defensione, qua debeatis consensu proprio ad tranquillitatem et pacem cuncta perducere. Sic enim hæresis quæ surrexit, et turbæ quæ propter eum factæ sunt, facillime destruentur, Deo cooperante, per vestras sacratissimas litteras. Removebitur autem et concilium, quod fieri divulgatur, quatenus nequaquam ubique sanctissimæ turbentur Ecclesiæ* (apud Labbe, tomo IV, col. 14 et 15, edit. Parisiis, 1671). Nisi obligatoria existimasset Flavianus Romani Pontificis decreta circa fidem, non dixisset sufficere judicium Leonis ejusque litteras, ut exorta hæresis et factæ turbæ *facillime destruerentur*, et *cuncta ad pacem perducerentur*, nec putasset opus non esse concilio. Persuasum ergo habuit per Sedis Apostolicæ judicia definitive dirimi fidei causas : esse proinde judicia hæc infallibilia.

II. Edidit Sanctus Leo epistolam dogmaticam, ad Flavianum directam, qua Eutychetis errores damnavit (quam vide in Actis concilii œcumenici Chalcedonensis, actione 2, apud Labbe, tomo IV, col. 344, edit. Parisiis, 1671). Sed ante pontificium hujusmodi decretum, synodum jam Ephesi indixerat

Theodosius imperator. Scripsit ad imperatorem S. Leo : « Quamvis ad diem concilii episcopalis quem pietas vestra « constituit, occurrere me ratio nulla permittat..., præsertim « cum tam evidens fidei causa sit, ut rationabilibus causis ab « indicenda synodo fuisset abstinendum; tamen in quantum « dominus juvare dignatur, meum studium commodavi, ut « clementiæ vestræ statutis aliquatenus pareatur, ordinatis « hinc fratribus meis, qui amputandis scandalis pro causæ « æquitate sufficiant, quique præsentiæ meæ impleant vicem » (apud Labbe, tomo IV, col. 37, edit. Parisiis, 1671). Ephesina synodus in latrocinium versa est. Cum autem Theodosio imperatori successisset Marcianus, Episcopi in toto Oriente sancti Leonis epistolæ subscripserunt. Nihilominus, ut rei catholicæ magis consuleretur, indicendam novam synodum duxit Marcianus. In cujus litteris notatu digna sunt verba hæc : *Tuam sanctitatem principatum in episcopatu divinæ fidei possidentem* (apud Labbe, t. IV, col. 62, edit. Parisiis, 1671). In synodi celebrationem assensit S. Leo, ea tantum de causa, ne imperatoris *devoto obviare videretur imperio*, utque omnia, *ad unitatem pacis, compressa omni dissensione revocarentur* (Operum S. Leonis, epistola LXXXIX, alias LXIX). Insuper ad eumdem imperatorem scripsit S. Leo : « Ne cujusquam pro- « caci impudentique versutia *quasi de incerto* quid sentien- « dum sit sinatis inquiri » (epistola LXXXII, alias LXII, cap. I). Atque ibidem, capite II : « Non cujusmodi sit fides tenenda « tractandum est, sed quorum precibus et qualiter annuen- « dum. » Similiter epistola XC (alias LXXIII), Marcianum rogat ne pateretur fidem *quasi dubiam* in synodo *retractari;* quod in aliis item epistolis inculcat.

Ad patres autem Chalcedonensis concilii : « Nunc in vica- « riis meis adsum, et jamdudum in fidei catholicæ prædica- « tione non desum : ut qui non potestis ignorare quid ex an- « tiqua traditione credamus, non possitis dubitare quid « cupiamus. Unde, fratres carissimi : *rejecta penitus audacia* « *disputandi contra fidem divinitus inspiratam*, vana errantium

« infidelitas conquiescat : *Nec liceat defendi, quod non licet*
« *credi; cum... plenissime et lucidissime per litteras, quas ad*
« *beatæ memoriæ Flavianum Episcopum misimus, fuerit decla-*
« *ratum, quæ sit* de sacramento incarnationis Domini nostri
« Jesu Christi pia et *sincera confessio.* »

Jam antea, in epistola ad illam Ephesinam synodum, quæ postmodum in latrocinium versa est, ita scripserat S. Leo : « Verum quia... christianissimus imperator haberi voluit « episcopale concilium, ut pleniore judicio omnis possit er- « ror aboleri; fratres nostros Julium Episcopum, Renatum « presbyterum et..., misi; qui vice mea sancto conventui ves- « træ fraternitatis intersint, et communi vobiscum sententia « quæ Domino sint placitura constituant : *Hoc est, ut pri-* « *mitus pestifero errore damnato, etiam de ipsius qui impru-* « *denter erravit restitutione tractetur* » (Operum S. Leonis, epistola XXXIII, alias XXIX).

Palam faciunt citata facta et dicta, quid senserit S. Leo de valore suæ contra Eutychianos errores sententiæ, antequam ei assensum præbuisset œcumenica synodus. Habuit nempe judicium istud a se pronuntiatum tanquam omnino obligatorium et irreformabile. *Cum per litteras*, inquit, *quas ad Flavianum misimus, plenissime fuerit declaratum quæ sit de sacramento incarnationis sincera confessio, rejecta penitus audacia disputandi, errantium infidelitas conquiescat, nec liceat defendi quod non licet credi.* Et fit intimatio hæc a S. Leone synodi œcumenicæ Patribus. Non ergo liberum Patribus existimavit aliter judicare, aut Sedis Apostolicæ definitionem in dubium vocare; quod tamen licitum fuisset, si Romanus Pontifex in decernenda fide non foret infallibilis. Eamdem etiam infallibilitatis prærogativam satis aperte exprimit Marcianus, dum asserit, a Romano Pontifice *possideri divinæ fidei principatum.*

Objicies. — Non consensisset Leo celebrandæ synodo ad hanc causam dirimendam, si jam pro finita per suum solum decretum causam eamdem habuisset.

Respondeo : Non consensit synodi celebrationi, ut decretum suum a synodo tanquam incertum aut dubium discuteretur : id citata ipsius verba probant ; sed ut jam quoad omnes obligatorium, a synodo publice ac solemniter tale declararetur et contra refragantes synodaliter procederetur. Consensit, ut *omnis dissensio comprimeretur.*

Instabis. — Dicit ipse Leo indictum fuisse concilium, *ut pleniore judicio omnis possit error aboleri :* ergo supponit per solum Romani Pontificis judicium non posse omnem errorem aboleri, seu fidem infallibiliter definiri; sed opus esse concilio œcumenico.

Respondeo : Non dixit S. Leo, indici concilium ut quæstio de fide *possit definitive ac infallibiliter dirimi*, sed *ut possit omnis error aboleri;* quod valde diversum est. Quamvis enim per pronuntiatam a Romano Pontifice sententiam causa finita sit, tamen non cessant hoc ipso errantes qui damnatam hæresim sustineant; sicut nec cessant necessario post synodi œcumenicæ decretum. Ast ad ipsos confundendos ac percellendos multum prodest œcumenici concilii solemnitas. Et hic est sensus verborum, *ut omnis error possit aboleri.* Cum scilicet, accedente concilii œcumenici assensu, Romani Pontificis hæresim damnantis sententia multo majore solemnitate, publicitate ac notorietate donetur, facilius reducuntur populi quos seductio in transversum egerat. Eo vel magis quod quandoque ideo tantum in errore detineantur, quod ad ipsos, obstantibus variis machinationibus, certa notitia de Pontificio decreto hæresim damnante non perveniat.

III. Sic habetur in concilio Chalcedonensi, sub finem actionis secundæ (apud Labbe, tomo IV, col. 368, edit. Parisiis, 1671), in qua lecta fuerat sancti Leonis epistola dogmatica ad Flavianum :

« Post lectionem autem prædictæ epistolæ, reverendissimi Episcopi clamaverunt : hæc patrum fides, hæc apostolorum fides. Omnes ita credimus, orthodoxi ita credunt, anathema ei qui ita non credit. *Petrus per Leonem ita locutus est.* » Et

paulo post : « Omnes ita credimus; sicut Leo ita credimus; nostrum nullus dubitat : nos jam subscripsimus. »

Sub initium ejusdem actionis secundæ, cum postulassent judices ut expositionem fidei Patres ederent : « Reverendis- « simi Episcopi clamaverunt : expositionem alteram nullus « facit, neque tentamus neque audemus exponere. Docue- « runt enim Patres, et in scriptis custodiuntur quæ ab eis « sunt exposita, et citra ea dicere non possumus. Cecropius « reverendissimus Episcopus, Sebastopolitanus dixit : Emer- « serunt quæ ad Eutychen pertinebant; et *super iis forma data* « *est a sanctissimo Archiepiscopo Romanæ urbis; et sequimur* « *eum, et epistolæ omnes subscripsimus*. Reverendissimi Epis- « copi clamaverunt : Ista omnes dicimus : sufficiunt quæ ex- « posita sunt; *alteram expositionem non licet fieri* » (apud Labbe, t. IV, col. 337, edit. Parisiis, 1671).

Sub finem hujus actionis secundæ, *dubitantibus Episcopis Illyricianis et Palestinis*, concessum est ut cum eis agerent nonnulli e Patribus, ad *edocendos* eos et *persuadendos* : « Non « est necessarium omnes vos convenire. Sed quia conveniens « est omnibus dubitantibus persuadere, Anatolius eligat de « his qui subscripserunt, quos putaverit idoneos esse ad « docendum eos qui dubitant » (loco cit., col. 369).

Tandem in actione quarta clamaverunt Patres : Qui *non consentit epistolæ sanctissimi Episcopi Leonis, hæreticus est.*

Ex iis documentis sic colligere est : Dogmaticam S. Leonis definitionem habuerunt Chalcedonensis concilii Patres tanquam obligatoriam fidei regulam, de qua non licuerit etiam in concilio œcumenico velut de re dubia disceptare. Item agnoverunt *Petrum per Leonem esse locutum*. Porro ita sentire, idem est ac Romani Pontificis in decernenda fide inerrantiam agnoscere. Si enim errori obnoxia forent dogmatica Sedis Apostolicæ decreta, immerito et absone pro obligatoria fidei regula haberentur.

IV. Sic habetur in *relatione* synodi ad Leonem Papam (apud Labbe, tomo IV, col. 833, edit. Parisiis, 1671) : « Quam veluti

auro textam seriem, ex veste Christi et præcepto legislatoris venientem usque ad nos ipse servasti, *vocis beati Petri omnibus constitutus interpres* (πᾶσι τῆς τοῦ μακαρίου Πέτρου φωνῆς ἑρμηνεὺς καθιστάμενος), ejus fidei beatificationem super omnes adducens... Et eramus in communi corona gaudii, deliciis spiritualibus epulantes, quas *per tuas litteras Christus præparaverat invitatis.* »

Paulo infra, ubi Dioscori attentata referunt Patres, hæc inter alia ejus scelera memorant : « Insuper et contra ipsum, *cui vineæ custodia a Salvatore commissa est*, extendit insaniam ; id est, contra tuam quoque Apostolicam sanctitatem » (ibidem, col. 836).

Nec omittenda verba hæc : « Tu quidem, *sicut membris caput*, præeras in his qui tuas vices gerebant » (ibid., col. 833).

Dum ibi Chalcedonensis concilii Patres Romanum Pontificem agnoscunt et declarant, vocis seu fidei Petri *omnibus constitutum interpretem ;* item dum *per ejus litteras* paratas *a Christo* spirituales escas fatentur ; item dum ei *a Christo vineæ custodiam commissam* asserunt ; et tandem dum eum *capitis*, se autem *membrorum* nomine designant, hoc ipso apertissime docent ad Romanum Pontificem pertinere supremum in fidei quæstionibus judicium, et ab omnibus tenendam esse fidem Petri, seu Christi, prout eam interpretatur Romanus Pontifex. Quod si errare posset, absone diceretur *fidei Petri omnibus interpres constitutus.* Igitur infallibilem eum Patres Calchedonenses agnoverunt.

V. Ad rem facit alius textus, de quo sic d'Aguirre (*Defensio cathedræ S. Petri*, tract. I, disput. VIII, n. 57, pag. 77, edit. Salmanticæ, 1683) : « Denique huc spectat aliud insigne testimonium ejusdem concilii Chalcedonensis, quod licet nunc in vulgatis ejus exemplaribus non appareat, olim abs dubio extabat ; ideoque a sancto Thoma fideliter allegatur in opusculo contra errores Græcorum, hisce verbis : *Veneramur secundum Scripturas et canonum definitionem, sanctissimum*

antiquæ Romæ Episcopum, primum et maximum omnium Episcoporum... Si quis Episcopus prædicatur infamis, liberam habeat sententiam apellandi ad beatissimum Episcopum antiquæ Romæ; quia habemus Petrum petram refugii. Et ipsi soli libera potestate loco Dei sit jus discernendi, secundum claves a Domino sibi datas; et omnia ab eo definita teneantur, tanquam a vicario apostolici throni. »

Cur ille textus, a sancto Thoma citatus, in vulgatis concilii Chalcedonensis editionibus non extet, eruditis explorandum relinquo. Cæterum verba hæc, *omnia ab eo definita teneantur*, si revera dicti aut alterius œcumenici concilii sint, Romani Pontificis infallibilitatem evincunt. Absone siquidem tenenda præscriberetur definitio erronea aut hæretica.

Objicies. — In epistola ad Theodoretum sic habet S. Leo : « Gloriamur in Domino, cum propheta canentes, adjutorium « nostrum in nomine Domini qui fecit cœlum et terram : qui « nullum nos in nostris fratribus detrimentum sustinere per- « misit; sed quæ nostro prius ministerio definierat (*intellige « in epistola ad Flavianum*), universæ fraternitatis irretrac- « tabili firmavit assensu, ut vere a se prodiisse ostenderet, « quod prius a prima omnium sede formatum, totius chris- « tiani orbis judicium recepisset : ut in hoc quoque capiti « membra concordent... Nam ne aliarum sedium ad eam, « quam cæteris omnium Dominus statuit præsidere, con- « sensus assentatio videretur, aut alia quælibet subrepere « posset adversa suspicio, inventi prius sunt, qui de judiciis « nostris ambigerent. Et dum nonnulli, a dissensionis inci- « tati auctore, ad contradictionum bella prosiliunt, ad majus « bonum, malo ejus, auctore totius bonitatis dispensante, « perventum est... Ipsa quoque veritas et clarius renitescit « et fortius retinetur, dum quæ fides prius docuerat (*intel- « lige, in epistola dogmatica ad Flavianum*) hæc postea exa- « minatio confirmarit. Multum denique sacerdotalis officii « meritum splendescit, ubi sic summorum servatur aucto- « ritas, ut in nullo inferiorum putetur imminuta libertas :

« et ad majorem Dei gloriam proficit finis examinis, quando « ad hoc se accipit exerendi fiducia, ut vincatur adversitas » (Operum sancti Leonis, epistola CXX, alias XCIII, capite I). Cum dicat sanctus Leo, *quæ nostro prius ministerio* (Deus) *definierat, universæ fraternitatis irretractabili firmavit assensu*, suum ipse judicium non habuit pro *irretractabili* seu pro infallibili, nisi postquam ab œcumenica synodo fuit *confirmatum*. Et eamdem ejus persuasionem manifestant verba hæc, *sic summorum servatur auctoritas, ut in nullo inferiorum putetur imminuta libertas ;* quæ verba synodi Patribus libertatem tribuunt Romani Pontificis sententiam dogmaticam examinandi, et ab ea dissentiendi.

Respondeo : 1° Dixit quidem S. Leo *irretractabile* judicium suum postquam fuit a synodo firmatum ; at non dixit illud antea *non fuisse irretractabile*. Imo pluries obligatorium quoad omnes hocce judicium suum edixit ante Chalcedonensem synodum ; et prohibuit ne in ipsa etiam synodo de hac sua definitione *tanquam dubia* disceptarctur, ut supra citati textus patefaciunt. Equidem inventi sunt nihilominus qui disceptarent : at nedum sanctus Leo id jure factum fuisse concedat, dicit eos *a dissensionis auctore incitatos ;* et addit tantum ex hoc malo bonum aliquod emersisse. Cum nempe de facto aliqui obstiterint, cæterorum assensus a malevolis dici nequit per vim extortus aut adulationi adscribendus. 2° Ad libertatem examinis quod attinet, aliquam revera sanctus Leo agnoscit. Admittit nempe ea quæ *fides* et *Deus* per summum Pontificem *edocuit* posse examini subjici ; sed ad hunc dumtaxat finem ut *vincatur adversitas*, id est, ut contradicentes edoceantur, convincantur et reducantur. Cum hac libertate examinis bene intelligitur *sic servari summorum auctoritatem, ut in nullo inferiorum putetur imminuta libertas*. At si libertas examinis esset libertas a pontificio judicio dissentiendi, nequaquam *servaretur summorum auctoritas*, sed subverteretur. 3° Qui citatis verbis asseri contendunt dissentiendi etiam a Romani Pontificis definitione libertatem, non attendunt ad

hæc S. Leonis verba, *quæ fides prius docuerat, quæ Deus nostro prius ministerio definierat.* An, quæso, licitum cuiquam esse potest ab eis dissentire quæ *fides*, quæ *Deus* edocuit? 4° Tandem Gallicani systematis patroni perperam citata Leonis verba allegarent. Agitur enim de Romani Pontificis definitione cui Occidens assensum præbuerat, et cui in toto Oriente Episcopi subscripserant. Aderat nempe Ecclesiæ, ut aiunt, dispersæ consensus; qua stante conditione, irretractabiles sunt, juxta Gallicanum systema, Romani Pontificis definitiones. Nisi ergo sibi contradicant Gallicani, prorsus negare debent Chalcedonensis concilii Patribus liberum fuisse a dogmatico Leonis decreto dissentire.

Propositio XXVII[a] — *Sæculo* v *pro certa habitam fuisse Romani Pontificis infallibilitatem, constat ex sancto Gelasio Papa.* — Pontifex creatus est Gelasius anno 492, et obiit anno 496. Sic habet in eo scripto quod inscribi solet *Tractatus*, quodque refertur apud Labbe inter ejus epistolas, n. 14, et apud Sirmundum in appendice codicis Theodosiani.

« Duodecim certe fuere Apostoli, paribus meritis, parique dignitate suffulti. Cumque omnes æqualiter spiritali luce fulgerent, unum tamen principem esse ex illis voluit Christus, cumque dispensatione mirabili in dominam gentium Romam direxit, ut in præcipua urbe vel prima, primum et præcipuum dirigeret Petrum. Ibique sicut doctrinæ virtute sublimis emicuit, ita sanguinis gloriosa effusione decoratus, æterno hospitio conquiescit; *præstans sedi quam ipse benedixit, ut a portis inferi nunquam, pro Domini promissione vincatur, omniumque sit fluctuantium tutissimus portus.* In quo qui requieverit, beata et æterna statione gaudebit : qui vero contempserit, ipse videbit qualia genera excusationum in die obtendat judicii » (apud Labbe, tomo IV, col. 1216, edit. Parisiis 1671). Si Romanæ Sedi, *pro Domini promissione* præstitutum fuerit, ut *a portis inferi nunquam vincatur*, sedes illa infallibilis est. Vinceretur enim a portis inferi, si in fide erraret. Item nisi infallibilem eam Sedem existimasset S. Gelasius, non eam

dixisset *tutissimum* fluctuantium *portum*. De eadem Sede Romana sic alibi pronuntiavit idem S. Gelasius : « Non « veremur ne Apostolica sententia resolvatur, quam et vox « Christi et majorum traditio et canonum fulsit auctoritas ; « ut totam potius Ecclesiam semper ipsa dijudicet » (in commonitorio ad Faustum, tomo III Operum sancti Leonis, col. 338, editio Ballerinorum).

Propositio XXVIII^a^. — *Constat persuasio de Romani Pontificis infallibilitate ex sacramentario Leoniano.* — De hoc sacramentario, expositis variis eruditorum sententiis, sic adnotant Ballerini fratres : « Certum credimus, hoc sacramentarium Romanum esse et vetustissimum omnium quæ hactenus prodiere... Vetustissimum autem omnium demonstrat ipsa collatio cum sacramentario Gelasiano, quod uti vulgatum est, aliquot posterioris ætatis additamenta recepit : at in nostro *nihil occurrit quod sæculum quintum prætereat*... Certum quoque est, in hoc sacramentario multa quidem contineri diversorum auctorum ; at non pauca ita Leonis Magni stylum ac spiritum præferunt, ut ea ab hoc sancto Pontifice lucubrata fuisse probabilissimum sit » (Opera S. Leonis, editione Migne, tomo II, in præfatione, n. 3 et 4). Ex hoc autem sacramentario ad rem facere visi sunt sequentes textus.

1. Sic habet præfatio quædam in Natali apostolorum Petri et Pauli : « Qui secundum promissionis tuæ inëffabile constitutum, Apostolicæ confessioni superna dispensatione largiris, ut in veritatis tuæ fundamine solidatæ nulla mortiferæ falsitatis jura prævaleant ; et quantalibet existat errantium multitudo, illi sint redemptionis tuæ filii, et illis Ecclesia tota numeretur, qui ab electorum tuorum *principali* traditione non dissonant » (Operum S. Leonis, editione Migne, tomo II, col. 49).

2. In alia præfatione, ejusdem Natalis apostolorum Petri et Pauli : « Teque laudare mirabilem Deum in sanctis tuis, in quibus magnificatus es vehementer ; per ipsos Unigeniti tui sacrum corpus exornans, et in ipsis Ecclesiæ tuæ fundamenta

constituens. Quorum beatissimum Petrum, gratiæ tuæ electionisque primitias in apostolicæ dignitatis culmen ascitum, ita ad confitendum te Deum vivum et Dominum nostrum Jesum Christum secreta tui revelatione docuisti, ut in cognoscenda Unigeniti tui gloria nullis carnis et sanguinis impediretur obstaculis. Pro qua magistra omnium credentium fide, confessorem tuum cœlorum clavibus præfecisti, ut cui ad te per te fuerat accessus, per ipsum cæteris ad regnum tuum pateret introitus » (ibidem, col. 50).

3. In alia præfatione ejusdem Natalis apostolorum Petri et Pauli : « Tu enim tribuis, Domine, ut prædicationis apostolicæ claritatem nulla juris inferni subdola doctrina subvertat, nulla prævaricatio veritatis offuscet » (ibidem, col. 50).

4. In quadam oratione missæ, ejusdem Natalis apostolorum Petri et Pauli : « Omnipotens sempiterne Deus qui ineffabili sacramento jus apostolici principatus in Romani nominis arce posuisti, unde se evangelica veritas per tota mundi regna diffunderet : præsta ut quod in orbem terrarum eorum prædicatione manavit, christianæ devotionis sequatur universitas » (ibidem, col. 51).

5. In alia præfatione ejusdem Natalis : « Qui Ecclesiam tuam, in Apostolica soliditate fundatam, ab infernarum eruis terrore portarum ; ut in tua veritate consistens, nulla recipiat consortia perfidorum » (ibidem, col. 51).

6. In alia præfatione ejusdem Natalis : « Quia tui est operis tuæque virtutis, ut beatorum apostolorum Petri et Pauli gloriosa confessio, nec capiatur unquam falsis, nec perturbetur adversis ; sed cœlestis eruditio, sicut per eos ab ipsa veritate suscepta posterisque mandata est, ita iisdem suffragantibus intemerata perduret » (ibidem, col. 52).

7. In alia præfatione ejusdem natalis : « Qui ineffabili sacramento jus apostolici principatus in Romani nominis arce posuisti, unde se evangelica veritas per tota mundi regna diffunderet, ut quod in orbem terrarum eorum prædicatione manasset, christianæ devotionis sequeretur universitas ; sa-

lubrique compendio et hi qui ab illorum tramite deviassent haberentur externi, et tantummodo filii veritatis existerent qui a *principali* nullatenus traditione discederent » (ibidem, col. 52).

8. In alia præfatione ejusdem Natalis : « Qui secundum promissionis tuæ inviolabile constitutum, apostolicæ confessioni superna dispensatione largiris, ut in veritatis tuæ fundamine solidatæ nulla mortiferæ falsitatis jura prævaleant; et quantalibet existat errantium multitudo, illi sint redemptionis tuæ filii, et illis Ecclesia tota numeretur, qui ab electorum tuorum principali traditione non dissonant; ipsaque sit sacri corporis ubique vera compago, quæ, te dispensante, devota obsequitur *quidquid sedes illa censuerit*, quam tenere voluisti totius Ecclesiæ principatum » (ibidem, col. 54).

9. In alia præfatione ejusdem Natalis : « Quia tui operis tuæque virtutis est ut beatorum Apostolorum Petri et Pauli gloriosa confessio, cujus annua vota celebramus; nec capiatur unquam falsis, nec perturbetur adversis; sed ut potius tui corporis ubique devota compago, te dispensante, devota suscipiat *quod sedes illa censuerit*, quam tenere voluisti totius Ecclesiæ principatum » (ibidem, col. 55).

10. In alia præfatione ejusdem Natalis : « Qui *ut hanc sedem* regimen Ecclesiæ totius efficeres, et *quod hæc prædicasset ostenderes ubique servandum*, simul in ea et apostolicæ principem dignitatis, et magistrum gentium collocasti » (ibidem, col. 56).

Tribus ultimis textibus expresse agitur de *Sede Romana*, et dicitur veram Ecclesiam eam esse, *quæ obsequitur quidquid Sedes illa censuerit*. Item dicitur ex divina institutione *ubique esse servandum quod hæc sedes prædicat*. Quæ sane persuasio de obligatione fidem tenendi quam tenet Sedes Romana numquam extitisset, nisi simul errare non posse in docenda fide Romanam sedem creditum fuisset.

Sed et alii citati textus idem testantur. Quod facile perspiciat lector si attendat formulas illas, *principalis traditio*, *con-*

fessio Petri, *prædicatio apostolica*, idem ibi sonare ac fidem quam tradit Romana Sedes. Textus, verbi gratia, sub numero 7 positus, asserit *eos solos esse filios veritatis*, qui nullatenus a *principali traditione* discedunt; et simul ibi exhibetur *jus apostolici principatus*, tanquam in *Romani nominis arce* positum; ex quo sequitur *traditionem principalem*, idem esse ac traditionem Romanæ Sedis.

Idem exhibet textus sub numero 8 positus; ubi quod primum vocatur *Apostolica confessio*, cui nulla mortiferæ falsitatis jura prævalere possunt, postea vocatur *sedes illa*, id est, Romana.

Notetur autem hujusce testimonii gravitas. Non enim est unius dumtaxat doctoris aut sancti Patris; sed multo præstantius, utpote contentum in liturgia, quæ de se permanentem et publicam Ecclesiarum fidem exprimit.

Propositio XXIX[a]. — *Sæculo* v *pro certa habitam fuisse Romani Pontificis infallibilitatem, constat ex epistola Tarraconensis concilii ad Hilarium Papam.* — Ita nempe hujus concilii Patres, anno 465, ad dictum Pontificem scribebant : « Etsi extaret necessitas ecclesiasticæ disciplinæ, expetendum revera nobis fuerat illud privilegium sedis vestræ, quo susceptis regni clavibus post resurrectionem Salvatoris, per totum orbem beatissimi Petri singularis prædicatio universorum illuminationi prospexit : cujus vicarii principatus, sicut eminet, ita metuendus est ab omnibus et amandus. Proinde nos Deum in vobis penitus adorantes, cui sine querela servitis, *ad fidem recurrimus Apostolico ore laudatam*, inde responsa quærentes, *unde nihil errore*, nihil præsumptione, sed pontificali totum deliberatione præcipitur » (apud Labbe, tomo IV, col. 1033, edit. Parisiis 1671). An, quæso, ita locuti fuissent hujus Concilii Patres, nisi pro certa omnino habuissent Romani Præsulis in decernenda fide inerrantiam?

CAPUT II

A SÆCULO QUINTO USQUE AD NONUM, ID EST, USQUE AD SCHISMA GRÆCORUM, CONSTANTER VIGUIT APUD CATHOLICOS DE ROMANI PONTIFICIS INFALLIBILITATE PERSUASIO.

Propositio I[a]. — *Sæculo* VI *viguisse persuasionem de Romani Pontificis inerrantia, constat ex Ennodio diacono.*—Ennodius diaconus, qui Ticinensis Episcopus postea fuit, anno 501 suam edidit apologiam concilii Romani, occasione Symmachi Papæ celebrati. Ibi postquam Sedis apostolicæ prærogativam asseruit, vi cujus nequit Sedes illa judicari ab ullo humano judice, sic prosequitur : « Dicas forsitan : Omnium animarum talis erit « in illa disceptatione conditio. Replicabo : uni dictum : *Tu es* « *Petrus et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et* « *quæcumque solveris super terram erunt soluta et in cœlo.* Et « rursum sanctorum vice Pontificum dignitatem sedis ejus « factam toto orbe venerabilem, dum illi quidquid fidelium « est ubique submittitur, dum totius corporis caput esse de- « signatur » (apud Labbe, tomo IV, col. 1353, edit. Parisiis, 1671).

Ibidem contendit Ennodius nullum concilium absque Romani Pontificis consensu convocari posse. Et objicientibus absque dicto consensu celebrari provinciales synodos, respondet, in iis synodis non agi de causis majoribus, utpote soli Romano Pontifici reservatis : « Legite insanissimi (inquit) « aliquando in illis præter Apostolici apicis sanctionem aliquid « constitutum, et non de majoribus negotiis ad collationem si « quid occurrit, præfatæ Sedis arbitrio fuisse reservatum » (apud Labbe, tomo IV, col. 1351, edit. 1671). Notandum autem hancce Ennodii Apologiam a Symmacho Papa et Concilio Romano inter Pontificia decreta inserta fuisse, ut in dicto concilio habetur.

Jam vero, qui tenet Romanum Pontificem esse *caput totius*

corporis, ita ut huic capiti *quidquid fidelium est ubique submittatur*, hoc ipso persuasum habet obligatoria esse quoad fideles omnes fidei decreta, ab eodem Ecclesiæ capite prolata; nec proinde errare posse Romanum Pontificem in ejusmodi circa fidem definitionibus cum aperte repugnet obligatio verum credendi quod erroneum foret.

Item qui tenet majores causas (inter quas præcipuo sane loco numerandæ causæ fidei) Romanæ Sedis arbitrio esse reservatas, hoc ipso eidem Sedi supremam tribuit de rebus fidei decernendi potestatem; talem scilicet ut teneantur omnes credere quidquid illa sedes credendum decreverit. Quæ obligatio inerrantiæ prærogativam supponit, quia secus aperte absona foret.

Propositio IIª. — *Sæculo* VI *pro certa habitam fuisse Romani Pontificis in decernenda fide inerrantiam, constat ex formula fidei, quam Papa Hormisdas, anno* 517, *subscribi jussit ab Episcopis orientalibus.* — Est formula hæc tenoris hujuscemodi : « Regula fidei. — Prima salus est regulam recte fidei custodire et a constitutis Patrum nullatenus deviare. Et quia non potest Domini nostri Jesu Christi prætermitti sententia dicentis : *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, etc., hæc quæ dicta sunt rerum probantur effectibus : quia in Sede apostolica, immaculata est semper servata religio. Ab hac ergo spe et fide separari minime cupientes, et Patrum sequentes in omnibus constituta, anathematizamus omnes hæreticos; præcipue Nestorium... (*ibi enumerantur plures hæretici*). Unde, sicut prædiximus, sequentes in omnibus apostolicam Sedem, et prædicantes ejus omnia constituta, spero ut in una communione vobiscum quam Sedes apostolica prædicat esse merear, in qua est integra et verax Christianæ religionis soliditas. Promittens etiam, sequestratos a communione Ecclesiæ catholicæ, id est, non consentientes Sedi apostolicæ, eorum nomina inter sacra non esse recitanda mysteria. Hanc autem professionem meam manu propria subscripsi, et tibi Hormisdæ, sancto et venerabili Papæ urbis Romæ obtuli.

Data decimo quinto kalendas aprilis, Agapito viro clarissimo consule » (apud Labbe, tomo IV, col. 1444, edit. Parisiis, 1671).

Habetur aliud exemplum ejusdem formulæ, in Epistola Joannis Constantinopolitani Episcopi ad Hormisdam Papam, anni 519, tenoris hujusmodi :

« ... Tuis verbis recte dictis evidenter utens, per præsentia « scripta hæc dico : Prima salus est rectæ fidei regulam custo- « dire, et a Patrum traditione nullatenus deviare : quia non « potest Domini nostri Jesu Christi prætermitti sententia di- « centis : *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam « meam...* Hæc quæ dicta sunt rerum probantur effectibus : « quia in Sede Apostolica inviolabilis semper catholica custo- « ditur religio. De hac igitur fide non cadere cupientes, et Pa- « trum sequentes in omnibus constituta, anathematizamus « omnes hæreses; præcipue vero Nestorium... (*et ibi enume- « rantur plures alii hæretici*). Quapropter, sicut prædiximus, « sequentes in omnibus Sedem Apostolicam, et prædicamus « omnia quæ ab ipsa decreta sunt ; et propterea spero in una « communione vobiscum, quam Apostolica Sedes prædicat, « me futurum, in qua est integra christianæ religionis et « perfecta soliditas. Promittentes in sequenti tempore se- « questratos a communione Ecclesiæ catholicæ, id est, in « omnibus non consentientes Sedi Apostolicæ, eorum nomina « inter sacra non recitanda esse mysteria. Quod si in aliquo « a professione mea dubitare tentavero, his quos condemnavi « per condemnationem propriam consortem me esse profi- « teor. Huic vero professioni subscripsi mea manu, et direxi « per scripta tibi Hormisdæ sancto et beatissimo fratri et « Papæ magnæ Romæ... » (apud Labbe, tomo IV, col. 1486 et 1487, edit. Parisiis, 1671).

Huic formulæ fidei pluries subscripsit Justinianus imperator, prout videre est apud Labbe (tomo IV, col. 1686, 1790, 1801 et 1802, edit. Parisiis, 1671). Insuper in formula quam dictus imperator, anno 536, Agapeto I Papæ obtulit (quam

reperies apud Labbe, dicto tomo, columna 1801), ita subjungitur :

« Quapropter, sicut præfati sumus, sequentes in omnibus « Sedem Apostolicam, quæ ab ea statuta sunt prædicamus. « Et profitemur ista inconcusse servari, et compellere ut juxta « tenorem libelli istius omnes faciant Episcopi : ut sanctis- « simi quidem Patriarchæ ad vestram faciant sanctitatem : « Metropolitani vero Patriarchis; et alii ut suis faciant Me- « tropolitanis : quatenus per omnia sancta catholica nostra « Ecclesia suam habeat firmitatem. »

Post Hormisdam Pontificem, immutata fuit tantisper formula, quoad eam partem in qua enumerantur hæretici, additione scilicet recentiorum; sed eadem ferme remansit quoad initium et conclusionem; cæterum ut ei subscribere deberent Orientales Episcopi servatus mos a sequentibus etiam Pontificibus. Nec dubium est quin dicta formula totius Ecclesiæ catholicæ fidem exprimat prout adnotat auctor *Defensionis* quæ Bossuetio tribuitur : « Ut certum sit (inquit) hanc for- « mulam a tota Ecclesia catholica comprobatam » (libro X, capite VII, pagina 445, editionis in-4°. Besançon, 1846).

Jam vero ejusmodi formularium totius Ecclesiæ catholicæ de Romani Pontificis inerrantia persuasionem apertissime testatur.

1° Hancce persuasionem palam faciunt verba sub initium posita : « Quia non potest Domini nostri Jesu Christi præter- « mitti sententia dicentis, *tu es Petrus*, etc.; hæc quæ dicta « sunt rerum probantur effectibus; quia in Sede Apostolica « *inviolabilis semper catholica custoditur religio.* » Perinde est ac si diceretur : Ideo Romanæ sedis fides semper immaculata fuit et permanet, *quia* falsa esse nequit promissio Christi ad Petrum, *tu es... et portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Unde, juxta illud formularium, factum istud, quod Ecclesiæ Romanæ fides semper recta fuerit, est *consectarium necessarium* promissionis Christi. Sed promissio Christi non facta est tantum quoad quinque priora sæcula, seu usque ad Pontifi-

catum Hormisdæ, sed universaliter et sine restrictione, et *portæ inferi non prævalebunt adversus eam*. Ergo, sæculo sexto, plene credebant fideles totius orbis catholici, infallibilem esse in fide Romanam Sedem; et simul credebant hanc inerrantiæ prærogativam necessario sequi ex evangelico textu, *tu es Petrus*, etc.

2° Idem colligendum venit ex istis ejusdem formulæ verbis : *Ab hac fide separari minime cupientes...*, *sequentes in omnibus apostolicam Sedem*, *et prædicantes ejus omnia constituta*, *spero ut in una communione quam Sedes apostolica prædicat esse merear*, *in qua est integra et verax christianæ religionis soliditas*. Sic profiteri, idem est ac dicere : Ideo confido me esse in vera fide, quia sequor in omnibus Romanam Sedem, et quia credo quidquid ab ipsa decretum fuit. Qui autem ita suam fidem exprimit, æquivalenter declarat certam sibi esse Romanæ Sedis, in decernenda fide, inerrantiam.

3° Idem pariter testantur verba hæc : *promittentes in sequenti tempore sequestratos a communione Ecclesiæ catholicæ*, *id est*, *in omnibus non consentientes Sedi Apostolicæ*, *eorum nomina inter sacra non recitanda esse mysteria*. Qui sic profitetur, hoc ipso habet tanquam sequestratos a *communione Ecclesiæ catholicæ* eos omnes qui non consentiunt, aut *in sequenti tempore* non consentient *Sedi Romanæ in omnibus*. Proinde pro certo habet, non tantum veram esse hic et nunc in omnibus Romanæ Sedis fidem, sed etiam in posterum talem futuram. Infallibilem igitur prædicat ac profitetur illius sedis fidem. Perpendant Gallicani systematis propugnatores æquationem istam : *sequestrati a communione Ecclesiæ catholicæ*, *id est*, *in omnibus non consentientes Sedi Apostolicæ*. Si erronea esse posset aliqua Romanæ Sedis dogmatica definitio, qui non consentiret huic definitioni, profecto habendus non esset tanquam sequestratus a communione Ecclesiæ catholicæ; sed potius ipsa Romana Sedes a communione Ecclesiæ catholicæ recederet, et habenda foret tanquam ab ea communione sequestrata.

4° Idem evincit sequens citatæ formulæ locus : *Quod si in aliquo a professione mea dubitare tentavéro, his quos condemnavi per condemnationem propriam consortem me esse profiteor.* Dum dicit *a professione mea*, loquitur de professione qua superius ita declaravit *sequentes in omnibus Sedem Apostolicam... prædicamus omnia quæ ab ipsa decreta sunt;* et qua insuper declaravit, se pro sequestratis a communione Ecclesiæ catholicæ habiturum, eos qui *in sequenti tempore* non consentient in omnibus Sedi Apostolicæ. Dum ergo in antecessum sese ipse tanquam anathemate dignum condemnat si *a sua professione dubitare tentaverit*, idem est ac si diceret : « Si in « posterum contingat, ut non sequar in omnibus Sedis Ro- « manæ fidem, aut non habeam pro sequestratis a commu- « nione Ecclesiæ catholicæ eos qui eidem Sedi in omnibus « non consentient, profiteor me habendum fore tanquam eos « quos anathematizavi, et ex nunc tanquam talem ipse me « condemno. » Porro qui ita profitetur, tanquam certum supponit, et firmissime credit, et æquivalenter profitetur, contingere non posse ut Romana Sedes erroneum quid circa fidem decernat.

Propositio III^a^. — *Sæculo sexto pro certa habitam fuisse Romani Pontificis in decernenda fide inerrantiam, constat ex epistola Joannis Episcopi Nicopolitani, ad Hormisdam Papam, et Hormisdæ ad Joannem.* — Sic habet Joannis Episcopi epistola : « Ad vestras orationes concurro; ut juxta consuetudinem « Apostolicæ Sedis vestræ, quæ cunctarum Ecclesiarum cu- « ram habet, et Nicopolitanorum habere dignemini... Audent « nos impugnare, tanquam vinculum concordiæ sine ratione « vitantes. Votum autem mihi est, vestram sequi doctri- « nam... Rogo autem plenius atque perfectius, quæ servari « oportet commonete, et a quibus abstinere debeam vestris « custodibus litteris intimate. Ut, si fortassis adhuc inexer- « citatus ordini deputor lectionum, seu dixi, sive egi apos- « tolicis doctrinis vestris incongruum, vestris imbutus ser- « monibus possim hæreticorum obsistere machinis » (apud

Labbe, tomo IV, col. 1438, edit. Parisiensis, 1671). Joanni hæc inter alia rescripsit Hormisdas Papa : « Hoc auspicium « tuæ ordinationis edidisti, ut adversus deviantes cum Sedis « Apostolicæ sententiis convenires. Neque enim remunerare « aliter tantorum beneficiorum poteras largitorem, nisi ad- « versus inimicos ejus evidentem zelum apostolicæ confes- « sionis ostenderes. Notum est enim eos extra religiosa septa « consistere, qui et ipsi profitentur conscientiam fidei atque « fiduciam, sed infructuosa est apud eos, quamvis cum re- « ligiosis congrua sanctæ communionis æqualitas; quia pro- « cul dubio qui ea quam meruit libertate non utitur, sub- « jectum se iniquitatibus confitetur. Quid gloriemur his quas « non sequimur disciplinis? Falso appellat magistrum, qui « se institutionibus ejus non probat esse discipulum. Sed quia « nobis nunc omnia in confessione similia, et libertatis pro- « priæ resumpsistis affectum, paternæ rursus hæreditatis « cupientes esse consortes, amplectimini gratiam traditionis « antiquæ, et in illius inconvulsi fundamenti stabilitate per- « sistite, non cum temporibus corda mutantes » (loco citato, col. 1439). Rogat ergo Joannes Episcopus ut ipsi Romanus Pontifex *plenius intimet* quid tenere debeat, *ne aliquid dicat aut agat incongruum doctrinis Apostolicis*, et ut per *custodes* litteras summi Pontificis *hæreticorum machinis possit obsistere*. Qui sic loquitur persuasum profecto habet errare non posse Romanum Pontificem in edocenda recta fide. Si enim fallibilem eum existimaret, absone confideret, ejus doctrinam sequendo, immunem se ac tutum fore ab omni errore ac hæresi. Pariter dum Hormisdas Papa Joannem laudat, quod *cum Sedis Apostolicæ doctrinis conveniat*, et addit non sufficere ad salutem ut quis has doctrinas teneat, nisi simul, pro officii sui debito, eas adversus inimicos publice et cum zelo defendat, aperte supponit ac docet necessitatem seu obligationem eam ipsam fidem profitendi, quam tenet ac docet Romanus Pontifex. Quæ tamen obligatio absona foret si erori obnoxia esset Romanæ Sedis doctrina.

Propositio IV^a. — *Sæculo sexto viguisse de Romani Pontificis inerrantia persuasionem, constat ex epistola S. Aviti Viennensis ad Hormisdam Papam, et Hormisdæ ad Avitum.* — Sic epistolam suam claudit Avitus : « Quæsumus..., ut quid filiis vestris fratribus meis, id est Gallicanis, si consulant, respondere debeam instruatis. Quia jam securus, non dicam de Viennensi, sed de totius Galliæ devotione pollicear, omnes vestram super statu fidei captare sententiam. Orate ut sic nos prædictorum (id est Orientalium de quibus antea dixerat) professio fucata non fallat, sicut ab unitate quam regitis, veritas comperta non separat » (Concilia Coleti, t. V, col. 584, edit. Venetiis, 1728). Et antea de Eutychete et Nestorio dixerat : « Quos jamdudum per beatissimos prædecessores sanctæ Sedis vestræ calcavit auctoritas. » Ibi profitetur sanctus Avitus, et quidem Gallicanorum Episcoporum nomine scribens, a Romano Pontifice *regi unitatem*. Jam vero ille solus dici potest Ecclesiæ unitatem *regere*, ad quem pertinet amplexandam ab omnibus fidem decernere ac præcipere, ita ut teneantur omnes hanc unam fidem profiteri. Enimvero si obligatoriæ sint Romani Pontificis dogmaticæ definitiones, ipse quidem verus erit unitatis rector : sin autem ad credendum non obligent nisi concilii œcumenici aut majoris partis Episcoporum definitiones, verus unitatis rector erit, non Romanus Pontifex, sed concilium œcumenicum aut major pars Episcoporum, etsi dispersorum. Qui ergo Romanum Pontificem tanquam *unitatis rectorem* agnoscit, hoc ipso obligatoria profitetur ejus circa fidem decreta : quod idem est ac infallibilem eum agnoscere.

Idem colligitur ex istis verbis, *sicut ab unitate quam regitis veritas comperta non separat*. Palam quippe faciunt Avito persuasum prorsus fuisse, non errare eos qui manent *in unitate quam regit* Romanus Pontifex; seu, quod idem est, erroneam non esse aut unquam fore prædicatam a Romano Pontifice fidem.

Sancto Avito rescribens Hormisdas Papa, hanc, sub epis-

tolæ suæ finem, sententiam profert : « Nam qui, sicut vos « quoque conscientiam vestram non latere testamini, novi- « mus Eutychetem atque Nestorium *apostolicæ*, *id est*, *catho-* « *licæ* sententiæ auctoritate damnatos, quemadmodum salvi « esse poterimus, si eorum sectatoribus ac posteris qualibet « parte communionis hæreamus, cum Belial cum Christo « nostro portionem habere non possit? » (Apud Labbe, t. IV, col. 1448, edit. Parisiis, 1671.) Eruditis comperta res est, idem prorsus sonare *sententiam apostolicam*, ac sententiam *Sedis Apostolicæ* seu Romani Pontificis. Dum ergo dicit Hormisdas, *apostolicæ*, *id est*, *catholicæ sententiæ*, pari gradu ponit *Ecclesiæ catholicæ* et *Romanæ Sedis* in definiendo auctoritatem, ac proinde non minus infallibilem existimat hujus Sedis, quam totius Ecclesiæ catholicæ dogmaticam definitionem. Atque hanc suam persuasionem palam etiam facit Hormisdas subdendo, salvos esse non posse qui aliquatenus cum eis communicant quos damnavit Sedis Romanæ sententia.

Ad rem facit aliud ejusdem Pontificis simile dictum, quo nempe legatos suos Ennodium et Peregrinum commonet, ut eo procedant ordine, *quem scitis* (sunt ipsius verba) *a nobis esse mandatum circa eos*, *qui cum Sede Apostolica*, *hoc est*, *Ecclesia catholica*, *non communicant* (apud Labbe, tomo IV, col. 1456, edit. Parisiis, 1671). Ibi pariter pro una eademque re habet communionem servare *cum Sede Romana*, et eam servare *cum Ecclesia catholica*. Quod sane absonum foret, si errare posset in edocenda fide Romana Sedes.

Joannem Constantinopolitanum Episcopum sic alloquitur idem Romanus Pontifex : « Quid restat nisi ut Sedis Aposto- « licæ, cujus fidem te dicis amplecti, sequaris etiam sine « trepidatione judicia?... Ergo cum magna denunties, et fidem « beati apostoli Petri te amplecti significes, recte credens in « ea salutem nostram posse subsistere, libellum (*intellige* « *formularium fidei quod Orientalibus subscribendum miserat* « *Hormisdas*) cujus continentia subter annexa est a caritate tua

« subscriptum ad nos dirige » (apud Labbe, t. IV, col. 1473, edit. Parisiis, 1671). Persuasum ergo Hormisdæ Pontifici, et amplectendam Romanæ Sedis fidem, et *sine trepidatione* sequenda ejusdem judicia. Quæ sane persuasio absona prorsus fuisset, si errare circa fidem posset Romana Sedes. Notetur et hujus temporis mos, ut Sedis Romanæ doctrina *apostoli Petri fides* vocaretur. Qui loquendi modus iterum persuasionem testatur de Romanæ Sedis inerrantia; cum nequaquam contingere potuerit ut *fidei Petri* nomine designaretur doctrina errori obnoxia.

Iterum asseritur identitas illa fidei Petri et fidei Romanæ Sedis, in Hormisdæ epistola ad Cæsarium Arelatensem Episcopum : « Ergo Episcopi tam Dardani, quam Illyrici pene « omnes, ne sint errore condemnandi præterito, petentes « *beati Petri* apostolorum principis *communionem*, et scriptis « et legationibus destinatis se *apostolicæ Sedis regulis* obe« dire confirmant » (apud Labbe, t. IV, col. 1474, edit. Parisiis, 1671).

In quadam ad legatos suos epistola, ita disponit Hormisdas Papa circa Thessalonicensem Episcopum, qui formulario subscribere renuebat, antequam satis sibi de nonnullis quæsitis suis fieret : « Peragite ut Thessalonicensis Episcopus, qui sub « interrogationis obtentu ecclesiasticam pacem protracto in « longum nititur dissipare negotio, quoniam a vobis noluit, « a principe ad urbem directus, *ab apostolica percipiat Sede* « *doctrinam;* et quidquid sibi dubium putet, huc veniens præ« senti a nobis inquisitione condiscat : *sic enim probare potest* « *se catholicæ professionis servare cautelam*, non malitiose « concepta vindicare certamina. Sciat nos paratos esse et « bene inquirentes instruere et errantes ad fidei rectum tra« mitem scientia duce revocare. Quia si dubitans paratam « non vult experiri doctrinam, nec rursus in simplicitate « cordis quæ pacis et religionis causa jubentur admittere, « in aperto est qua mente vel Dei nostri præceptis obsistat » (apud Labbe, t. IV, col. 1508, edit. Parisiis, 1671). Obliga-

tum ergo existimabat Hormisdas Thessalonicensem Episcopum ad amplexandam doctrinam quam ipse ei præscripsisset; et nefas reputabat si obsisteret. Ast hoc ipso tanquam certum supponebat non posse errare Romanum Pontificem in edocenda fide. Sane juxta Gallicanum systema potuisset Thessalonicensis præsul Romano Pontifici objicere : Infallibilis non es; unde ex eo quod expositis ac præscriptis a te doctrinis non adhæream, non sequitur deficere me a fide catholica. Contrarium ergo, id est, infallibilem se in decernenda fide pro certo habebat Hormisdas.

Propositio V^a^. — *Sæculo sexto viguisse de Romani Pontificis inerrantia persuasionem, constat ex Justiniano imperatore.* — Imperante Justino, jam ad unitatem redierant, ingenti cum gaudio totius Ecclesiæ catholicæ, Orientales Episcopi fere omnes. At novas dissensiones excitarunt quidam Scythiæ monachi, hanc propositionem veram et tenendam propugnantes, *unum de Trinitate crucifixum fuisse.* De quo plene videri potest inter Hormisdæ Papæ epistolas, apud Labbe, tomo IV. Pertimescens Justinianus ne reddita Ecclesiarum pax, hac nova disceptatione perturbaretur, ad Hormisdam Romanum Pontificem legatos et litteras hac de re miserat. Tum et sequentem epistolam direxit : « Ut plenissima fidei perfectio doctrina beatitudinis vestræ proveniat, iterum Eulogium... direximus... Post semel enim divina misericordia donatam Ecclesiæ catholicæ unitatem, quidam asserunt, Christum filium Dei Dominum nostrum pro nostra salute carne crucifixum *unum de Trinitate debere prædicari.* Quod si suscipiendum sit, paterna provisione reverentia vestra cautissimo suo rescripto, quid sequi, quidve super hoc evitare debeamus, nos certiorare dignetur : quoniam verba videntur facere dissensionem : nam sensus inter catholicos omnes unus esse probatur. Imponite igitur vobis semel susceptum laborem, sancte ac venerabilis Pater..., et de hac intentione *liberos nos properate reddere et securos. Hoc enim credimus esse catholicum quod vestro religioso responso nobis fuerit intimatum.*,

Quia vero dictum est Scythicos monachos hac ratione ad sedem vestram accessisse pro traditione Patrum et ordine regularum, præbito eis responso nihil formidante, ad nos cum vestris litteris jubete remittere: quarum etiam exemplaria consignata prædicto viro strenuo Eulogio dari præcipite. Hæc enim omnia ideo petimus vos disponere cautius, ut ne locus mendacio vel insidiis detur. Quoniam summo cum desiderio fidem catholicam amplectentes, *vestra doctrina unitatem universo orbi petimus condonari.* » Ibi sane totum evertitur Gallicanum de Romani Pontificis fallibilitate systema. Firmiter credit Justinianus *catholicum esse* quod *definiet* Hormisdas. Credit nempe definitioni, antequam emissa sit et quæcumque futura sit. Id autem prorsus idem est ac infallibilem in definiendo credere Romanum Pontificem. Notet autem lector simul omnem præcludi aditum miseræ cavillationi quam excogitavit Bossuetius; absonæ scilicet *sedem* inter et *sedentem* distinctioni. Non dicit Justinianus, *credimus esse catholicum quod Romana Sedes definierit*, sed quod a sedente tunc temporis Romano Pontifice intimatum fuerit. Item ad procurandam *unitatem universo orbi*, non recurrit ad concilium œcumenicum aut dispersæ Ecclesiæ consensum; sed dumtaxat ad *doctrinam*, id est, definitiones dogmaticas Romani Pontificis. Dum autem ita scriberet Justinianus anno 519, non particularem aut novam, sed communem sui ævi et totius retro antiquitatis fidem profitebatur.

Propositio VI[a]. — *Sæculo sexto viguisse persuasionem de Romani Pontificis inerrantia, constat ex Possessore Episcopo.* — Possessor, Africanus Episcopus, cum esset Constantinopoli, et ibi disceptaretur de quibusdam Fausti Reiensis Episcopi opinionibus, scripsit ad Hormisdam Papam, sciscitans quid de iis opinionibus esset sentiendum. Qua in epistola hæc occurrunt: « Decet et expedit ad capitis recurrere medicamentum, « quoties agitur de sanitate membrorum. Quis enim majorem « circa subjectos sollicitudinem gerit, aut a quo magis est « nutantis fidei stabilitas expectanda, quam ab ejus sedis

« præside, cujus primus a Christo rector audivit : Tu es Petrus « et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam? » (Apud Labbe, tomo IV, col. 1530, edit. Parisiis, 1671.) Et paulo post Romanum Pontificem rogat Possessor : « Ut consulentes, quid de præfati auctoris dictis videatur, *auctoritate apostolicæ responsionis agnoscant.* » Persuasum ergo habuit Africanus ille Antistes, non *ab alio magis expetendam esse fidei stabilitatem* quam a Romano Pontifice; esse proinde penes Romanum Pontificem *præcipuam* quæstiones fidei definiendi potestatem. Aliunde autem dubitari nequit quin idem Episcopus infallibilem aliquam in Ecclesia definiendi potestatem admiserit. Item dubitari nequit quin ut talem potissimum habuerit eam quam asserit esse præcipuam, id est, Romani Pontificis. Hæc enim *præcipua* non esset, si foret fallibilis, et alia extaret infallibilitate prædita. Cum ergo asserat præfatus Episcopus *non ab alio magis quam a Romano Pontifice expetendam esse nutantis fidei stabilitatem*, æquivalenter infallibilem pronuntiat in decernenda fide Romanum Pontificem. Quam quidem prærogativam ei tribuit, non ex jure ecclesiastico, sed quatenus successori sancti Petri, et vi divinorum verborum, *Tu es Petrus*, etc.

Propositio VII^a^. — *Sæculo sexto viguisse de Romani Pontificis inerrantia persuasionem constat ex Ferrando diacono.* — Rogatus sententiam de quæstione, an Christus Dominus *unus de Trinitate* dici possit, respondit Ferrandus Carthaginensis diaconus : « Quis enim ego, aut qualis ego, cui liceat de dubiis « rebus statutam proferre sententiam... Loquantur et præ- « dicent quibus honor sacerdotii docendi auctoritatem tribuit. « Nos discere parati sumus, docere alios non præsumimus. « *Interroga igitur*, vir prudentissime, *si quid veritatis cupis au-* « *dire, principaliter Apostolicæ Sedis Antistitem, cujus sana* « *doctrina constat judicio veritatis, et fulcitur munimine auctori-* « *tatis.* Interroga plurimos per diversa terrarum loca ponti- « fices, quibus scientia cœlestium præceptorum divinitus « inspirata, famam grandem sui cum veneratione collegit »

(epistola v, ad Severum scholasticum Constantinopolitanum, editionis Migne columna 910, tomi LXVII collectionis Latinorum Patrum). Persuasum ergo fuit Ferrando diacono, in dubiis fidei quæstionibus, interrogandum *principaliter* Romanum Pontificem, ut veritas ediscatur. Item ipsi persuasum, *sanam* esse Romani Pontificis doctrinam; et constare de hac sana doctrina per ipsummet *veritatis judicium*, id est (ut hic intelligendum videtur) per Christi Domini verba ac promissionem; et hanc Romani Pontificis doctrinam, non esse dumtaxat privati doctoris opinionem, sed *fulciri munimine auctoritatis*, ita ut ei obtemperari debeat. Sed ita sentire de Romani Pontificis doctrina, quid aliud est, quam inerrantiæ prærogativam eidem tribuere ac profiteri? Sane si errare valeat in edocenda fide Romanus Pontifex, non ipse *principaliter* adeundus est, ut audiatur veritas; sed vel œcumenica synodus, vel dispersorum Episcoporum consensio interroganda. Item si fallibilis Romanus Pontifex, non est cur sic absolute ac simpliciter *sana* ipsius doctrina pronuntietur; nec minus absone doctrina hæc asseritur *judicio veritatis constare*, et *auctoritatis munimine fulciri*. Adnotet præterea lector, excludi a Ferrando futilem Bossuetii distinctionem, sedem inter et sedentem in ea. Non enim dicit, *Apostolicam Sedem interroga*, sed *Apostolicæ Sedis Antistitem*.

Idem Ferrandus, in suis ad Pelagium et Anatolium, urbis Romæ diaconos, litteris, fortiter propugnat in judicium vocandam non esse Ibæ epistolam, utpote quam œcumenica Chalcedonensis synodus catholicam pronuntiaverat. Quod argumentum fuse prosequens, hæc inter alia profert: « Quo« modo ergo nunc olim judicata judicabuntur? Si tunc ali« quis accusator epistolæ, cujus catholica esse dictatio claruit, « ad majora judicia provocaret, appellationi forsitan secun« dum consuetudinem locus pateret. Sed quo iret, aut ubi « majores reperiret in Ecclesia judices, *ante se habens in lega« tis suis Apostolicam Sedem, qua consentiente, quidquid illa « definivit synodus accepit robur invictum?* » (Citato tomo edi-

tionis Migne, col. 925.) Persuasum ergo Ferrando fuit atque indubitatum, œcumenicorum conciliorum definitiones, ex assensu Romani Pontificis *invictum robur accipere*. Nimirum antequam assenserit Romanus Pontifex, invictum robur non habent definitiones ejusmodi : habent autem et recipiunt ex assensu Pontificis. Hæc Ferrandi persuasio. Porro absonum prorsus est synodalibus definitionibus per papalem assensum tribui *invictum robur*, nisi assensus ille infallibilis sit. Si nempe fallibilem in definiendo Romanum Pontificem æstimasset Ferrandus, non docuisset ab ejus assensu repetendum synodalis definitionis invictum robur. Nec dicatur, ex hoc textu recte quidem infallibile probari Romani Pontificis judicium in concilio œcumenico, non autem extra concilium œcumenicum. Nam papale judicium infallibilitatem suam non trahit ex concilio œcumenico; siquidem antequam pronuntiet Papa, nullam, teste Ferrando, infallibilitatem habet synodalis definitio. Ergo Romani Pontificis judicium infallibilitatem suam trahit ex seipso, id est, ex eo quod sit Romani Episcopi judicium. Ergo, juxta Ferrandi doctrinam, tam extra quam intra œcumenicam synodum, ejusmodi infallibilitate donari censendum est; cum papalis definitio, licet extra synodum pronuntiata, nihilominus vere sit Romani Pontificis judicium.

Propositio VIII[a]. — *Sæculo sexto viguisse de Romani Pontificis inerrantia persuasionem constat ex sancto Gregorio Magno.* In sua ad Theodelindam reginam epistola : « Cum itaque in« tegritatem nostram ex aperta mea traditione seu profes« sione cognoscitis, dignum est ut de Ecclesia beati Petri « apostolorum principis nullum ulterius scrupulum dubie« tatis habeatis : sed in vera fide persistite, et vitam vestram « in petra Ecclesiæ, hoc est in confessione beati Petri apos« toli solidate » (libri quarti epistola XXXVIII, t. II, pag. 718, edit. Benedictinorum). Ibi pro eodem accipit traditionem seu confessionem a seipso editam, et ipsiusmet beati Petri ac ejus Ecclesiæ confessionem ; ita ut qui adhæret Romani

Pontificis confessioni seu doctrinæ, hoc ipso persistat *in vera fide*, et vitam suam *in petra Ecclesiæ, hoc est in confessione beati Petri solidet.*

Propositio IX^a^. — *Sæculo sexto viguisse de Romani Pontificis inerrantia persuasionem, constat ex Stephano, Larissiæ Episcopo.* — In actis concilii Romani III sub Bonifacio II celebrati anno 531, insertus est libellus supplex Stephani Larissiæ Episcopi ad dictum Pontificem, in quo sic legere est : « Etenim dixi « quia auctoritas Sedis Apostolicæ, quæ a Deo et salvatore « nostro summo Apostolorum data est, omnibus sanctarum « Ecclesiarum privilegiis antecellit; in cujus confessione om- « nes mundi requiescunt Ecclesiæ » (apud Labbe, tomo IV, col. 1696, edit. Parisiis, 1671). Nisi infallibilem in profitenda et edocenda fide Romanam Sedem existimasset, non asseruisset *in hujus Sedis confessione omnes mundi Ecclesias requiescere.*

Propositio X^a^. — *Septimo sæculo viguisse de Romani Pontificis infallibilitate persuasionem, constat ex sancto Maximo.* — Ortus est sanctus Maximus Constantinopoli, anno 582. Quamplurima pro fidei catholicæ defensione perpessus, exul occubuit anno 662. Ejus opera edidit Combefisius. Extant varia epistolarum sancti Maximi fragmenta inter Anastasii bibliothecarii *Collectanea.* In una ex istis epistolis ad *Petrum* illustrem directa, sic habetur de Pyrrho hæretico : « Si enim Ro- « mana Sedes non solum reprobum Pyrrhum, sed et male « sentientem et male credentem non nescit, perspicuum pro- « fecto est quia omnis, qui eos qui Pyrrhum reprobaverunt « anathematizat, *Sedem Romanam, id est catholicam Ecclesiam* « anathematizat... Obsecro igitur, benedicte Domine mi, præ- « cipere omnibus, ne Pyrrhum sanctissimum vel almificum « nominent. Neque enim tale quid sacra regula eum vocari « permittit... Non enim fas est illum ex quacumque laude « cognominari, qui jam olim damnatus est et abjectus ab « Apostolica Sede Romanæ urbis, ob externæ sensum opinio- « nis ; donec ab ea recipiatur conversus ad ipsam, immo ad « Dominum Deum nostrum per piam confessionem et ortho-

« doxam fidem, qua sanctificationem recipiat, sanctumque « vocabulum. Itaque si vult hæreticus neque esse neque « audiri, non isti aut illi satisfaciat : superfluum quippe hoc « et irrationabile est : quia sicut uno contra eum scandalizato « omnes scandalizati sunt, ita quoque uno satisfacto omnes « procul dubio satisfiunt. *Festinet pro omnibus Sedi Romanæ « satisfacere. Hac enim satisfacta communiter ubique omnes « pium hunc et orthodoxum prædicabunt.* Nam frustra solum- « modo loquitur, qui mihi similes suadendos ac surripiendos « putat, et *non satisfacit et implorat sanctissimæ Romanorum « Ecclesiæ beatissimum Papam, id est apostolicam Sedem;* quæ « ab ipso incarnato Dei Verbo, sed et omnibus sanctis synodis « secundum sacros canones et terminos, universarum quæ in « toto terrarum orbe sunt sanctarum Dei Ecclesiarum *in om- « nibus et per omnia percepit et habet imperium*, auctoritatem « et potestatem ligandi atque solvendi. Cum hoc enim ligat et « solvit etiam in cœlo Verbum, quod cœlestibus virtutibus « principatur. Si enim alios quidem satisfaciendos ducit, et « beatissimum Romanum Papam nequaquam implorat, simile « quiddam agit ei, qui forte homicidii vel alterius cujusdam « criminis redarguitur, et insontem se, non ei qui secun- « dum leges judicandi jura sortitus est, exhibere festinat. « Sed tantum inutiliter et sine lucro aliis et privatis homi- « nibus munditiam monstrare sui satagit actus, qui nullam « habeant se solvendi a crimine potestatem » (apud Gallandum, *Bibliotheca veterum Patrum*, tomo XIII, pagina 38, editionis Venetæ, 1779. Item apud Labbe, tomo V, col. 1768). Hæc ergo sancti Maximi doctrina et omnimoda persuasio : 1° Anathematizare Sedem Romanam idem est ac anathematizare catholicam Ecclesiam ; quod profecto falsum foret, si posset Romana Sedes in errorem ac hæresim prolabi ; quia tunc bene posset et deberet anathematizari, quin simul in Ecclesiam catholicam anathema dirigeretur. 2° Nullo honorifico nomine illum prosequi licet, qui a Sede apostolica damnatus est, donec ab eadem Sede recipi meruerit per ortho-

doxam fidem. Quod pariter absone diceretur, si errare posset Romana Sedes in damnanda alicujus doctrina tanquam hæretica. Is enim tunc orthodoxus existeret et laudari deberet ; Sedes autem Romana, utpote in hæresim lapsa, vituperari. 3° Si quis velit *neque esse* neque dici *hæreticus*, debet *satisfacere sanctissimæ Romanorum Ecclesiæ beatissimum Papam*, ac proinde fidem profiteri quam ei injungit Romanus Pontifex. Nequibat sane sanctus Maximus Romani Pontificis inerrantiam fortius asserere, quam dicendo *hæreticum* esse qui Romani Episcopi dogmaticis definitionibus sese non subjicit. Et notetur prorsus excludi absonum Bossuetii, sedem inter et sedentem distinguentis, commentum; siquidem expressis terminis asserit sanctus Maximus idem esse *Papam* et *apostolicam Sedem* : « et non satisfacit et implorat sanctissimæ « Romanorum Ecclesiæ *beatissimum Papam*, *id est Apostolicam* « *Sedem.* » 4° *Ab ipso incarnato Dei Verbo* Sedes Romana in omnes alias mundi Ecclesias accepit imperium, auctoritatem, necnon ligandi et solvendi potestatem, *in omnibus et per omnia;* ac proinde etiam, imo præcipue, in edocenda recta fide. Id non dixisset sanctus Maximus, nisi infallibilem existimasset Romanam Sedem. Quia si fallibilis foret, non ei competeret omnimoda auctoritas fidem cæteris omnibus Ecclesiis tenendam definiendi ac præcipiendi. 5° Non minus stultum existimat S. Maximus eum qui hæreseos insimulatus aliis, non autem Romano Pontifici, orthodoxum sese probare satagit, quam homicidii reum, qui insontem se apud privatos homines, non autem apud judicem, jus contra eum procedendi et sententiam ferendi habentem, demonstrare nititur. Id porro non dixisset laudatus sanctus vir, nisi infallibilem in definiendis fidei quæstionibus Romanam Sedem reputasset. Si enim fallibilis sedes illa sit, non stulte agit qui ab ea damnatus tanquam hæreticus, sese nihilominus orthodoxum, erroneam autem Sedis Apostolicæ sententiam, contendit; quique ab illo judicio appellat ad superiorem auctoritatem quæ infallibilis sit et cui omnimoda subjectio debeatur.

Propositio XI[a]. — *Septimo sæculo viguisse de Romani Pontificis inerrantia persuasionem, constat ex epistola synodica Episcoporum Africæ, anno* 646 *ad Theodorum Papam directa, et in concilio Lateranensi anni* 649, *sub Martino I, lecta et approbata.* — « Magnum et indeficientem, omnibus christianis fluenta redundantem, apud Apostolicam Sedem consistere fontem, nullus ambigere possit ; de quo rivuli prodeunt affluenter, universum largissime irrigantes orbem christianorum ; cui etiam, in honore beatissimi Petri, Patrum decreta peculiarem omnem decrevere reverentiam in requirendis Dei rebus ; quæ omnino et sollicite debent, maxime vero justeque ab ipso præsulum examinari vertice Apostolico, cujus vetusta sollicitudo est tam mala damnare, quam probare laudanda. Antiquis enim regulis sancitum est, ut quidquid, quamvis in remotis vel in longinquo positis, ageretur provinciis, non prius tractandum vel accipiendum sit, nisi ad notitiam almæ Sedis vestræ fuisset deductum ; *ut hujus auctoritate justa quæ fuisset pronuntiatio firmaretur, indeque sumerent cæteræ Ecclesiæ velut de Natali suo fonte prædicationis exordium, et per diversas totius mundi regiones puritatis incorruptæ maneant fidei sacramenta salutis* » (apud Labbe, tomo VI, col. 128, edit. Parisiis, 1671).

Ibi profitentur Africani Patres, *res Dei*, ac proinde potissimum fidei quæstiones, ad Romanam Sedem ex toto mundo esse referendas, ut ipsius *auctoritate firmetur justa pronuntiatio ;* cæteras autem Ecclesias juxta hujus sedis pronuntiata *prædicare* seu profiteri debere ; idque ita esse dispositum ut ubique fides *incorrupta* maneat. Jam vero qui sic ab antiquo dispositum asserunt, et hancce dispositionem laudant atque approbant, æquivalenter infallibilem in dogmaticis judiciis Romanam Sedem profitentur. Si enim fallibilis foret, absone ipsi reservarentur fidei aliæque majores causæ, ut ejus *auctoritate justum judicium firmaretur :* posset siquidem Romana Sedes erroneam et hæreticam sententiam proferre. Absone ipsius judiciis cæteræ orbis Ecclesiæ quoad fidem subjectæ

fuissent. Et absone pariter ita dispositum fuisset ut fidei *incolumitati* consuleretur. Quomodo enim in tuto erit regula fidei, si a fallibili judice dependeat? Dum ergo præmissa asseruerunt Africani Patres, infallibilem in decernenda fide supposuerunt et agnoverunt Romanum Pontificem.

Objicies. — Non dicunt id *jure divino* Romanæ Sedi competere, sed *antiquas* dumtaxat *regulas*, id est, jus ecclesiasticum memorant.

Respondeo : Jus divinum expresse quidem non allegant, sed neque negant : supponunt autem et æquivalenter asserunt. Infallibilia enim admittunt, ut diximus, Romanæ Sedis judicia dogmatica, cum expresse dicant ideo causas Romanæ Sedi reservari, *ut ejus auctoritate justa pronuntiatio firmetur;* quod idem est ac dicere, *juste* semper ab hac sede *pronuntiari.* Ea porro infallibilitatis prærogativa ex mero ecclesiastico jure manare non potuit. Item agnoscunt apud Romanam Sedem consistere *magnum et indeficientem fontem*, ex quo habet christianus orbis ut siccitate non pereat. Si fallibilis existat Romana Sedes, nedum sit fons magnus et indeficiens, cæteris fœcunditatem regionibus ingerens, ipsamet siccitate, id est, errore et hæresi deficere potest. Quod autem ita sit fons magnus et indeficiens, habere non potuit e jure ecclesiastico, sed tantum ex divina Christi Domini institutione.

Propositio XII[a]. — *Sæculo septimo viguisse de Romani Pontificis inerrantia persuasionem, constat ex litteris Agathonis Papæ et ex sexta generali synodo.* — In concilio generali sexto, id est, Constantinopolitano tertio anni 680, sub Agathone Papa, actione quarta, lectæ sunt dicti Agathonis Papæ litteræ, ad imperatorem Constantinum missæ, in quibus sic habetur :

« Hic igitur status est evangelicæ atque apostolicæ fidei re-
« gularisque traditio, ut confitentes sanctam et inseparabilem
« Trinitatem... (*et ibi exponuntur ab Agathone alii articuli cre-*
« *dendi, præsertim de duplici in Christo voluntate*). Hæc est
« apostolica atque evangelica traditio, quam tenet spiritualis

« vestri felicissimi imperii mater apostolica Christi Ecclesia. « Hæc est mera confessio pietatis... Et ideo... porrigere dig- « nemini clementissimam dexteram apostolicæ doctrinæ, « quam... beatus Petrus apostolus tradidit, non ut sub mo- « dio condatur, sed tuba clarius in toto orbe prædicetur : « quia ejus vera confessio a Patre de cœlis est revelata, pro « qua a Domino omnium beatus esse pronuntiatus est Petrus : « qui et spiritales oves Ecclesiæ ab ipso redemptore omnium « terna commendatione pascendas suscepit. Cujus annitente « præsidio, hæc apostolica ejus Ecclesia nunquam a via ve- « ritatis in qualibet erroris parte deflexa est : cujus aucto- « ritatem, utpote apostolorum omnium principis, semper om- « nis catholica Christi Ecclesia, et universales synodi fideliter « amplectentes, in cunctis secutæ sunt; omnesque venera- « biles Patres apostolicam ejus doctrinam amplexi, per quam « et probatissima Ecclesiæ luminaria claruerunt : et sancti « quidem doctores orthodoxi venerati atque secuti sunt; hæ- « retici autem falsis criminationibus ac derogationum odiis « insecuti... Hæc est enim veræ fidei regula, quam et in « prosperis et in adversis vivaciter tenuit ac defendit hæc « spiritalis mater vestri tranquillissimi imperii, apostolica « Christi Ecclesia : quæ per Dei omnipotentis gratiam a tra- « mite Apostolicæ traditionis nunquam errasse probabitur, « nec hæreticis novitatibus depravata succubuit; sed ut ab « exordio fidei christianæ percepit ab auctoribus suis apos- « tolorum Christi principibus, illibata fine tenus permanet, « secundum ipsius Domini Salvatoris divinam pollicitationem, « quam suorum discipulorum Principi in sacris Evangeliis « fatus est : *Petre, Petre, inquiens, ecce Satan expetivit ut « cribraret vos, sicut qui cribrat triticum : ego autem pro te ro- « gavi ut non deficiat fides tua. Et tu aliquando conversus confirma « fratres tuos.* Consideret itaque vestra tranquilla clementia, « quoniam Dominus et Salvator omnium, cujus fides est, qui « fidem Petri non defecturam promisit, confirmare eum suos « fratres admonuit : quod apostolicos Pontifices, meæ exigui-

« tatis prædecessores, confidenter fecisse semper cunctis est « cognitum. Quorum et pusillitas mea, licet impar et mi- « nima, pro suscepto tamen divina dignatione ministerio, pe- « dissequa cupit existere. Væ enim mihi erit si veritatem « Domini mei, quam illi sinceriter prædicarunt, prædicare « neglexero » (apud Labbe, tomo VI, col. 635 et sequenti, edit. Parisiis, 1671).

Ad rem etiam faciunt præclara hæc dicti concilii generalis sexti verba : « Quis igitur aspexit talia mirabilia : spirituale nunc proponebatur stadium, et propugnator falsidicæ scientiæ jam ante exuebatur. Ignorabat autem quod non adipisceretur coronam victoriæ, sed et exueretur coronam sacerdotii. Summus autem nobiscum concertabat apostolorum princeps : illius enim imitatorem et Sedis successorem habuimus fautorem, et divini sacramenti mysterium illustrantem per litteras. Confessionem tibi (id est, imperatori Constantino Pogonato) a Deo scriptam illa Romana antiqua civitas obtulit, et dogmaticum diem a vespertinis partibus extulit. Charta et atramentum videbatur, et per Agathonem Petrus loquebatur » (actione 18, in sermone acclamatorio, apud Concilia Mansi, tomo XI, col. 666).

In suis autem ad Agathonem Papam litteris ita loquuntur ejusdem concilii Patres : « Maximi morbi majoribus indigent auxiliis... Idcirco Christus verus Deus noster... sapientem dedit medicum, vestram a Deo honoratam sanctitatem, contagia hæreticæ luis fortiter propulsantem remediis orthodoxiæ... Itaque tibi, ut primæ Sedis Antistiti universalis Ecclesiæ, quid agendum sit relinquimus, stanti super firmam fidei petram, perlectis veræ confessionis litteris a vestra paterna beatitudine ad piissimum imperatorem missis ; quas ut a summo apostolorum vertice divine præscriptas agnoscimus ; per quas exortam nuper multiplicis erroris hæreticam sectam depulimus... Sic nos sancto Spiritu illustrati, vestraque instituti doctrina, infesta dogmata impietatis depulimus... Orthodoxæ autem fidei splendidam lucem vobiscum

clare prædicavimus : quam ut iterum per honorabilia vestra rescripta confirmetis, vestram oramus paternam sanctitatem » (apud Concilia Mansi, tomo XI, col. 686 et 687, editionis Florentinæ).

Citatæ Agathonis litteræ, itemque citata concilii verba, hujus ævi persuasionem de Romani Pontificis inerrantia multipliciter patefaciunt :

1° Divi Petri *præsidio* tribuitur, quod Romana Sedes *nunquam a via veritatis deflexa sit*. At numquid ea forte Agathonis mens, defecturum aliquando hocce divi Petri præsidium? Absit. Dum ergo Romanæ Sedis inerrantiam quoad præteritum tempus, ob divi Petri præsidium, asserit, æquivalenter eam quoad totam Ecclesiæ durationem pronuntiat.

2° De Romana Ecclesia dicitur : *Nunquam errasse probabitur, sed illibata fine tenus permanet*. Porro verba hæc, si in obvio suo sensu intelligantur et absonis subtilitatibus non torqueantur, inerrantiam sonant quoad omnia tempora.

3° Hunc obvium sensum ineluctabilem facit ratio, ex qua concludit Pontifex *illibatam fine tenus permanere* Romanæ Sedis doctrinam. Hoc enim inerrantiæ privilegium repetit *ex divina* Christi *pollicitatione ;* nimirum ex his verbis, *ego autem rogavi pro te ut non deficiat fides tua : et tu aliquando conversus confirma fratres tuos*. Quis autem adeo insanum extitisse Agathonem opinetur, ut putaverit hancce Christi pollicitationem respicere dumtaxat sui et anteriorum pontificatuum tempus, non autem futurorum? Vel ad solum Petrum restringenda est illa Christi pollicitatio ; vel si ad alios extendenda Romanos Pontifices, ut vult Agatho, sane ad omnes. Cum ergo vi hujus pollicitationis nunquam errasse Romanam Sedem asserat Agatho, ipsius verborum sensus est neque unquam erraturam, seu esse infallibilem. Quod cæteroquin per se sonant citata verba, *ilibata fine tenus permanet*.

4° Postquam dixit Agatho, *Dominus et Salvator fidem Petri non defecturam promisit*, subjungit jussum esse Petrum confirmare fratres suos, et hanc jussionem expletam fuisse *con-*

fidenter per prædecessores suos, ac a seipso etiam nunc expleri. Ergo supponit indefectibilem Petri fidem ad ejus successores transire, et indefectibilem etiam in eis subsistere. Alioquin insane sibi munus arrogassent confirmandi fratres; et hoc attentando nequaquam explerent jussionem Petro factam. Ideo ergo Romanos Pontifices legitimos cæterorum confirmatores existimavit Agatho, quia pro certo habuit inerrantiæ privilegium ipsis in persona beati Petri a Christo ipso collatum fuisse. Nimirum sicut persuasum *habuit* confirmari a *Petro* fratres, quando confirmantur ab ejus successoribus, ita indubitatam existimavit promissam Romanis Pontificibus inerrantiam, quando Petro promisit Christus *fidem ejus non defecturam*. Qui hanc Agathonis doctrinam ac persuasionem in citatis ejus litteris non perspicit, aut volens cæcutit, aut sanos plane oculos non habet.

5° Item cur dicti concilii Patres existimant sanctum Petrum cum ipsis certasse, et per Agathonis litteras locutum esse? An quia ipsi, litteras illas examini suo subjicientes, orthodoxas judicaverunt? Haudquaquam. Sed hoc tribuunt Agathoni ut *primæ Sedis Antistiti universalis Ecclesiæ*, utque *stanti super firmam fidei petram*: ὡς πρωτοθρόνῳ σοι τῆς οἰκουμενικῆς ἐκκλησίας, ἐπὶ τὴν στερεὰν πέτραν ἑστῶτι. Hunc esse Patrum illorum sensum fatebitur quisquis sincere totum contextum perpenderit.

Notetur autem quam aperte citata verba græca excludant absonam Bossuetii distinctionem, inter sedem ipsam et sedentem in ea. Ipsum enim Agathonem vocant patres *primam sedem*, σοι πρωτοθρόνῳ.

6° Nec objiciatur in hac sexta generali synodo condemnatum fuisse Honorium Papam, et ei tanquam hæretico anathema dictum; ac proinde fallibilem existimatum fuisse in materia fidei Romanum Pontificem. — Damnatus quippe non fuit eo quod erroneam ullam fidei definitionem ediderit, sed eo quod exorientem Monothelismi hæresim non represserit, et per hanc suam negligentiam illius revera hæreseos fautor exstiterit. Quia vero solitum erat hæreticos vocare,

non tantum qui hæresim professi erant, sed et hæresis fautores, ideo et Honorius a Patribus hujus concilii hæreticus nuncupatur. Id fuse probamus infra, sectione V.

Propositio XIII[a]. — *Persuasionem de Romani Pontificis infallibilitate testatur imperator Constantinus Pogonatus, in suis litteris anni* 681, *ad Leonem II Romanum Pontificem.* — « Deo gloria, qui facit gloriosa, qui conservavit *in vobis* fidem inviolabilem. Quomodo enim non esset conservaturus in ea petra, in qua fundavit Ecclesiam, et prædixit fore ut a portis inferi, ab hæreticis inquam insidiis, minime expugnetur: ex qua tanquam ex cœlestibus absidibus eluxit ratio veræ confessionis, et Christi amantium animas illuminavit, et refrigeratam orthodoxam fidem suscitavit? » (Conciliorum Mansi, tomo XI, col. 918, editionis Florentinæ.)

Caveat autem lector ab altera latina versione, quæ certo mendosa in hoc loco, prout et in aliis pluribus. Ista namque sic habet : « Gloria Deo qui gloriosa facit, et fidem *apud nos* integram conservavit. Quomodo enim id facturus non erat, in ea petra, super quam, » etc. (tomo citato, col. 718). Quod verba hæc *apud nos* sint mendum, patet plenissime; tum quia sensus evadit absonus, tum quia id per se probat textus græcus, qui sic habet : δόξα τῳ ποίουντι δεδαξασμένα Θεῷ, τῳ παρ' ὑμῖν τὴν πίστιν ἀπαρεγχείρητον διασώσαντι (ibidem, col. 717).

Quo prænotato, sic ex illo textu arguimus : Dicit imperator puram conservatam fuisse fidem in Romano Pontifice seu in Sede Romana, *apud vos*, παρ' ὑμῖν ; et quod secus esse nequeat, persuasum habet ex ea ratione : quia videlicet Ecclesiam Christus fundavit in *hac petra*, ἐν ᾗ πετρᾳ; et quia prædixit inanem semper futurum contra illam portarum inferi conatum. Porro qui sic loquitur pro certo tenet, Romanam Sedem esse ipsam petram in quo Christus Ecclesiam fundavit, et istam Sedem haud posse unquam in fide errare.

Propositio XIV[a]. — *Septimo sæculo viguisse de Romani Pontificis inerrantia persuasionem, constat ex epistola Sergii Cyprien-*

sis Episcopi ad Theodorum Papam. —Lecta est hæc epistola in concilio Lateranensi sub Martino I, et habetur græce ac latine apud Labbe, tomo VI, col. 121, edit. Parisiis, 1671. Quia vero nimium a græco textu recedit versio ista latina, aliam substituimus :

« Sanctissimo et beatissimo ac Deo honorabili domino meo, « Patri Patrum, archiepiscopo et universali Patriarchæ domino « Theodoro, humilis Episcopus in Domino, salutem.—Firma- « mentum divinitus fixum et immobile necnon lucidissimum « monumentum fidei tuam apostolicam Sedem constituit, o « sacer vertex, Christus Deus noster. Tu enim, ut veraciter « divinus proclamavit sermo, existis Petrus (ὑπάρχεις Πέτρος), « et super fundamentum tuum Ecclesiæ columnæ confirmatæ « sunt. Tibi et claves cœlorum tradidit, solvendique ac ligandi « in terra et in cœlo potestatem attribuit. Tu profanarum « hæresum eversor constitutus es, utpote princeps et ma- « gister orthodoxæ et immaculatæ fidei. »

Ille profecto infallibilis in edocenda fide existimatur, qui habetur et agnoscitur tanquam *fixum a Deo et immobile firmamentum*, *et monumentum perlucidum fidei*, tanquam *fundamentum super quod Ecclesiæ columnæ confirmatæ sunt*, tanquam habens *claves regni cœlorum ad liganda et solvenda potestative quæ in terra et quæ in cœlis*, tanquam *hæresum eversor*, tanquam *princeps et magister orthodoxæ et immaculatæ fidei*, tanquam ille *Petrus*, *divino sermone* pro fundamento Ecclesiæ positus. Atqui hæc omnia Sergius agnoscit et existere profitetur, in Theodoro Romæ Episcopo. Ergo persuasum habuit infallibiles esse Romanos Pontifices. Et notetur quam aperte ibi præcludatur aditus absonæ Bossuetii distinctioni sedentem inter et sedem. Postquam enim dixit Sergius, tuam *cathedram firmamentum fidei constituit Christus*, ut hoc palam faciat, subjungit ipsummet Theodorum Papam esse Petrum a Christo constitutum, et fundamentum super quod Ecclesiæ columnæ confirmatæ sunt : *Tu enim es Petrus*, *et super fundamentum tuum*, etc. Nimirum in tota retro antiquitate unum

et idem fuit, aliquid potestatis et auctoritatis tribui *Romanæ Sedi*, et tribui *Romano Episcopo*.

Propositio XV[a]. — *Septimo sæculo viguisse de Romani Pontificis inerrantia persuasionem, constat ex relatione Stephani Dorensis Episcopi.* — Lecta est illa relatio in concilio Lateranensi anni 649 sub Martino I, adstante ipsomet Stephano Dorensi Episcopo. Et habetur apud Labbe, tomo sexto, col. 101, editionis Parisiensis, 1671. Ex qua hæc quæ sequuntur, facta a me e græco textu in latinum translatione, subjicio :

« Et ideo exquirebamus aliquando aquam capiti et oculis « fontem lacrymarum...; aliquando autem pennas columbæ, « secundum divum David, ut volemus atque ista annuntie- « mus imperanti et superpositæ cunctis cathedræ (τῃ πασῶν « ἀρχούσῃ καὶ υπερκειμενῃ καθεδρᾳ), dico principale vestræ ac « super excellenti (λέγω δὴ τῃ καθ' ὑμᾶς κορυφαίᾳ καὶ ὑπερφυέι), ad « universi vulneris sanationem. Quandoquidem id facere po- « testative, ab antiquo et a principio, ex apostolica sive canonica « consuevit auctoritate : non solum quia manifeste ut sibi « concrederentur claves regni cœlorum, unus pro omnibus,... « vere magnus ille et apostolorum princeps meruit Petrus; « sed quia et pascere oves omnis Ecclesiæ catholicæ primus « jussus est. Petro enim dixit : *Diligis me : pasce oves meas.* « Et rursum ipse præcipue specialiter firmiorem super omnes « et immobilem in dominum nostrum fidem habens, con- « vertendi aliquando ac confirmandi exagitatos consortes « suos et spirituales fratres, veluti ex providentia, super « omnes ab ipso pro nobis Incarnato Deo potestatem dispen- « sative accepit et sacram auctoritatem. Quod utique sciens « beatæ memoriæ Sophronius, sanctæ Christi Dei nostri civi- « tatis quondam patriarcha..., statuit sine mora exiguitatem « meam... ad apostolicam hanc et magnam cathedram diri- « gere. »

Refert postea Stephanus Episcopus ipsamet verba Sophronii Patriarchæ Hierosolymitani, quibus ipsi injunxit ut Sedem Romanam adiret. E quibus hæc ad rem nostram faciunt :

« Quantocius ergo perge a finibus ad fines terræ, donec « ad apostolicam pervenias Sedem, *ubi orthodoxorum dogmatum* « *fundamenta existunt.* Μέχρις ἂν ἐις τὸν ἀποστολικόν καταντήσειας « Θρόνον, ἔνθα τῶν εὐσεβῶν δογμάτων εἰσιν αἱ κρηπίδες. »

Qui credit orthodoxorum dogmatum fundamenta in Sede Romana existere, procul dubio eam sedem habet et profitetur in edocenda fide infallibilem. Si enim in edicendis dogmaticis definitionibus errare posset, stulte dicerentur in ea consistere orthodoxorum dogmatum fundamenta.

Præterea, cur Sophronius ad principalem et cunctis imperantem Romanam Sedem recurrit ad sananda fidei vulnera? Quia, inquit ipsius legatus Stephanus, apprime noverat Petro commissam divinitus fuisse curam et potestatem oves omnes pascendi, et confirmandi fratres. At nisi Romani Pontifices divo Petro quoad infallibilitatis prærogativam successerint, absone ex privilegio Petri concluderetur penes Romanam Sedem consistere certam rectæ fidei regulam. Fuit ergo Sophronii et Stephani persuasio, illam ipsam Petro commissam potestatem oves omnes recte pascendi et fratres confirmandi, ac proinde etiam rectam fidem infallibiliter edocendi, in omnes ejus successores, ex divina dispositione, transfundi.

Propositio XVI[a]. — *Octavo sæculo viguisse de Romani Pontificis inerrantia persuasionem, constat ex Alcuino et libris Carolinis.*

Sic habet Alcuinus, epistola LXIX, ad Lugdunenses directa : « Nemo catholicus contra Ecclesiæ auctoritatem... certare au- « deat. *Et ne schismaticus inveniatur et non catholicus, sequatur* « *probatissimam sanctæ Romanæ Ecclesiæ auctoritatem* » (in collectione Latinorum Patrum, editionis Migne, t. C., col. 293). Si quisque teneatur, *ne inveniatur schismaticus et non catholicus*, Romanæ Ecclesiæ auctoritatem sequi, profecto auctoritas hæc nequit erronea dogmata edicere : alioquin non teneretur quisque ei obtemperare.

In *libris Carolinis* (libro I, capite VI, in collectione Latinorum Patrum editionis Migne, t. XCVIII, col. 1009 et seq.) hæc occurrunt :

« Antequam discutiendorum testimoniorum quæ absurde « Orientales in sua synodo taxaverunt sylvam ingrediamur, « dignum duximus ut qualiter *sancta Romana Ecclesia cæteris « a Domino prælata* et *a fidelibus consulenda sit*, prosequamur... « Nam cum hic (*loquitur de S. Augustino*) cunctis per orbem « constitutis sedibus *apostolicas* generaliter præferat sedes, « multo magis illa omnibus præferenda est, quæ etiam cæ- « teris apostolicis sedibus prælata est. Sicut igitur cæteris « discipulis apostoli, et apostolis omnibus Petrus eminet, ita « nimirum cæteris sedibus apostolicæ, et apostolicis Romana « eminere dignoscitur. Hæc enim nullis synodicis constitutis « cæteris Ecclesiis prælata est, sed ipsius Domini auctoritate « primatum tenet, dicentis, *tu es Petrus, et super hanc pe- « tram... et tibi dabo claves*... Hæc ergo sanctæ fidei spirituа- « libus munita armis, et a fonte lucis et origine bonitatis « salutaribus satiata fluentis, et horrendis atrocibusque hæ- « resum obsistit monstris, et melliflua prædicationis pocula « catholicis per orbem ministrat Ecclesiis. Nam beatissimus « Hieronymus, vir divinis legibus et multarum linguarum « peritia eruditus, dum Bethlemiticis moraretur in arvis, et a « beato Papa Damaso Romæ posito de difficilibus consulere- « tur quæstionibus, eum pro causis fidei versa vice consu- « luisse dignoscitur, et sive tacendarum sive dicendarum « hyposteseon, vel quibus in orientalibus partibus commu- « nicare debeat, humillimis apicibus ut apices accipiat de- « precatur. Mira res et magnis prædicanda præconiis : inter- « rogat a quo interrogatur; consulit a quo consulitur, qui « magistrum se in interpretandis divinis Scripturis sentit, in « causis fidei venerandi Pontificis se discipulum minime « erubescit... Unde datur intelligi sanctos et eruditos viros « per diversas mundi partes prædicationis et scientiæ lam- « pade coruscantes; non solum a sancta Romana Ecclesia non « recessisse, sed etiam tempore necessitatis ob fidei corrobo- « rationem ab ea adjutorium implorasse. Quod regulariter, « ut præfati sumus et exemplis docuimus, *omnes catholicæ*

« *debent observare Ecclesiæ, ut ab ea post Christum ad mu-*
« *niendam fidem adjutorium petant, quæ non habens maculam*
« *nec rugam, et portentuosa hæresum capita calcat, et fidelium*
« *mentes in fide corroborat.* » Si fallibilem in docenda fide Romanam Sedem existimasset Carolus Magnus, haud sane asseruisset eam esse absque macula et ruga, ab ea in fide corroborari fidelium mentes, calcari hæresum capita, catholicis Ecclesiis melliflua pocula ministrari. Item non asseruisset incumbere omnibus Ecclesiis obligationem petendi, *post Christum, ab Ecclesia Romana adjutorium, ad muniendam fidem.* Quomodo enim fidem munire valebit fallibile Romani pontificis judicium? Si errori obnoxia sint Romanæ Sedis dogmatica decreta, non ad ipsam, *post Christum*, recurrendum est ad munimen fidei; sed ad auctoritatem infallibilem, si quam in terris reliquerit Christus : sin vero nullam reliquerit, nec ullus existet judex qui fidei controversias *certo* dirimere valeat.

Propositio XVII^a^. — *Octavo sæculo viguisse de Romani Pontificis infallibilitate persuasionem, constat ex generali concilio VII, Nicæno secundo.* — In ea synodo, actione secunda, lectæ sunt et approbatæ litteræ Hadriani Papæ, ad Tarasium Constantinopolitanum Episcopum, in quibus sic legere est : « Omne zizanium eradicetur ab Ecclesia, et Domini nostri Jesu Christi sermo compleatur, quia *portæ inferi non prævalebunt adversus eam ;* et rursus : *Tu es Petrus et...* Cujus sedes in omnem terrarum orbem primatum tenens refulget, et caput omnium Ecclesiarum Dei consistit. Unde idem beatus Petrus apostolus Domini præcepto pascens Ecclesiam, nihil dissolutum dimisit, sed tenuit semper et retinet principatum. Quapropter si adhærere cupit vestra sanctitas nostræ Apostolicæ Sedi, quæ est caput omnium Ecclesiarum Dei, *et ejus sacram et orthodoxam formam ex profundo cordis et sinceritate mentis custodire,* » etc. Ibi exigit Hadrianus Papa ut Tarasius definitioni Sedis Romanæ sincere adhæreat et ex toto corde. Et dicit, per hanc sedem Petrum *semper* tenuisse et *adhuc retinere* principatum, et *nihil dissolutum dimittere.* Quod sane

idem est ac infallibilem in negotiis fidei asserere Romanam Sedem, seu Romanum Pontificem. Lectis autem his litteris, *sancta synodus dixit : Tota sacratissima synodus ita credit, ita sapit, ita dogmatizat* (Conciliorum Mansi tomo XII, col. 1081 et 1085, edit. Florentiæ, 1766).

CAPUT III

A SÆCULO *NONO* USQUE AD *DECIMUM TERTIUM*, ID EST, A SCHISMATE GRÆCORUM USQUE AD SCHOLASTICOS, UNANIMIS FUIT CATHOLICORUM PERSUASIO DE ROMANI PONTIFICIS INFALLIBILITATE.

Propositio XVIII^a^. — *Nono sæculo viguisse de Romani Pontificis inerrantia persuasionem, constat ex S. Theodoro Studita.* — Doctrina æque ac sanctitate clarissimus ille vir, qui pro defendenda orthodoxa fide exilia et carceres perpessus est, ita scribebat ad Paschalem I, Romanum Pontificem : « Audi, apos- « tolicum caput, a Deo præposite pastor ovium Christi, jani- « tor regni cœlorum, petra fidei super quam ædificata est « catholica Ecclesia. Petrus enim *tu*, Petri sedem exornans « et gubernans. Πέτρα τῆς πίστεως, ἐφ' ᾗ ᾠκοδόμηται ἡ καθολικὴ « Ἐκκλησία. Πέτρος γὰρ σὺ, τον Πέτρου θρόνον κοσμῶν καί διέπων » (libro II, epistola XII, tomo XCIX, col. 1151, collectionis Patrum Græcorum editionis Migne). Et paulo post, in eadem epistola : « Tibi dixit Christus Deus noster, *et tu aliquando conversus « confirmabis fratres tuos.* Ecce tempus, ecce locus. Opitu- « lare nobis, qui es a Deo ad hoc ordinatus : porrige manum « quantum fieri potest : habes potestatem a Deo, eo quod om- « nium princeps es. »

In sequenti epistola, ad eumdem Paschalem I directa, hæc occurrunt : « Respexit nos oriens ex alto Christus Deus « noster, tuam in Occidente beatitudinem, *tanquàm facem « quamdam divinitus lucentem* (ὥσπερ τινὰ λυχνίαν θεαυγῆ) ad « Ecclesiæ quæ sub cœlo est illuminationem, in apostolica

« prima sede constituens... Vos igitur illimis revera ac sin-
« cerus ab initio fons orthodoxæ fidei : vos adversus omnem
« hæreticam procellam *tranquillus sepositus Ecclesiæ universæ*
« *portus* : vos a Deo electa civitas refugii salutis » (tomo citato, col. 1153). Priorem ex citatis epistolis inscripsit Theodorus : φωστῆρι μεγάλῳ ἀρχιερεῖ πρωτίστῳ, *luminari magno, Antistitum supremo* : posteriorem autem, κορυφαίῳ φωστῆρι οἰκουμενικῷ, *supremo luminari universali*. Equidem Alexandrinum etiam et Antiochenum Patriarcham vocat *luminare luminarium*, relative scilicet ad subjectos patriarchatus Episcopos ; sed eos non vocat *magnum* vel *supremum* luminare *œcumenicum*.

In epistola ad Naucratem (epistola LXIII libri II, citato tomo, col. 1282) : « Non dereliquit in finem Dominus Ecclesiam suam ;
« sed illam vires suas adhuc habere docuit, fratres nostros
« excitans ab occasu ad reprehensionem temulentiæ nostra-
« tium, et illuminationem hæresis noctu dimicantium. Quam-
« quam rejecerunt præfracti, et cordis oculos non aperuerunt.
« Testor nunc coram Deo et hominibus : seipsos avulserunt
« *a corpore Christi et supremo verticali throno, in quo Christus*
« *claves posuit fidei ;* adversus quam non prævaluere hactenus,
« nec prævalebunt usque ad consummationem portæ inferi,
« ora scilicet hæreticorum, sicut pollicitus est qui non menti-
« tur. Gaudeat igitur beatissimus et apostolicus et nomine suo
« dignus Paschalis, quoniam Petri opus adimplevit. » Voces latinas sublineatas excripsimus prout jacent in citata editione. Sed deest conjunctio *et* in græco textu : Ἑαυτοὺς ἀπέρρηξαν τοῦ σώματος τοῦ Χριστοῦ, τοῦ κορυφαικοῦ Θρόνου, ἐν ᾧ Χριστὸς ἔθετο τὰς κλεῖς τῆς πίστεως : *Seipsos avulserunt a corpore Christi, a suprema cathedra, in qua Christus posuit claves fidei.* Ita ut sensus sit : avulserunt se a corpore Christi, *id est*, a suprema cathedra in qua, etc.

In epistola ad Leonem Sacellarium (libro II, epistola CXXIX, citato tomo, col. 1419) : « Quod si hoc minime probet impe-
« rator, deflexitque (ut ipse ait) a veritate Nicephorus Pa-
« triarcha, mittenda est ad Romanum Episcopum ex utraque

« parte legatio, *et inde fidei accipienda certitudo*, κἀκεῖθεν « δεχέσθω τὸ ασφαλὲς τῆς πίστεως. »

In alia epistola, Michaeli imperatori, qui monachos invitaverat ad disputandum cum heterodoxis circa sanctas imagines, sic respondet Theodorus : « Sermonem, refellendi causa, cum « heterodoxis conferre apostolico mandato repugnat, mini- « meque convenit, nisi ad correptionem tantummodo... Quod « si quid est ejusmodi de quo ambigat aut diffidat divina « magnificentia vestra pie a Patriarcha dissolvi posse, *jubeat*... « *a vetere Roma suscipi declarationem*, prout olim et ab initio « paterna traditione transmissus mos fuit. Hæc enim, Chris- « ticola imperator, suprema est Ecclesiarum Dei, in qua Pe- « trus sedem primus tenuit, ad quem Dominus dixit : *Tu es* « *Petrus*... » (libri II, epistola LXXXVI, tomo citato, col. 1331).

Qui Romanum Pontificem habet tanquam *petram fidei super quam ædificata est catholica Ecclesia ;* tanquam *illum cui dixit Christus : Confirmabis fratres tuos ;* tanquam *facem divinitus lucentem ad Ecclesiæ quæ sub cœlo est illuminationem ;* tanquam *illimem ac sincerum fontem orthodoxæ fidei ;* tanquam *tranquillum portum, universæ Ecclesiæ* præparatum *adversus omnem hæreticam procellam ;* tanquam *luminare magnum supremum œcumenicum ;* tanquam Episcopum ad quem in controversiis fidei recurrendum est et a quo *accipienda fidei certitudo ;* qui demum Sedem Romanam habet tanquam *supremam* sedem *in qua Christus claves posuit fidei ;* ille profecto infallibilem in decernenda fide Romanum Pontificem profitetur et pronuntiat. Et notet lector quam aperte his textibus excludatur Bossuetiana cavillatio, sedem inter et sedentem distinguens.

PROPOSITIO XIX^a^. — *Sæculo nono viguisse de Romani Pontificis inerrantia persuasionem constat, ex Ænea Parisiensi episcopo.* — Scripsit Æneas de Ecclesiæ Latinæ cum Græca controversiis. In cujus libri prologo, postquam memoravit plures exstitisse in Constantinopolitana sede hæreticos præsules, sic pergit : « Non vero in Romana Sede, Deo rectore, talc unquam

« contigit dedecus, ut aliquis hæresiarches eidem præsideret ; « quam summus apostolorum princeps sua sessione illustra- « vit et fuso sanguine consecravit ; cui suas regendas oves « Dei Filius speciali cura commisit. Nec mirum, quia ipsi « dictum fuerat : *Tu es Petrus et super hanc petram ædificabo « Ecclesiam. Et tibi dabo claves regni cœlorum.* Ergo cui pro- « pria auctoritate regnum dabat, hujus fidem firmare non « poterat? quem cum petram dicit, firmamentum Ecclesiæ « indicavit » (apud Labbe, tomo VIII, col. 478, edit. Parisiis, 1671). Dein iis quæ contra Romani Pontificis infallibilitatem ex prætenso lapsu Liberii Papæ objici possent sic respondet : « Quamvis a fidei tramite non deviaret, exilio et minis « Ariani principis territus, non virtute qua debuit perfidis « Arianis viriliter repugnavit » (loco citato). Persuasum ergo habuit Æneas, *ideo* nullum Romæ sedisse hæreticum Episcopum, *quia* Romanam Sedem sessione sua illustravit Petrus, et *quia* Petro dictum fuerat, *tu es Petrus*, etc., ejusque fides divina promissione firmata fuerat, et positus fuerat totius Ecclesiæ firmamentum. Sed ratio hæc æque valet quoad omnium temporum Romanos Pontifices : ergo persuasum habuit Æneas inerrantiæ prærogativam Romanis omnibus Pontificibus in beati Petri persona fuisse a Christo collatam.

Propositio XX^a^. — *Nono sæculo viguisse de Romani Pontificis inerrantia persuasionem, constat ex Hincmaro Rhemensi Archiepiscopo.* — 1° In libro suo *de Prædestinatione*, capite XXIV (Operum tomo I, col. 210, editionis Migne), probandam suscipit contra prædestinatianos thesim hanc : « Deus omnipotens « omnes homines sine exceptione vult salvos fieri, licet non « omnes salventur » (ibidem, col. 211). Quam ut veram demonstret, allegat ante omnia et tanquam peremptorium argumentum, traditam hac de re ab Ecclesia Romana doctrinam : « Consulentes, inquit, ante omnia, « sicut et prima est in toto orbe omnium Ecclesiarum « mater, sanctam catholicam et apostolicam Romanam Eccle- « siam... Ista glorificata est magni Petri principis apos-

« tolorum præsentia; cui a vero Dei filio... dictum est : « *Tu es Petrus et super hanc petram*... Quæ non ab ho- « mine, neque per hominem, sed per Dominum Jesum « Christum, sicut Petrus et Paulus apostolatum, ita et hæc « sancta Sedes omnium civitatum meruit principatum. » Allegat postea Hincmarus Cœlestini Papæ sententiam, *legem credendi lex statuat supplicandi*. Ex qua auctoritate concludit tenendam a nobis esse fidem, quæ per publicas Ecclesiæ catholicæ orationes prædicatur. Tum adnotat fieri ab Ecclesia supplicationes pro schismaticis, hæreticis, judæis atque paganis ; et citat orationem, *Deus qui salvos omnes et neminem vis perire*, etc. (ibidem, col. 213 et alias, col. 473). Et tandem suam hanc argumentationem sic concludit : *Piis, devotis atque catholicis hoc potest et hoc debet sufficere, quod omnium Ecclesiarum mater sancta catholica atque apostolica docet Romana Ecclesia* (loco citato, col. 214). Si errori obnoxium foret quod docet Romana Ecclesia, id nec posset nec deberet catholicis sufficere. Dum ergo asserit Hincmarus *catholicis sufficere posse et debere* quod docet Romana Sedes, procul dubio infallibilem existimat hujus sedis doctrinam.

2° Scriptum quod edidit *de divortio Lotharii*, sic exorditur Hincmarus : « De omnibus dubiis vel obscuris, quæ ad re- « dactæ fidei tenorem vel pietatis dogmata pertinent, sancta « Romana Ecclesia, ut omnium Ecclesiarum mater et magis- « tra, nutrix ac doctrix, est consulenda, et ejus salubria mo- « nita sunt tenenda » (Operum tomo II, col. 623, editionis Migne). Agnoscit ibi Hincmarus obligationem *recurrendi* ad Romanam Ecclesiam in dubiis circa dogmata, et *tenendi* quod eadem Ecclesia definierit. Absona autem ejusmodi obligatio, nisi in decidendis hisce dubiis infallibilis sit Romana Ecclesia. Eam ergo infallibilem æquivalenter asserit Hincmarus.

3° Idem colligendum venit ex his ejusdem verbis : « Sequi- « mur autem quæ catholica et apostolica nos docet sancta « Romana Ecclesia » (tomo citato, col. 88). Quod autem intelligat ita se *ex obligatione* agere patet ex contextu.

Propositio XXI[a]. — *Nono sæculo viguisse de Romani Pontificis inerrantia persuasionem, constat ex imperatore Lothario.* — Quamdam suam ad Leonem Papam IV epistolam ita inchoat : « Sedem Apostolicam, quæ per beatissimum apostolorum « principem in universo orbe quaquaversum religio chris- « tiana diffunditur, caput et fundamentum est sanctitatis, « idcirco superna dispositio primatum obtinere voluit Eccle- « siarum, ut in quibuscumque causis, quæstionibus sive ne- « gotiis ecclesiastica suaderet necessitas, omnes quasi ad « normam religionis, fontemque recurrerent æquitatis » (apud Labbe, tomo VIII, col. 1931, edit. Parisiis, 1671). Qui Romanam Sedem habet tanquam *caput et fundamentum sanctitatis*, et tanquam *normam religionis et fontem æquitatis* in *quibuscumque ecclesiasticis causis*, is sane infallibilem in edocenda fide sedem illam, etsi non expressis, æquipollentibus tamen verbis pronuntiat.

Propositio XXII[a]. — *Nono sæculo viguisse de Romani Pontificis inerrantia persuasionem, constat ex Ratramno Corbeiensi monacho.* — In ipsius opere quod inscribitur *contra Græcorum opposita*, sic habetur (libro IV, capite VIII, col. 336 et seq. editionis Migne) : « Cernimus omnino Romani Pon- « tificis auctoritatem super cunctas Ecclesias Christi præe- « minere ; ut omnes Episcopi illum habeant caput, et ad « ejus judicium pendeat quidquid in ecclesiasticis negotiis « disponitur ; ut ex ejus arbitrio vel mancat constitutum, « vel corrigatur erratum, vel sanciatur quodcumque fuerit « innovandum... Et revera omnes Orientales Ecclesiæ simul « et Occidentales Romanæ civitatis præsulem semper quasi « caput Episcoporum veneratæ sunt, et ad ejus sententiam « respexerunt, et de rebus dubiis quæcumque decrevit ejus « judicium sustinuerunt, *illiusque decreto paruerunt*. Quæ- « cumque concilia ejus sententia roborata sunt, rata man- « serunt : quæ vero damnavit, pro nihilo reputata fuerunt, « nec auctoritatem ullam habere potuerunt. » Et alia similia in eodem capite reperire est. Nullatenus ergo Ratramno du-

bium Romano Pontifici, de negotiis ecclesiasticis decernenti, esse ab omnibus obtemperandum. Quæ obtemperandi obligatio absona foret, quoad decreta fidei, si hæc errori obnoxia forent.

Propositio XXIII[a]. — *Nono sæculo viguisse persuasionem de Romani Pontificis inerrantia, constat ex sancto Nicolao I.* — In sua ad Photium epistola (apud Labbe, tomo VIII, col. 282, edit. Parisiis, 1671) : « Cujus primatum, sicut omnibus or-« thodoxis manifestum est viris..., beatus Petrus princeps « apostolorum et janitor regni cœlestis merito promeruit. « Post quem et hujus vicarii sincerissime Deo famulantes, « *carentes nebularum densitatibus* quæ recto ab itinere impe-« dire assolent, dignius perceperunt... Universitas creden-« tium ab hac sancta Romana Ecclesia, quæ caput omnium « est Ecclesiarum, doctrinam exquirit, *integritatem fidei de-« poscit*... Constat enim sanctam Romanam Ecclesiam per « beatum Petrum principem Apostolorum, qui dominico ore « primatum Ecclesiarum suscipere promeruit, omnium Ec-« clesiarum caput esse. » Ut *integram fidem* certo dignoscat, ad Sedem Romanam recurrit orbis catholicus, testante Nicolao. Ast ita non ageret, nisi infallibilem in edocenda fide sedem illam reputaret. Item ipse Nicolaus Romanos Pontifices non assereret *nebularum densitatibus carentes*, ni eos inerrantiæ prærogativa donatos existimaret.

In ejusdem Nicolai I ad Michaelem imperatorem epistola (apud Labbe, tomo VIII, col. 293 et seq., edit. Parisiis, 1671) : « Quamvis dixeritis non nostri eguisse vos ad expugnandos hæreticos, pro eo quod jam fuerit hujusmodi hæresis in Nicæa secundo convocata synodo, et a magno Methodio deinde subversa; quasi non et ipsi secundo in Nicæa collectæ synodo apostolica nostra sedes præsederit, et prima contra mala sentientes spiritalem sagittam emiserit. Et rursum quasi non et venerandæ memoriæ Methodius, in Græcia persecutione fervente, hic apud beatum Petrum et apud nos, ubi olim Athanasius, ubi Paulus, ubi plurimi

cum illis et præter illos, ubi denique semper catholicis subvenitur, consecuti sint requiem, donec apprehenderet campum certaminis jam satiatus *lacte matris hujus omnium*, sanctæ videlicet Romanæ Ecclesiæ, catholicum dogma defendere fuerit eruditus. Et quasi non hinc auctoritatem prædicandi sumpserit... Non ergo dicatis non eguisse vos, in causa pietatis, Romanæ Ecclesiæ, quæ collecta concilii sua auctoritate firmat, sua moderatione custodit. Unde quædam eorum, quia consensum Romani Pontificis non habuerunt, valetudinem perdiderunt. Quomodo non egeat quælibet synodus Romanæ Sedis, quando in Ephesino latrocinio cunctis præsulibus et ipsis quoque Patriarchis prolabentibus, nisi Magnus Leo, imitator scilicet illius Leonis de quo scriptum est : *Vicit Leo de tribu Juda*, divinitus excitatus, os aperiens, totum orbem et ipsos quoque Augustos concuteret et ad pietatem commoveret, religio catholica penitus corruisset ? » (Loco citato, col. 312 et 313.)

« Rogamus omnipotentem Deum ut... quæ sint vel quanta et qualia privilegia Ecclesiæ Romanæ, et ex quo cœperint exordium, et quis ejus *summæ auctoritatis* auctor existat vobis clementer aperiat » (ibidem, col. 314).

« Ista igitur privilegia huic sanctæ Ecclesiæ a Christo donata ; a synodis non donata, sed jam solummodo celebrata et venerata ;... nos cogunt nosque compellunt omnium habere sollicitudinem Ecclesiarum Dei » (ibidem, col. 314).

« Hæredes quippe horum (*sanctorum Petri et Pauli*) effecti, facultatem potestatis quam a Domino perceperunt et onus sollicitudinis nihilo minus capessere nos oportet » (ibidem, col. 315).

« Cùm, secundum canones, ubi est major auctoritas judicium inferiorum sit deferendum, ad dissolvendum scilicet vel ad roborandum; patet profecto Sedis Apostolicæ, *cujus auctoritate major non est*, judicium a nemine fore retractandum; neque *cuiquam de ejus liceat judicare judicio*. Si quidem ad

illam de qualibet mundi parte canones appellari voluerunt, ab illa autem nemo sit appellare permissus » (ibidem, col. 319).

« Cum enim Christi munere, propter primatum Ecclesiæ Romanæ in beato Petro concessum, nemini sit de Sedis Apostolicæ judicio judicare, aut illius sententiam retractare permissum, etc. » (ibidem, col. 473).

« Si cunctis generaliter sacerdotibus divina tractantibus fidelium convenit corda submitti, quanto potius sedis illius Pontifici consensus est adhibendus, quem cunctæ Ecclesiæ generalis jugiter pietas celebravit? Ubi clementia vestra evidenter advertit, nunquam quovis penitus humano consilio elevare se quemquam posse *contra illius privilegium vel confessionem*, quem Christi vox prætulit universis, quem Ecclesia veneranda confessa semper est et habet devota primatem » (ibidem, col. 324).

In sua ad Wenilonem Archiepiscopum Senonensem epistola, laudans eum et alios Episcopos, quod in re gravi ac dubia edoceri se ab apostolica Sede postulassent : « Quo vo-
« bis eundum, inquit, quove in rebus dubiis atque in magnis
« ecclesiasticis negotiis esset accelerandum serenitatis visibus
« prævidistis, humilibusque devotionis vestræ passibus cu-
« curristis. Contra illos nimirum, qui beatissimi apostolo-
« rum principis Petri ejusque successorum luculentissimam
« doctrinam sedemque spernentes (quem Dei Filius in sancta
« Ecclesia sua, tanquam luminare majus in cœlo constituit),
« veluti quidam scorpiones palantes incedunt in meridie, et
« cum adhuc dies est, occidit eis sol... per abrupta et avia
« incedentes, dum caput sequi refugiunt, in vasta præcipitia
« demerguntur. Vos autem, fratres carissimi, qui sancto uti-
« que Spiritu revelante, apostolicæ Sedis auctoritatem sensu
« capere et ad splendorem luminis ejus jam incedere lauda-
« biliter inchoastis, cum illa usque in finem sapere, cum
« illa semper ambulare studete, *ab illa deviare nefas judicate*,
« *ab ejus discrepare sensu ne ad modicum quidem momentum*

« *consentiatis* » (apud Labbe, tomo VIII, col. 512, edit. Parisiis, 1671).

Omittimus, brevitatis causa, celebrem ejusdem Pontificis ad universos Galliæ Episcopos epistolam, quæ tota fere transcribenda foret (habetur apud Labbe, tomo citato, col. 797).

Si Romanus Pontifex in decretis fidei infallibilis non esset, legitime contra *ejus confessionem* seu doctrinam sese erigere posset, imo deberet, quisquis in errorem aut hæresim delapsum eum existimaret. Cum ergo contrarium asserat Nicolaus I, de Summorum Pontificum inerrantia nequaquam dubitavit. Quam suam persuasionem palam facit insuper dum asserit, *non licere cuiquam de Romani Pontificis judicio judicare :* id enimvero prorsus liceret, si errori circa fidem obnoxiæ forent dogmaticæ Romani Episcopi definitiones. Item dum asserit non esse firma conciliorum decreta, nisi ex ejusdem Romani Pontificis assensu. Item cum nefas pronuntiat *a Sedis Apostolicæ sensu deviare et vel ad modicum momentum discrepare.*

Propositio XXIV[a]. — *Nono sæculo viguisse de Romani Pontificis inerrantia persuasionem, constat ex Episcopis Galliæ, qui concilio Aquisgranensi anni* 860 *interfuerunt.* — Suam nempe ad Nicolaum I Papam relationem ita exordiuntur : « Apostolicis documentis et Pontificalibus decretis multipliciter in« formamur, ut vestri sanctissimi apostolatus apicem, prin« cipis apostolorum fide et nomine consecratum, quoties « sancta Ecclesia aliqua novitate pulsatur, humiliter adea« mus : ibique veri consilii saluberrima instituta sinceriter « hauriamus, ubi mitis magister Christus et summum caput « nostrum, fundamentum Ecclesiæ posuit » (apud Labbe, t. VIII, col. 697, edit. Parisiis, 1671). Si Antistites illi fallibilem in edendis dogmaticis definitionibus Romanum Pontificem existimassent, nequaquam asseruissent ipsum *humiliter adeundum esse* quoties *aliqua novitate pulsatur Ecclesia*, et *ibi* haurienda esse *veri consilii instituta.* Item non dixissent, in Romani Pontificis auctoritate positum a Christo fuisse

Ecclesiæ fundamentum. His sane non concordant gallicani systematis sequaces, utpote qui irreformabilis judicii prærogativam non agnoscunt, nisi in concilio œcumenico, vel in majoris dispersorum Episcoporum partis consensu. Bene advertat lector voces istas, *ubi Christus fundamentum Ecclesiæ posuit*, referri ad superiorem particulam *ibi;* et hanc ipsam particulam referri ad verba hæc *vestri Apostolatus apicem;* id est, ad ipsammet Nicolai I personam. Ita ut revera luculenter asseruerint Episcopi isti, in Nicolao Papa consistere *Ecclesiæ fundamentum*, a Christo positum.

Propositio XXV[a]. — *Nono sæculo viguisse de Romani Pontificis inerrantia persuasionem, constat ex concilio Romano anni* 863. — Sic habet quintum hujus synodi decretum : « Si quis dog-« mata, mandata, interdicta, sanctiones vel *decreta pro ca-« tholica fide*, pro ecclesiastica disciplina, pro correctione « fidelium, pro emendatione sceleratorum, vel interdictione « imminentium vel futurorum malorum, *a Sedis Apostolicæ « præside* salubriter promulgata contempserit, anathema sit » (apud Labbe, tomo VIII, col. 769, edit. Parisiis, 1671). Ille procul dubio contemnit Romani Pontificis decreta pro fide catholica promulgata, qui renuit omnino certum et verum credere, quod Romanus Pontifex credendum definit atque imperat. Et aliunde ille renuit omnino veras et certas credere Romani Pontificis decisiones dogmaticas, qui eas errori obnoxias existimat; seu qui infallibilem in decernenda fide Romanum Pontificem non agnoscit. Cadit ergo illud anathema, in concilio Romano a Nicolao I pronuntiatum, in eos omnes qui gallicano systemati de Romani Pontificis fallibilitate adhærent.

Propositio XXVI[a]. — *Nono sæculo viguisse de Romani Pontificis inerrantia persuasionem, constat ex octavo concilio œcumenico, anni* 869, *a quo implicite definita fuit Romanorum Pontificum in decernenda fide infallibilitas.* — Duplex occurrit in hujusce œcumenicæ synodi actis documentum, ex quo implicite ab ipsa definitam Romani Pontificis infallibilitatem con-

tendimus; videlicet canon secundus, et formula quædam fidei a S. Nicolao Papa conscripta, et in pleno concilio lecta et approbata.

Argumentum I. — *Ex canone secundo.* — Hæc ei præfixa est rubrica : « De conservandis etiam definitionibus synodice a « beatissimo Papa Nicolao et sanctissimo Papa Hadriano Ro- « manis Patriarchis, pro defensione Constantinopolitanorum « Ecclesiæ, ac restitutione Ignatii sanctissimi Patriarchæ, « atque neophyti expulsione ac condemnatione Photii, expo- « sitis. » Ipsius autem canonis tenor est hujuscemodi :

« *Obedite præpositis vestris et subjacete illis, ipsi enim pervi-* « *gilant pro animabus vestris tanquam rationem reddituri*, Pau- « lus magnus Apostolus præcipit. Itaque beatissimum Papam « Nicolaum, *tanquam organum sancti Spiritus habentes*, necnon « et sanctissimum Hadrianum Papam successorem ejus, de- « finimus atque sancimus etiam *omnia quæ ab eis synodice* « *per diversa tempora* exposita sunt et promulgata, tam pro « defensione ac statu Constantinopolitanorum Ecclesiæ et « summi sacerdotis ejus, Ignatii videlicet sanctissimi Pa- « triarchæ, quam etiam pro Photii neophyti et invasoris « expulsione ac condemnatione, *servari semper et custodiri* « cum expositis capitulis immutilata pariter et illæsa, et « nullum Episcoporum aut presbyterorum vel diaconorum, « aut quempiam de catalogo clericorum, evertere vel repro- « bare aliquid horum audere. Quisquis autem post hanc de- « finitionem nostram comprehensus fuerit spernens quid- « piam capitulorum et decretorum quæ ab illis exposita sunt, « siquidem sacerdos fuerit aut clericus, a proprio decidat « honore simul et ordine; monachus autem aut laicus, cujus- « cumque sit dignitatis, segregetur, donec pœnitens profi- « teatur se conservaturum prædictorum editionem » (apud Labbe, t. VIII, col. 1127, edit. Parisiis, 1671).

Ex hoc canone sic arguimus : ibi generalis concilii auctoritate confirmantur Nicolai I decreta synodice edita; atqui unum ex istis decretis Romano Pontifici quoad dogmaticas

decisiones infallibilitatem vindicat : ergo octava generalis synodus dictam infallibilitatem confirmavit, proindeque implicite definivit.

Probatur major : Dicit canon : Nicolaum et Hadrianum *habentes tanquam organum Spiritus sancti*, definimus *omnia quæ ab eis synodice per diversa tempora exposita sunt et promulgata, servari semper et custodiri.* Item ab isto canone summis pœnis subjicitur *quisquis comprehensus fuerit spernens quidpiam capitulorum et decretorum quæ a Nicolao et Hadriano exposita sunt.* Ergo revera octava œcumenica synodus, dicta Nicolai I decreta sua fecit, confirmavit, veraque ac justa definivit.

Probatur minor, id est, per unum ex istis Nicolai I decretis, Romano Pontifici infallibilitatem vindicari. Nimirum, prout sub præcedenti propositione retulimus, in concilio Romano anni 863 hocce decretum ediderat Nicolaus I : *Si quis... decreta pro fide catholica... a Sedis apostolicæ præside salubriter promulgata contempserit, anathema sit.* Ille sane Romani Pontificis decretum *contemnit*, qui isti decreto non obtemperat. Et aliunde, cum decretum quodlibet circa fidem aliquid *credendum* præcipiat, ille hujusmodi decreto non *obtemperat* qui definitioni contradicit, vel etiam de ejus veritate dubitat. Proinde idem sonat Nicolai decretum ac si dictum fuisset : *Si quis non credat decretis dogmaticis a Romano Pontifice promulgatis, anathema sit.* Quod profecto decretum Romano Pontifici infallibilitatem in definienda fide aperte vindicat, cum repugnet erroneis definitionibus credendi obligatio. Jam vero hocce Nicolai I decretum, quo Romano Pontifici infallibilitas quoad dogmaticas definitiones tam manifeste vindicat, de iis est quæ sua fecit ac confirmavit octava œcumenica synodus. Latum quippe fuit synodice, id est, in concilio Romano. Et quamvis non legatur editum specialiter *pro defensione ac statu Constantinopolitanæ Ecclesiæ*, tamen censeri debet ab octava œcumenica synodo confirmatum, ob rationem quam allegat. Ideo enim Nicolai decreta circa dic-

tam causam variis temporibus promulgata firmat et sua facit hæc synodus, quia Nicolaum habet *tanquam organum sancti Spiritus*. Sed hanc rationem allegando, hoc ipso certo vera æquivalenter pronuntiavit cætera etiam Nicolai dogmatica decreta synodice promulgata.

Objicies. — Loquitur dumtaxat in suo decreto S. Nicolaus de decretis *salubriter* promulgatis. Quod autem tale sit quodlibet decretum dogmaticum a Romano Pontifice prolatum, non definit.

Respondeo : Absonum foret regis edictum quo pœnas decerneret in contemptores legum *a se salubriter promulgatarum*, si cuique liberum foret contendendi salubrem non esse legem quam contemnit. Sensus ergo sancti Nicolai est, *salubria esse* quælibet decreta pro fide catholica a Romano Pontifice promulgata, et anathemate dignos ejusmodi decretorum contemptores.

Argumentum II. — *Ex libello, fidei formulam ab Orientalibus Episcopis subscribendam continente, quem Nicolaus I conscripserat*. — Sic habetur in actis latine conscriptis, actione prima : « Locum tenentes sanctissimi Papæ Hadriani dixerunt : lega- « tur libellus quem sancta Romanorum Ecclesia exposuit. « Sancta synodus dixit : Audiamus eum » (apud Labbe, t. VIII, col. 988, edit. Parisiis, 1671). Lectus est primum latine, et postea græce. Ex eo quæ ad rem faciunt transcribimus :

« Prima salus est rectæ fidei regulam custodire... Et quia « non potest Domini nostri Jesu Christi prætermitti sententia « dicentis, *Tu es Petrus et super hanc petram ædificabo Eccle-* « *siam meam*, hæc quæ dicta sunt rerum probantur effecti- « bus : quia in Sede Apostolica immaculata est semper catho- « lica reservata religio et sancta celebrata doctrina. Ab hujus « ergo fide atque doctrina separari minime cupientes, et Pa- « trum et præcipue sanctorum Sedis apostolicæ præsulum, « sequentes in omnibus constituta, anathematizamus omnes « hæreses simul cum iconomachis. Anathematizamus etiam « Photium... sicut prædiximus, sequentes in omnibus apos-

« tolicam Sedem et observantes ejus omnia constituta, spe-
« ramus ut in una communione quam Sedes apostolica præ-
« dicat esse mereamur, in qua est integra et vera christianæ
« religionis soliditas; promittentes etiam sequestratos a com-
« munione Ecclesiæ catholicæ, id est, non consentientes Sedi
« Apostolicæ, eorum nomina inter sacra non recitanda esse
« mysteria. Hanc autem professionem ego ille Episcopus manu
« propria scripsi, et tibi sanctissimo ac ter beato et coange-
« lico nostro summo Pontifici et universali Papæ Hadriano
« per legatos tuos, Donatum videlicet et Stephanum sanctis-
« simos Episcopos, atque Marinum sanctæ catholicæ et Apos-
« tolicæ Romanæ Ecclesiæ diaconum, obtuli, mense illo, die
« illo, indictione quota » (apud Labbe, t. VIII, col. 988, edit. Parisiis, 1671).

« Notandum est, ait Anastasius bibliothecarius, et memo-
« riæ commendandum, quoniam libelli hujus tenorem beatæ
« recordationis Nicolaus Papa exposuit : sed quia tunc a præ-
« varicatoribus non est admissus, rursus ab Hadriano sanc-
« tissimo Papa, mutato nomine Pontificis, Constantinopolim
« est transmissus; secundum cujus firmationes Archiepiscopi
« metropolitani, et cæteri Episcopi Constantinopolitanæ diœ-
« ceseos, necnon et omnes omnino clerici, qui vel in honore
« vel in communione essent, syngraphum Sedi Apostolicæ,
« græce scriptum, et tam propriæ manus scripto, quam tes-
« tium a se rogatorum testimonio et subscriptione robora-
« vere... ita ut nullus vel antistitum vel reliquorum cleri-
« corum in synodalem fuerit conventum receptus, qui non
« secundum exemplar hujus codicilli chirographum scripsit »
(apud Labbe, t. VIII, col. 989, edit. Parisiis, 1671).

Quid contigerit post absolutam libelli hujus lectionem, sic relatum habetur in actis ejusdem octavæ œcumenicæ synodi :
« Sanctissimi vicarii senioris Romæ dixerunt : Placet omni-
« bus vobis libellus iste, qui plenus fide et canonizatus atque
« perfectus omni sapientia existat? Est orthodoxus, gratia di-
« vina a Romanorum Ecclesia missus. Tota sancta synodus

« exclamavit : Juste et convenienter lectus nobis libellus ex-
« positus est a sancta Romanorum Ecclesia, et propterea
« omnibus placet » (apud Labbe, t. VIII, col. 991, edit. Parisiis, 1671).

Ex hoc libello sic arguimus : quod admittit et docet hic libellus, admisit, confirmavit ac suum fecit octava œcumenica synodus : atqui libellus iste Romanæ Sedis infallibilitatem aperte asserit ac docet : ergo infallibilitatem hanc admisit ac implicite definivit dicta synodus.

Probatur major : doctrinam libelli admisit et professa est synodus dicendo : *Omnibus placet.* Eam insuper admisit per suum supra citatum canonem secundum. Ibi nempe definit servanda et custodienda esse omnia Nicolai primi et Hadriani decreta, in causa Photii variis temporibus promulgata. Porro hisce decretis annumerandus de quo agitur libellus.

Probatur minor, id est, per libellum istum plane vindicari Sedi Romanæ inerrantiæ prærogativam. Nam in eo fere ad verbum insertum est Hormisdæ Papæ formularium. Et ex isto formulario evinci dictam infallibilitatis prærogativam, jam supra probavimus, capite II, propositione II.

Propositio XXVII[a]. — *Sæculo nono viguisse de Romani Pontificis inerrantia persuasionem, constat ex Reginone abbate Prumiensi, et auctore Annalium Metensium.* — Sic habetur, ad annum 865 : « Tiedgaudus et Guntharius Romam proficiscuntur, ut coepiscopos suos ostenderent ecclesiastica atque apostolica exercuisse decreta. Stultitiæ elogio denotandi qui illam Petri Sedem aliquo pravo dogmate fallere posse arbitrati sunt, quæ nec fefellit unquam, nec ab aliqua unquam hæresi falli potuit. » Ita textum hunc citat Petit-Didier (*Traité de l'autorité et de l'infaillibilité des Papes*, pagina 283, editionis Luxemburgi, 1724), citans *Annales Metenses*, quorum auctor Reginonis *Chronicon* fere ad verbum secutus erat. Verum in ipso Reginonis *Chronico*, sic habetur :

« Tietgaudus et Guntharius archiepiscopi Romam profecti sunt, ea animi intentione, ut et regem innoxium in supra-

dicto facto demonstrarent, et se cum cæteris coepiscopis ecclesiastica atque apostolica exercuisse decreta. Stultitiæ quidem elogio denotandi, qui illam beati Petri sedem aliquo pravo dogmate fallere posse arbitrati sunt, quæ nec fefellit, nec ab aliqua hæresi unquam falli potuit » (collectio Patrum Latinorum, editionis Migne tomo CXXXII, col. 84).

Persuasum ergo his auctoribus fuit, Romanam Sedem nec falli, nec fallere in materia dogmatica, id est, eam esse in decernenda fide infallibilem. Et ita quidem id eis persuasum, ut contrarium sentientes *stultis* accensendos declarent.

Propositio XXVIII[a]. — *Decimo sæculo viguisse de Romani Pontificis inerrantia persuasionem constat ex Ratherio, Veronensi Episcopo.* — In suo *Itinerario* (collectio Latinorum Patrum, editionis Migne t. CXXXVI, col. 582) : « Qua ignorantia quo « melius exui, quo aptius possum, quam Romæ doceri? Quid « enim de ecclesiasticis dogmatibus alicubi scitur, quod « Romæ ignoretur? Illic summi illi totius orbis doctores; « illic præstantiores enituerunt universalis Ecclesiæ prin- « cipes; illic decretalia Pontificum, universorum congre- « gatio, examinatio canonum, approbatio recipiendorum, « reprobatio spernendorum. Postremo *nusquam ratum quod « illic irritum; nusquam irritum quod illic ratum fuerit visum.* « Ubinam ergo melius insipientiæ consulitur meæ, quam ubi « fons sapientiæ cernitur esse? »

In epistola v, ad Joannem Papam directa (citato tomo col. 656) : « Precor in Omnipotentis amore, ut querelam... benigne « suscipiatis, ejusque vice mihi vel sero succurratis, *cujus « ideo sedem obtinetis ut portas inferi prævalere adversus Ec- « clesiam non sinatis*, in quantum scilicet reniti cum Dei ip- « siusque adjutorio valeatis. » Et paulo post (col. 663) : « Summus enim Pontifex a nemine debet reprehendi. »

In libro quarto partis primæ Præloquiorum (citato tomo, col. 251) : « Postremo est sedes universalis, principalis, ca- « pitalis (quia ipsis capitibus Ecclesiæ insignis), nutrix, « mater, judex et magistra omnium. Si quid contra rem ac-

« tum ab aliquo vel in aliquo est horum, in ea judicari, « examinari vel legali potest sanctione puniri. »

Nisi persuasum Ratherio fuisset errare non posse Romanam Sedem in decretis dogmaticis, non asseruisset summum Pontificem a nemine reprehendi debere. Posset enim et deberet reprehendi si hæresim definiret et credendam præciperet. Item non asseruisset sedem hanc *omnium* esse *judicem* et *magistram :* quippe quæ, si errori in edocenda fide obnoxia sit, ab alio superiori judice et magistro corrigatur necesse sit. Præterea, *ideo*, ait Ratherius, Petri sedem obtinet Romanus Pontifex, *ut non sinat inferni portas contra Ecclesiam prævalere :* hoc autem officium recte explere nequit *quoad orthodoxæ fidei conservationem*, nisi infallibilitatis prærogativa polleat. Si enim errare et credendam hæresim præcipere possit, quo major existimaretur ipsius, ob sedem Petri quam occupat, auctoritas, eo majus toti Ecclesiæ periculum immineret.

Propositio XXIX[a]. — *Undecimo sæculo viguisse de Romani Pontificis inerrantia persuasionem, constat ex sancto Petro Damiano.* — In quadam epistola ad Cadolaum, sub Honorii II nomine Antipapam : « Præterea, si eos sacri canones hæreticos notant « qui cum Romana Ecclesia non concordant, qua tu judica« beris dignus esse sententia, qui sibi resistenti et obstina« tissime reluctanti ingereris? » (Libro I, epistola xx, in collectione Patrum Latinorum, editionis Migne tomo CXLIV, col. 241.)

In sermone xxiii, de S. Joannis Baptistæ nativitate : « Illa « enim mater et magistra omnium Ecclesiarum Ecclesia Ro« mana, cui dictum est : *Ego pro te rogavi, ut non deficiat « fides tua,* » etc. (citato tomo, col. 636).

In opusculo quod inscripsit, *Disceptatio inter regis advocatum et Romanæ Ecclesiæ defensorem :* « Omnes autem sive « patriarchivi cujuslibet apicem, sive Metropoleon primatus, « aut episcopatuum cathedras... homo purus instituit... Ro« manam autem Ecclesiam solus ille fundavit, et super pe-

« tram fidei mox nascentis erexit, qui beato vitæ æternæ « clavigero terreni simul et cœlestis imperii jura commisit « (Matthæi, 16). Non ergo quælibet terrena sententia, sed il- « lud Verbum per quod conditum est cœlum et terra... Ro- « manam fundavit Ecclesiam... Quisquis cuilibet Ecclesiæ « jus suum detraxit injustitiam facit : qui autem Romanæ Ec- « clesiæ privilegium ab ipso summo omnium Ecclesiarum « capite traditum auferre conatur, hic procul dubio in hære- « sim labitur. Et cum ille notetur injustus, hic est procul du- « bio dicendus hæreticus. Fidem quippe violat, qui adversus « illam agit *quæ mater est fidei ;* et illi contumax invenitur, qui « eam cunctis Ecclesiis prætulisse cognoscitur » (citatæ col- lectionis Patrum Latinorum, editionis Migne tomo CXLV, col. 68). Habentur iterum hæc eadem verba in concione ad Me- diolanenses habita (citato tomo CXLV, col. 91).

In opusculo quod inscribitur *Actus Mediolanensis*, postquam enarravit Petrus Damianus quomodo res Mediolani tanquam legatus Sedis Apostolicæ composuisset, ita subjungit : « Ecce « omnes discretionis illius ordinem apud Mediolanensem ur- « bem habitum breviter exposuimus. Adhuc tamen utrum « Sedis Apostolicæ judicio placeat ignoramus. Nos enim si « quid erravimus, ad Petri magisterium corrigendi libenter « accedimus, et retractationis opprobrium non veremur. Hæc « est enim illa, ut ita loquar, officina fabrilis, cui nimirum « is qui fabri dicebatur filius præsidet, ad cujus regulam « omnis merito moneta reducitur, ad cujus rectitudinis li- « neam quid quid uspiam fuerit depravatum, reformatur » (ci- tato tomo CXLV, col. 98).

In opusculo *Contra errorem Græcorum de processione Spi- ritus Sancti* inscripto, sic laudat Petrus Damianus Orienta- lem quemdam Patriarcham, qui a Romano Pontifice hujusce quæstionis solutionem expostulaverat : « Laudabilis plane sanc- « titatis vestræ prudentia, quæ solvendam Sancti Spiritus « quæstionem non ad alium quempiam refert, sed ad Petrum « specialiter, quem cœlestis sapientiæ et potentiæ claves acce-

« pisse indubitanter agnoscit. Nec decebat tantæ dignitatis et « sapientiæ virum ab alio mysterii cœlestis arcana requirere, « nisi ab illo potissimum, quem non caro potuit vel sanguis « instruere, sed cui Deus ipse per se sua decreta dignatus est « aperire. *Beatus est*, inquit, *Simon Barjona, quia caro et san-* « *guis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in cœlis est.* Hunc « enim præ cæteris mortalibus de toto terrarum orbe condi- « tor orbis elegit, cui cathedram magisterii principaliter in « Ecclesia tenere perpetuo privilegii jure concessit; ut quis- « quis divinum aliquid ac profundum nosse desiderat, ad « hujus præceptoris oraculum doctrinamque recurrat » (citato tomo 145, col. 633).

Nisi pro certo dogmate habuisset S. Petrus Damianus Romani Pontificis in edicenda fide inerrantiam, non *hæreticos* pronuntiasset eos qui *cum Ecclesia Romana non concordant.* Item non asseruisset Ecclesiam Romanam esse omnium Ecclesiarum *matrem* et *magistram*, et *illi Ecclesiæ Romanæ* dictum a Christo fuisse : *Ego pro te rogavi, ut non deficiat fides tua.* Item non dixisset Ecclesiam Romanam esse matrem fidei, et ab eo qui contra ipsam agit *fidem violari.* Item non pronuntiasset eam esse Romanam Ecclesiam, *ad cujus regulam omnis moneta merito reducitur, et ad cujus rectitudinis lineam quidquid uspiam fuerit depravatum reformatur.* Et tandem non dixisset, Romano Pontifici divinitus collatum, ut *magisterii cathedram in Ecclesia principaliter teneat*, et ideo ita dispositum ut quisquis cupit circa difficiles fidei quæstiones edoceri, *ad hujus præceptoris oraculum doctrinamque recurrat.*

Propositio XXX^a^. — *Undecimo sæculo viguisse de Romani Pontificis inerrantia persuasionem, constat ex sancto Anselmo Lucensi Episcopo.* — In suo contra Guilbertum Antipapam opere, de patriarchalibus sedibus loquens, ita disserit : « Firma- « mentum enim fidei christianæ in eorum sedibus, per bea- « tum Petrum sessorem earumdem, ita Deus locavit, ut si « unus ex tribus principalibus Patriarchis ceciderit, duo « stent; quod si duo ceciderint, cum pro fide Petri ne defi-

« ciat a Christo oratum sit, unius scilicet Romani Patriarchæ « fides, in qua fratres suos confirmet, nunquam deficiat. « Quod utique Christus Deus noster jam ostendere dignatus « est in universalibus synodis, jam octies universaliter celc- « bratis. Nam uno vel duobus a fide corruentibus, Romanus « in ejusdem fidei fundamento, licet pulsatus, licet concus- « sus, tamen stetit immobilis. Cœlum enim et terra trans- « ibunt, verba autem ejus non transibunt, qui dixit : Tu es « Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, « et portæ inferi non prævalebunt adversus eam » (*Bibliotheca maxima veterum Patrum*, tomo XVIII, pagina 611, B, edit. Lugduni, 1677).

Propositio XXXI[a]. — *Sæculo undecimo viguisse de Romani Pontificis inerrantia persuasionem, constat ex Lanfranco, Cantuariensi Episcopo.* — Loquens de Sede Romana sic habet : « Ipse Dominus honorifice alloquitur eam in Evangelio dicens : « *Tu es Petrus... et portæ inferi... et tibi dabo claves...* Quæ ta- « metsi de pastoribus sanctæ Ecclesiæ dicta esse credantur « et a quibusdam catholicis exponantur, præcipue tamen de « Romana Ecclesia intelligenda esse sacri canones et Pontifi- « cum decreta testantur » (libro *de Corpore et Sanguine Domini*, capite XVI, tomo XVIII *Bibliothecæ maximæ veterum Patrum*, pagina 1770, edit. Lugduni, 1677).

« Quando Dominus et Salvator noster Jesus Christus dixit beato Petro : *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, et, *tibi dabo claves regni cœlorum*, potuisset adjicere, si voluisset : Eamdem potestatem successoribus tuis concedo. Verum dicti prætermissio nihil reverentiæ imminuit successoribus Petri. Ibisne his obviam? Referesne adversa? Enimvero omnium christianorum conscientiis est indictum, ut nihilominus quam beato Petro successoribus ejus et minantibus adtremant, et serenam dignitatem indulgentibus gaudenter applaudant. Estque tunc omnium demum ecclesiasticarum rerum rata dispensatio, si successorem beati Petri fuerit comprobata judicio » (Bibliotheca Patrum,

tomo XVIII, pagina 828). Indubitatum ergo fuit Lanfranco, in iis quæ ad rem pertinent ecclesiasticam, ac proinde potissimum in iis quæ fidei doctrinam tangunt, illud esse *ratum* quod *successorem Petri comprobaverit judicium*. Item ipsi indubitatum, verba *et portæ inferi non prævalebunt adversus eam*, intelligenda principaliter esse de Romana Ecclesia. Pro certa ergo habuit Romani Pontificis in decernenda fide inerrantiam. Nec suam tantum, sed totius catholici orbis hac de re persuasionem testatur : *Omnium*, inquit, *christianorum conscientiis est indictum*.

Propositio XXXII[a]. — *Undecimo sæculo viguisse de Romani Pontificis inerrantia persuasionem, constat ex actis concilii Quintilineburgensis in Saxonia celebrati anno* 1085. — Inscribitur synodus illa, *Concilium... contra Henricianam... hæresim celebratum*. Quæ autem fuerit Henriciana hæresis, adnotat Binius : « Auctoritate, inquit, schismaticorum illorum quos « Gregorius excommunicaverat, orta est hæresis Henriciana; « cujus sectarii docebant, id quod politici nostri temporis as- « serunt, imperatoribus et regibus non tantum temporalia, « sed etiam spiritualia subjecta esse » (apud Labbe, tomo X, col. 406, edit. Parisiis, 1671). De iis sectariis procul dubio fuit clericus ille Bambergensis, de quo infra; et aderant etiam nonnulli sectatores acerrimi antipapæ Guiberti, contra quem synodus anathema pronuntiavit. In actis autem sic legitur :

« Cum ergo omnes juxta ordinem suum consedissent, pro- « lata sunt in medium decreta sanctorum Patrum de primatu « Sedis Apostolicæ : *Quod nulli unquam liceat ejus judicium re- « tractare, et de ejus judicio judicare*. Quod de totius synodi « publica professione laudatum et confirmatum est. Et hoc « utique contra Henricianos, qui fideles sancti Petri constrin- « gere voluerunt, ut excommunicationem domini Papæ Gre- « gorii super Henricum cum illis retractare præsumerent. « Quidem autem Bambergensis clericus nomine Gunibertus, « Romani Pontificis primatui derogare volens, in mediam

« synodum se contulit, asserens Romanos Pontifices hunc « sibi primatum adscripsisse, non aliunde concessum hære- « ditasse, videlicet ut nullus de eorum judicio judicare de- « beat, nec illi alicujus judicio subjaceant. Qui cum aperte « a tota synodo confutaretur, præcipue tamen a quodam « laico convictus est per illud evangelicum, *non est discipu- « lus supra magistrum* » (apud Labbe, tomo X, col. 404 et 405, edit. Parisiis, 1671). Si nemini liceat de judicio Romani Pontificis judicare, definiente Papa circa fidem, nulli fas erit sic definitum dogma negare aut in dubium vocare Igitur tenebuntur omnes hocce dogma verum credere. Quæ tamen obligatio prorsus repugnaret nisi prorsus infallibiliter definiret Pontifex. Æquivalentibus ergo verbis Romani Pontificis inerrantiam citatæ synodi Patres professi sunt.

Propositio XXXIII[a]. — *Undecimo sæculo viguisse de Romani Pontificis inerrantia persuasionem, constat ex sancto Gregorio VII.* — Extant sanctissimi ac clarissimi hujus Pontificis nonnulli canones, qui *sancti Gregorii VII dictatus* inscribi solent. Habentur apud Labbe (tomo X, col. 110 et 111, edit. Parisiis, 1671); atque eos commentariis illustravit Christianus Lupus (Operum tomo V, pagina 164, edit. Venetiis, 1725). Ex iis porro dictatibus seu canonibus, decimus octavus sic habet : *Quod sententia Papæ a nullo debeat retractari.* Adnotat Christianus Lupus (tomo citato, pagina 251) hunc sancti Gregorii VII dictatum nihil novi exprimere, sed esse vigentis in tota retro antiquitate doctrinæ confirmationem. Idque probat adductis textibus sancti Nicolai I, sancti Gelasii, et sancti Bonifacii, quos supra jam, ordine chronologico, citavimus.

Ad rem præcipue facit canon 22 : *Quod Romana Ecclesia nunquam erravit, nec in perpetuum, Scriptura testante, errabit;* et canon 26 : *Quod catholicus non habeatur, qui non concordat Romanæ Ecclesiæ.* Haud sane poterat clarius exprimi Romanæ Sedis in decernenda fide infallibilitas.

Propositio XXXIV[a]. — *Undecimo sæculo viguisse de Romani Pontificis inerrantia persuasionem, constat ex Leone Papa nono.*

In sua epistola ad Michaelem Patriarcham Constantinopolitanum hæc occurrunt Leonis Papæ noni verba : « Taliter sancta « Ecclesia supra petram, id est, Christum, et super Petrum « vel Cepham filium Joannis, qui prius Simon dicebatur, « ædificata, quia inferi portis (disputationibus scilicet hære- « ticorum, quæ vanos ad interitum introducunt) nullatenus « foret superanda, sic pollicetur ipsa veritas, per quam sunt « vera quæcumque sunt vera : *Portæ inferi non prævalebunt « adversus eam.* Cujus promissionis effectus se precibus im- « petrasse a Patre idem Filius protestatur, dicendo ad Pe- « trum : *Simon, ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret sicut « triticum : ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua : « et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Erit ergo « quisquam tantæ dementiæ, qui orationem illius, cujus velle « est posse, audeat in aliquo vacuam putare? Nonne a Sede « Principis apostolorum, Romana videlicet Ecclesia, tam per « eumdem Petrum, quam per successores suos, reprobata et « convicta atque expugnata sunt omnium hæreticorum com- « menta, et fratrum corda in fide Petri, quæ hactenus nec « defecit, nec usque in finem deficiet, sunt confirmata? » (Apud Labbe, tomo IX, col. 952 et 953, edit. Parisiis, 1671.) Per Ecclesiam illam super Petrum ædificatam, quæ *inferi portis nullatenus foret superanda*, intelligit Pontifex Ecclesiam Romanam. Id ex toto contextu aperte liquet; ac præterea colligitur ex ipsius ratiocinio. Ut enim probet Petri fidem prout Christus promiserat nunquam defecisse aut defecturam, sic arguit : *Nonne a Sede Principis apostolorum, Romana videlicet Ecclesia, expugnata sunt omnium hæreticorum commenta, et fratrum corda in fide Petri, quæ hactenus nec defecit nec in finem deficiet, sunt confirmata?* Ergo fidem Petri nunquam defecturam intellexit Leo nonus de fide Ecclesiæ Romanæ; et pro dementibus habuit qui errare posse Romanam Sedem in edocenda fide existimarent. Quod cæteroquin ipsemet in alio ejusdem epistolæ loco expressis terminis declarat in hunc modum :

« Nam *Romanæ Ecclesiæ fides* per Petrum super petram « ædificata, nec hactenus defecit, *nec deficiet in sæcula*, Christo « ejus domino rogante pro ea, seu testatur sub ipsa passione « sua : Ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua : et tu « aliquando conversus confirma fratres tuos » (apud Labbe, tomo citato, col. 967).

In sua pariter epistola ad Petrum Patriarcham Antiochenum idem docet Leo nonus his verbis : « Cunctis in toto orbe « terrarum Ecclesiis sancta Romana et Apostolica Sedes ca- « put præponitur, ad quam majores et difficiliores causæ « omnium Ecclesiarum definiendæ referantur... Quatenus « ibi principalis dignitatis et totius ecclesiasticæ disciplinæ « venerabilis apex præfulgeat et præcellat, ubi ipse vertex « atque cardo apostolorum Petrus carnis suæ beatam resur- « rectionem in novissimo die expectat. Nimirum solus est « ille, pro quo ne deficeret ejus fides Dominus et Salvator « asserit se rogasse, dicens : *Simon, Simon, ecce Satanas...* « Quæ venerabilis et efficax oratio *obtinuit, quod hactenus fides « Petri non defecit, nec defectura creditur in throno illius usque « in sæculum sæculi :* sed confirmabit corda fratrum variis « concutienda fidei periclitationibus, sicut usque nunc con- « firmare non cessavit » (apud Labbe, t. IX, col. 975, edit. Parisiis, 1671). Haud sane poterat Leo nonus Sedis Apostolicæ indefectibilitatem quoad fidem, seu (quod idem est) infallibilitatem clarius asserere ac docere.

Propositio XXXV^a^. — *Undecimo sæculo viguisse de Romani Pontificis inerrantia persuasionem, constat ex gestis legatorum Leonis IX et retractatione Nicetæ monachi.*—Hancce retractationem Nicetæ monachi, cognomento Pectorati, quæ coram imperatore Constantinopolitano, anno 1054, facta est, sic referunt dicti legati : « Niceta monachus, qui et Pectoratus, ante præ- « sentiam præfati imperatoris, et procerum ejus, insisten- « tibus ipsis nuntiis Romanis, anathematizavit quoddam « scriptum, sub suo nomine contra Sedem Apostolicam et « omnem latinam Ecclesiam editum; et prætitulatum, *de*

« *Azymo, de sabbato et de nuptiis sacerdotum.* Insuper ana-
« thematizavit cunctos, qui ipsam sanctam Romanam Eccle-
« siam negarent primam omnium Ecclesiarum esse, et *qui*
« *illius fidem semper orthodoxam præsumerent in aliquo repre-*
« *hendere.* Post hæc statim in conspectu omnium, ad sug-
« gestionem eorumdem nuntiorum Romanorum, jussit idem
« orthodoxus imperator præfatum incendi librum, sicque fuit
« discessum » (apud Labbe, tomo IX, col. 991, edit. Parisiis, 1671). Quod ergo teneatur quisque Romanæ Ecclesiæ fidem tanquam *semper orthodoxam* habere, et nemini unquam liceat fidem illam *in aliquo reprehendere*, Leonis noni legatis persuasum omnino fuit; siquidem ad id confitendum Nicetam monachum adegerunt. Qua sane agendi ratione suam de Romanæ Sedis in decernenda fide inerrantia persuasionem dicti legati plane testati sunt.

Propositio XXXVI[a]. — *Undecimo sæculo viguisse de Romani Pontificis inerrantia persuasionem, constat ex Bernone Augiensi.* — In opusculo suo de quibusdam ad missam spectantibus, capite II, sic habet : « Unde cum Romanorum presbyteri ab Henrico imperatore interrogarentur, cur post evangelium, ut in aliis ecclesiis fiebat, Symbolum non canerent, me coram assistente, audivi eos hujusmodi responsum reddere, videlicet : Quod Romana Ecclesia non fuisset aliquando ulla hæreseos fece infecta; sed secundum sancti Petri doctrinam in soliditate catholicæ fidei permaneret inconcussa. Et ideo magis his necessarium inesse illud symbolum sæpius cantando frequentare, qui aliqua quandoque potuerunt hæresi maculari » (citatus a Mauclero, *de Monarchia*, t. II, pag. 2417, edit. Parisiis, 1622) scripsit Berno circa annum 1020. Quæ ibi enarrat, persuasionem sane testantur de Romanæ Ecclesiæ quoad fidei dogmata infallibilitate.

Propositio XXXVII[a]. — *Duodecimo sæculo viguisse de Romani Pontificis inerrantia persuasionem, constat ex sancto Anselmo Cantuariensi Episcopo.* — Romanum Pontificem, suum ei librum *de fide Trinitatis* subjiciendo sic alloquitur : « Quoniam

« divina Providentia vestram elegit sanctitatem cui vitam et « fidem christianam custodiendam, et Ecclesiam suam regen- « dam committeret; ad nullum alium rectius refertur, si quid « contra catholicam fidem oritur in Ecclesia, ut ejus aucto- « ritate corrigatur; nec ulli alii tutius, si quid contra erro- « rem respondetur, ostenditur, ut ejus prudentia examine- « tur » (collectio Patrum Latinorum, editionis Migne, t. CLVIII, col. 261). In quadam epistola, hanc valde adnotandam sententiam profert :

« Qui cum dedignantur Apostolici [1] decretis, quæ ad robur christianæ religionis facit, esse obedientes, Petro utique apostolo cujus vice fungitur, imo Christo qui Petro suam commendavit Ecclesiam, se probant esse inobedientes. Quærant igitur, qui vicarii Petri et in eo Petri et Christi decreta christiana contemnunt, alias regni cœlorum portas ; quia certe per illas non introibunt quarum claves Petrus apostolus portat » (libro III Epistolarum, epistola LXV, ad Humbertum comitem, collectio Patrum Latinorum, editionis Migne, t. CLIX, col. 103).

Nisi pro certa habuisset Anselmus Romani Pontificis quoad fidei definitiones infallibilitatem, non dixisset *nulli alii tutius* examinandum submitti de fide catholica disceptationes. Item non dixisset Petro et Christo inobedientes esse qui Romani Episcopi ad religionis robur editis decretis non obtemperant. Nec contra istiusmodi inobedientes uteretur tremenda illa ironia : *Quærant alias regni cœlorum portas*, etc.

Propositio XXXVIII[a]. — *Duodecimo sæculo viguisse de Romani Pontificis inerrantia persuasionem, constat ex sancto Thoma, Cantuariensi Episcopo et martyre.* — In Epistola ad suffraganeos Cantuariensis provinciæ (in collectione Patrum Latinorum, editionis Migne, tomo CXC, col. 534) : « Neque enim « omnia uni committenda erant officia, sed unumquodque

[1] Ad hoc *Apostolici* vocabulum sic adnotat, loco citato, Gerberonius : « *Apostolici decretis*, id est Papæ, hoc enim vocabulo reperio plerosque scriptores nuncupare Papam Romanum. »

« membrum suo donandum erat officio; ita tamen ut caput... « et universis et singulis provideret, et ei vicissim omnia « famularentur pro ratione suæ conditionis. Doctor gentium, « qui gloriatur se non ab homine neque per hominem Evange- « lium didicisse, sed instructum esse a Christo, post annos « quatuordecim ascendit Hierosolymam, et cum Ecclesiarum « Principe de fide contulit, ne forte in vacuum curreret vel « cucurrisset. Et ut plurimis patet exemplis, singula Evan- « gelii flumina ad mare unde orta sunt redeunt, ut iterum « fluant. Siquidem fons Paradisi unus est, sed in plura res- « cinditur flumina, ut undique irriget terram. Quis Romanam « Ecclesiam caput omnium Ecclesiarum, et *fontem catholicæ* « *doctrinæ* ambigit esse? Quis claves regni cœlorum Petro « traditas esse ignorat? Nonne in fide et doctrina Petri totius « Ecclesiæ structura consurgit?... Quicumque sit qui rigat « aut plantat, Deus nulli dat incrementum, nisi illi qui plan- « tavit in fide Petri, et doctrinæ ipsius acquiescit. » In epistola ad Robertum Herefordensem Episcopum, loquens de *Sede Apostolica* sic pronuntiat : « Cui fidem et obedientiam solus « infidelis, aut hæreticus, aut schismaticus, subtrahit » (tomo citato, col. 599).

Quatuor sequentes sancti Thomæ Cantuariensis epistolæ habentur tomo CXCIX dictæ collectionis Migne, inter opera Joannis Saresberiensis, qui antequam Carnotensis Episcopus fieret, fuit sancto Cantuariensi præsuli a secretis. Nimirum :

Epistola XXXVI, ad Alexandrum Papam : « Apostolicæ Sedis « mandata filii obedientes exequuntur : qui eis reluctantur, « constat damnationis in se provocare sententiam » (collectio Patrum Latinorum, editionis Migne, tomo CXCIX, col. 23).

Epistola LXXXIII : « Romanum Pontificem Principis aposto- « lorum non ambigimus esse vicarium; qui, sicut rector clavo « navem, ita sigilli sui moderamine Ecclesiam regit, corrigit « et dirigit universam » (citato tomo CXCIX, col. 70).

Epistola CII : « Nos etenim per misericordiam Domini a fide « Romanæ Ecclesiæ, ab obedientiæ famulatu, non carcer, non

« gladius, non si qua gravior est persecutio separabit » (citato tomo CXCIX, col. 92). Similia reperies in duobus sequentibus epistolis.

Epistola CXXIX : « Habent a capite membra ut vigeant, et a « sancta Romana Ecclesia, Domino auctore, salus est omnium « Ecclesiarum » (citato tomo CXCIX, col. 108).

Nullo, reor, ratiocinio opus est, ut ex his perspiciat lector omnimodam sancti Thomæ Cantuariensis persuasionem, de Romani Pontificis in decernenda fide inerrantia.

PROPOSITIO XXXIX[a]. — *Duodecimo sæculo viguisse de Romani Pontificis inerrantia persuasionem, constat ex Petro Blesensi.* — Ipsius epistolæ XCIX, ad Honorium Papam III, hocce initium est : « Domus Dei, quæ in lapide adjutorii super « fundamentum apostolorum et prophetarum stabilita est, « *a Petro et successoribus ejus formam semper eruditionis « et statum incolumitatis accepit.* Quod enim stipiti rami, « quod radii soli, quod fonti rivuli, hoc Apostolicæ Sedis « eminentiæ debent Ecclesiæ omnes, quas ubique terrarum « religio christiana fundavit » (*Bibliotheca maxima veterum Patrum*, tomo XXIV, pagina 1017, edit. Lugduni, 1677). Si Petri successores non essent in edocenda fide infallibiles, absone diceretur Ecclesia ab ipsis accepisse *formam eruditionis et statum incolumitatis.* Item absone Romanam Sedem diceret *solem* ac *fontem*, alias autem Ecclesias *radios* et *rivulos.* Si infallibilitatis prærogativa, non in Romano Pontifice, sed in majori Episcoporum numero resideret, sol et fons esset Episcoporum collegium ; Romana vero Sedes non agnoscenda foret nisi tanquam radius et rivulus ; si quidem *certo veram fidem* ex se non haberet, sed a collegio Episcoporum reciperet.

PROPOSITIO XL[a]. — *Duodecimo sæculo viguisse de Romani Pontificis inerrantia persuasionem, constat ex Ælredo, abbate Rievallensi in Anglia.* Sermone XXIII in Isaiam prophetam : « Quam « multi, fratres, hodie nescientes Scripturas neque virtutem « Dei, egressi sunt de Ecclesia, et separantes se a vicario « Christi, sequuntur præambulum Antichristi ! Fratres, nemo

« vos seducat inanibus verbis, nemo vobis dicat : Ecce « hic Christus, vel ecce illic ; cum in fide Petri semper sit « Christus, quam sancta Romana Ecclesia specialiter mu- « tuavit a Petro, et servat in petra quæ est Christus... Hæc « est Ecclesia Romana, cui qui non communicat, hæreticus « est. Illius interest consulere omnibus, judicare de om- « nibus, omnibus providere, ad quam in Petro vox ista diri- « gitur : *Et aliquando conversus confirma fratres tuos*. Quidquid « ipsa statuerit suscipio : approbo quod approbaverit : quod « damnaverit damno » (*Bibliotheca maxima vetérum Patrum*, tomo XXIII, pagina 57 et 58, edit. Lugduni, 1677). Hæc sane verba persuasionem de Sedis Apostolicæ inerrantia diserte exprimunt.

Propositio XLI[a]. — *Duodecimo sæculo viguisse de Romani Pontificis infallibilitate persuasionem, constat ex Ruperto abbate.* — Disserens in hunc locum Apocalypsis, *Et vidi sedes, et sederunt super eas, et judicium datum est*, sic habet : « Summum judicii hujus tribunal in Ecclesia paratum est Romana, ubi Sedes Apostolica beati Petri et nomine et corpore fundata est ; cui specialiter dictum est : *Tu es Petrus et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Et tibi dabo claves regni cœlorum* » (in Apocalypsim, libro II, capite XX, pagina 589. Citat textum Petit-Didier in opere suo *Traité de l'autorité et de l'infaillibilité des Papes*, page 315, edit. Luxemburgi, 1724). Qui *summum* tribunal constitutum existimat *in Ecclesia Romana*, illam procul dubio Ecclesiam infallibilem in judiciis de fide profitetur.

Propositio XLII[a]. — *Duodecimo sæculo viguisse de Romani Pontificis inerrantia persuasionem, constat ex Joanne Salisberiensi.* — Loquens de Romano Pontifice, sic asserit : « Cujus « ministerio Spiritus Sanctus totius falsitatis figmenta con- « demnat » (Epistola CXCIII, citata apud Petit-Didier, *Traité de l'autorité et de l'infaillibilité des Papes*, pagina 300, edit. Luxemburgi, 1724). Si fallibilem in decretis fidei Romanum Pontificem existimasset, nequaquam dixisset ejus minis-

terio Spiritum Sanctum *totius falsitatis* figmenta condemnare.

Propositio XLIII[a]. — *Duodecimo sæculo viguisse de dicta Romani Pontificis infallibilitate persuasionem, constat ex Jacobo Vitriaco.* — « Patet ergo, cum super hanc petram, pro qua Dominus rogavit ut non deficeret fides ejus, post Christum ædificata sit et fundata Christi Ecclesia, quod omnes qui ab Ecclesia Romana recedunt absque fundamento ædificant, in vanum laborantes, et ab eo qui a Domino Cephas appellatus est separati, acephali et monstruosi homines merito sunt reputandi » (in sua *Historia Orientis*, capite xv).

Separatos ergo et acephalos existimavit Jacobus Vitriacus eos qui recedunt ab Ecclesia Romana; ac proinde eos qui dogmaticis Ecclesiæ Romanæ definitionibus assentire recusant. Pro certa ergo habuit obligationem ejusmodi definitiones veras et infallibiles reputandi (adductum textum reperies etiam apud Petit-Didier, *Traité de l'autorité et de l'infaillibilité des Papes*, pagina 316, edit. Luxemburgi, 1724).

Propositio XLIV[a]. — *Duodecimo sæculo viguisse de Romani Pontificis inerrantia persuasionem, constat ex Petro, abbate Cellensi et postea Carnotensi Episcopo.* — Libro sexto Epistolarum, epistola xxiii, ad Nicolaum monachum Sancti Albani directam sic habet : « Est tamen auro locus in quo conflatur, et habet argentum venarum suarum principia, sedem Petri et curiam Romanam, quæ claves cœli principaliter tenet, et clausura consiliorum Dei reserata, dispensante Deo, unguentum gratiæ a capite usque in oram vestimenti habet compluere. Hæc est sedes Petri, id est, petra, in qua Moyses residet, videlicet lex Dei immaculata convertens animas, fragosa quæque hæreticorum conciliabula elidit et allidit, profanas vocum novitates resecat et rescindit superflua, confodit et jugulat, hiantia et eclyptica complet et illustrat. Utinam salva veritatis auctoritate, lance communis consilii, hæc domina ac moderatrix totius christianitatis, conceptionem Virginis librasset et approbasset, a mari usque ad mare hanc

propagasset, sole, id est, Apostolico, ac luna, id est, curia Romana, præeunte! Tam secure quam expedite in lumine vultus eorum gressus meos ponerem et disponerem; ex hoc videns vitare lubricum, et sequi solidum et securum » (*Bibliotheca maxima veterum Patrum*, tomo XXIII, pagina 879, edit. Lugduni, 1677). Ibi etiam manifeste exprimitur de Sedis apostolicæ inerrantia persuasio.

Propositio XLV[a].—*Duodecimo sæculo viguisse de Romani Pontificis inerrantia persuasionem, constat ex Photone Prumiensi.* — Opus suum, *de Statu domus Dei* inscriptum, sic exorsus est Photo : « Domus Dei quæ in terris constituitur... Ecclesia « est, columna et firmamentum veritatis... In tota hac domo « solus beatus Petrus cum suis successoribus plenitudinem » potestatis accepit. Unde quicumque in partem sollicitudinis « vocati sunt, ut quæ in partem regenda susceperunt provida « dispensatione gubernent, ejus auctoritate roborandi, ejus « exemplis informandi sunt, qui in plenitudine potestatis toti « Ecclesiæ præesse dignoscitur » (*Bibliotheca maxima veterum Patrum*, tomo XXI, folio 489, edit. Lugduni, 1677).

Libro tertio ejusdem operis ita prosequitur : « Hoc namque « privilegium Beato Petro apostolorum principi cœlesti de- « creto principaliter traditum atque firmatum, sancti Patres « cum magna veneratione suscipientes, atque sanctam Ro- « manam Ecclesiam servantes, tam in generalibus conciliis, « quam in cæteris scripturis et gestis suis, universalem « matrem appellaverunt, et sicut ejus documenta in confir- « matione fidei et eruditione sacræ religionis, ita etiam ju- « dicia susceperunt; in hoc consentientes et quasi uno spi- « ritu et una voce concordantes, omnes majores res et præ- « cipua negotia, necnon omnium Ecclesiarum judicia, ad « eam quasi ad matrem et caput debere referri; ab ea nus- « quam appellari, judicia ejus a nemine retractari aut refelli « debere vel posse » (*Bibliotheca maxima veterum Patrum*, tomo XXI, folio 500, edit. Lugduni, 1677).

Et paulo infra (citato folio) : « Præsumptuosum est enim

« quibuslibet prælatis veterum statuta immutare, nova insti-
« tuere, cum solum id apostolicæ Sedis dispensationi conces-
« sum sit, ut pro temporis necessitate vel pro Ecclesiæ uti-
« litate aliquid de institutis Patrum commutare possit. Unde
« beatorum Pontificum Gelasii et Leonis decreta in hac
« sententia concordant : Ubi necessitas non est, nullo modo
« Patrum statuta violentur ; ubi vero necessitas fuerit ad uti-
« litatem Ecclesiæ, qui præest ea dispenset. Sed hæc dis-
« pensatio, ut diximus, penes illum est qui vicem Christi in
« terris agit, cui una cum Petro dicitur a Domino : *Et tu ali-*
« *quando conversus confirma fratres tuos*. Ipse namque est,
« qui tanquam fidelis et prudens dispensator super familiam
« Domini constitutus est, ut det illis in tempore tritici men-
« suram. Solus totius domus Dei, quæ est Ecclesia, curam
« gerit... Nec mireris, si Romani Pontificis hanc semper pe-
« culiariter habuerint potestatem, ut canones pro tempore
« dispensarent. Ipsi enim sunt auctores canonum, et illa se-
« des semper hoc habuit privilegium, ut ligatum vel solutum
« sit quidquid ipsa ligaverit vel solverit. Unde juxta attesta-
« tionem sanctorum Patrum, omnibus Ecclesiis præeminet
« et de omnibus judicare potest. » Hæc nequaquam scripsisset Photo nisi pro indubitato dogmate habuisset Romani Pontificis in edocenda fide inerrantiam.

Propositio XLVI[a]. — *Duodecimo sæculo viguisse de Romani Pontificis inerrantia persuasionem, constat ex Hugone Eteriano.* — In opere quod inscripsit, *de Hæresibus quas Græci in Latinos devolvunt*, libro III, capite XVI, sic habet Hugo Eterianus : « Si Constantinopolitana synodus Nicæno adjecit symbolo, *in* « *Spiritum sanctum Dominum et vivificantem, ex Patre proce-* « *dentem ;* si Chalcedonensis synodus quoque Constantinopo-
« litanæ addidit synodo *perfectum in divinitate, perfectum in* « *humanitate... ;* nulla reprehensione nullaque calumnia no-
« tandus est antiquioris Romæ Antistes, quod causa interpre-
« tationis dictionem unam (dico autem *ex Filio procedere* « *Spiritum*) sanctorumque plurium Episcoporum scientissi-

« morum cardinalium consensu habito, apposuerit. Licuit « enim ei semperque licebit fratres confirmare, decreta edere, « cudere interpretationes, sicubi aliquid obscure scriptum « sit... Is enim est cui oves et agni commissi sunt; et idcirco « non solum scripti recitator esse debet, verum interpres il- « lorum quæ adscripta non sunt... Manifestum antiquioris « Romæ præsulem potestatem a Petro accepisse, fidem reno- « vandi, ut verbis Patrum utar, habendi curam et regnum « omnium sacerdotum; quin etiam omnium christianorum. « Ergo qui resistunt primæ sedis totius orbis præsuli, « Christi dispositioni resistunt, et nisi resipiscant contuma- « ciæ judicio plectentur » (*Bibliotheca maxima veterum Pa- « trum*, tomo XXII, folio 1252, edit. Lugduni, 1677).

Jam supra (id est, folio 1232 citati tomi) ut Græcis persuaderet recte additum *Filioque*, « quamquam a synodis expressum non sit, » hanc allegaverat rationem : « Etenim « quisquis Romanorum Pontificum qui synodos santificave- « runt et confirmaverunt, semper hoc dixit ac dogmatizavit. » Iis sane annumerandus citatus auctor, queis ne vel minimum dubia fuit Romani Pontificis in edocenda fide inerrantia.

Propositio XLVII[a]. — *Duodecimo sæculo viguisse de Romani Pontificis inerrantia persuasionem, constat ex sancto Bernardo.* — Sic habet in epistola CCXIII (juxta editionem Migne) ad Papam Innocentium : « Recurro ad eum cui in præsenti da- « tum est judicare de universis » (tomo I citatæ editionis, col. 378).

In epistola ad Mediolanenses (131 editionis Migne) : « Ro- « mana Ecclesia valde clemens est, sed nihilominus potens... « Sed dicit aliquis : Debitam ei reverentiam exhibebo, et « nihil amplius. Esto fac quod dicis; quia si exhibeas de- « bitam, et omnimodam. Plenitudo siquidem potestatis su- « per universas orbis Ecclesias, singulari prærogativa, apos- « tolicæ Sedi donata est. Qui igitur huic potestati resistit, « Dei ordinationi resistit » (tomo I editionis Migne, col. 286 et 287).

Innocentium Papam sic alloquitur : « Ex privilegio Sedis « apostolicæ constat, summam rerum ad vestram potissi- « mum respicere summam auctoritatem et plenariam po- « testatem » (epistola CXCVIII, tomo I, col. 366, editionis Migne).

In epistola ad Innocentium II, in qua errores Abælardi exponuntur, et quæ inter tractatus sancti Bernardi edita est (in editione Migne, tomo I Operum S. Bernardi, col. 1054) : « Oportet ad vestrum referri apostolatum pericula quæque ac « scandala emergentia in regno Dei, ea præsertim quæ de fide « contingunt. Dignum namque arbitror ibi potissimum resar- « ciri damna fidei, *ubi non possit fides sentire defectum*. Hæc « quippe hujus prærogativa Sedis. Cui enim alteri aliquando « dictum est : *Ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides « tua?* Ergo quod sequitur a Petri successore exigitur : *Et tu « aliquando conversus confirma fratres tuos*. Id quidem modo « necessarium. Tempus est ut vestrum agnoscatis, Pater « amantissime, principatum, probetis zelum, ministerium « honoretis. In eo plane Petri impletis vicem, cujus tenetis « et sedem, si vestra admonitione corda in fide fluctuantia « confirmatis, si vestra auctoritate conteritis fidei corrup- « tores. »

Sub finem ejusdem epistolæ ita subjungitur : « Cum non « aliud esset quod agerem pro injuria fidei quam dolebam, « operæ mihi pretium arbitror, si illum monui, cujus arma « potentia a Deo ad destructionem in contrarium asserentium, « ad destruendam omnem altitudinem se extollentem adver- « sus scientiam Dei, et in captivitatem redigendum omnem « intellectum ad obsequium Christi » (citato tomo editionis Migne, col. 1072).

Qui hæc legerit, sanctum Bernardum iis annumerandum procul dubio censebit, quibus certa prorsus fuit Romani Pontificis in decernenda fide infallibilitas. De quo enim pronuntiat Bernardus, *ejus fidem non posse sentire defectum*? De illo ipso ad quem recurrit, id est, Romano Pontifice. Et notet

lector excludi etiam hoc textu vanissimam Bossuetii distinctionem, sedem inter et sedentem in ea.

Propositio XLVIII[a]. — *Duodecimo sæculo viguisse de Romani Pontificis inerrantia persuasionem, constat ex querelis, a Cardinalibus Eugenii III contra sanctum Bernardum directis.* — In concilio Rhemensi anni 1148, cui interfuit summus Pontifex Eugenius III, acta est causa Gilberti Porretani, Pictaviensis Episcopi, ob quosdam circa Trinitatem errores in judicium vocati. His erroribus opponendam duxit sanctus Bernardus quamdam fidei formulam, quam et a synodi Episcopis subscribi procuravit. Extat formula hæc apud Labbe (tomo X, col. 1108, edit. Parisiis, 1671). Quod factum Bernardi et Gallicorum Antistitum graviter ferentes eminentissimi Cardinales, ita Pontificem (teste Ottone Frisengensi) allocuti sunt :

« Sed quid fecit abbas tuus, et cum eo Gallicana Ecclesia? « Qua fronte, quo ausu cervicem adversus Romanæ Sedis pri- « matum erexit? Hæc est enim sola quæ claudit et nemo ape- « rit, aperit et nemo claudit. Ipsa sola de fide catholica « discutere habens, a nullo etiam absens hoc singulari ho- « nore præjudicium pati potest. Sed ecce Galli isti, etiam « faciem nostram contemnentes, tanquam finituræ senten- « tiæ ultimam manum apponendo, nobis inconsultis, fidem « suam scribere præsumpserunt... Volumus igitur huic tam « temerariæ novitati celeriter assurgas, ipsorum contuma- « ciam punire non differas » (apud Labbe, tomo citato, col. 1119). Subjungit Otto Frisengensis : « Quos Romanus « Pontifex blando mitigans eloquio, Abbate ad se vocato, « de hoc facto qualitateve facti solerter inquirit. Cui ille hu- « militer et cum reverentia respondit : se vel dominos Epis- « copos nihil de præfatis capitulis definisse : sed quia ab « Episcopo Pictaviano audierat, ut fides sua scriberetur, id- « circo, quia solus nollet, illorum auctoritate ac testimonio « simpliciter se quod teneret exposuisse. Hocque tam hu- « mili quam modesto ipsius responso prædicta Cardinalium « indignatio conquievit : ita tamen, ut præfatum scriptum,

« tanquam inconsulta curia prolatum, velut auctoritatis pon-
« dere carens, pro Symbolo in Ecclesia, quod in conciliis
« contra hæreses congregatis fieri solet, non haberetur. »
Infallibilem sane in fidei quæstionibus Romanam Sedem existimant, qui persuasum habent eam *solam esse quæ claudit et nemo aperit, aperit et nemo claudit;* ipsique *soli* competere ut de fide catholica decernat.

Propositio XLIX[a]. — *Duodecimo sæculo viguisse de Romani Pontificis inerrantia persuasionem, constat ex Paschali Papa II.*

Sic exorditur suam ad Guidonem Archiepiscopum Viennensem epistolam : « Potestatem ligandi atque solvendi in
« cœlo et in terra beato Petro *ejusque successoribus* auctore
« Deo principaliter traditam, illis Ecclesia verbis agnoscit,
« quibus Petrum Dominus allocutus est : *Quodcumque liga-*
« *veris super terram erit ligatum et in cœlis.* Ipsi quoque
« *et propriæ firmitas et alienæ fidei confirmatio*, eodem Deo
« auctore præstatur, cum ad eum dicitur : *Rogavi pro te,*
« *Petre : et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos.*
« Oportet ergo nos, qui, licet indigni, Petri residere videmur
« in loco, prava corrigere, recta firmare, et in omni Ecclesia
« ad interni arbitrium judicis sic disponenda disponere, ut
« de vultu ejus judicium nostrum prodeat, et oculi nostri
« videant æquitatem » (apud Labbe, tomo X, col. 690, edit. Parisiis, 1671). Prout ex contextu patet, sibi tribuit Pontifex ille, propriæ suæ fidei *firmitatem*, necnon et alienam fidem confirmandi officium; quod idem est ac inerrantiæ privilegium sibi vindicare.

Ursbergensis abbas, in sua Historia refert, sub Paschali II habitam Romæ synodum, in qua de concessionibus Henrico imperatori circa investituras factis actum est. Ob quas concessiones cum quidam Episcopus Papam hæreticum vocare ausus esset, ejus audaciam retudit Paschalis II; quod sic enarrat dictus Ursbergensis abbas :

« Ad hæc patientia domini Papæ horrendo hæresis nomine
« pulsata expergefacta est, et manu silentium indicens, dis-

« sidentium clamores et murmura tali oratione compescuit : « Fratres et domini mei, audite : Ecclesia ista nunquam hære- « sim habuit, imo hic omnes hæreses conquassatæ sunt : hic « Ariana hæresis, Sabéllina, etc., contrita est. Pro hac Ec- « clesia oravit Christus cum dixit : *Ego rogavi pro te, Petre, « ut non deficiat fides tua* » (apud Labbe, tomo X, col. 807, edit. Parisiis, 1671). Hæc pariter Paschalis II verba ejus persuasionem patefaciunt de Romani Pontificis quoad fidem edocendam inerrantia.

Propositio L^a. — *Duodecimo sæculo viguisse de Romani Pontificis inerrantia persuasionem, constat ex sancto Ivone Carnotensi Episcopo.* — A Romano Pontifice depositus fuerat Gaufridus Carnotensis Episcopus, et ejus loco eadem Sedis Apostolicæ auctoritate suffectus sanctus Ivo. Nihilominus non legitime Gaufrido successisse Ivonem, sed ejus sedem invasisse contendebat Richerius Senonensis Archiepiscopus. Cui inter alia respondet Ivo : « Dicitis etiam in litteris illis me sedem « invasisse Gaufridi Coepiscopi vestri. In quo manifeste con- « tra Sedem apostolicam caput erigitis ; dum quod illa ædi- « ficat, vos quantum in vobis est, destruitis ; et quod illa « destruxit, vos ædificare contenditis : *Cujus judiciis et consti- « tutionibus obviare, plane est hæreticæ pravitatis notam incur- « rere ;* cum Scriptura[1] dicat : *Hæreticum esse constat, qui Ro- « manæ Ecclesiæ non concordat* » (Epistola octava, tomo CLXII collectionis Patrum Latinorum, editionis Migne, col. 18). Allegat etiam in sui defensionem S. Ivo hæc Gregorii verba : « Sit ergo ruinæ suæ dolore prostratus, quisquis apostolicis « voluerit contraire decretis ; nec locum deinceps inter sa- « cerdotes habeat, sed extorris a sancto fiat ministerio ; nec « de ejus judicio postea quisque curam habeat, quoniam jam « damnatus a sancta et apostolica Ecclesia ac auctoritate, pro « sua inobedientia atque præsumptione a quoquam esse non « dubitatur » (citato tomo, col. 20). Habebat ergo sanctus

[1] Ibi per *scripturam* intelligit sanctus Ivo canonem *Nolite*, distinctionis XI.

ille Præsul tanquam hæreticos, eos omnes *qui Ecclesiæ Romanæ non concordant;* et tanquam hæreticæ pravitatis nota dignos, *qui Sedis apostolicæ judiciis et constitutionibus obviant*. Igitur ipsi nullatenus dubia erat dogmaticis etiam Sedis Apostolicæ decretis parendi, id est, eis credendi obligatio. Quam sane obligationem non admisisset, si errori obnoxia seu fallibilia decreta illa existimasset.

Consonant verba hæc ipsius epistolæ ad Hugonem Lugdunensem Archiepiscopum et Sedis Apostolicæ legatum : « Interdicta seu mandata *pro fidei defensione*, pro fidelium correctione, pro sceleratorum emendatione, pro imminentium vel futurorum malorum interdictione, promulgata a Sede Apostolica, sic volumus observare, ut parati simus, Deo cooperante, quælibet adversa pro eorum defensione tolerare » (citato tomo, epistola LI, col. 71). *Mandatis pro fidei defensione* annumerandæ utique sunt definitiones dogmaticæ; quibus ut obtemperetur, necesse est eas veras credi. Repugnat autem obligatio verum credendi quod erroneum esse potest. Infallibiles ergo ejusmodi definitiones existimabat sanctus Ivo.

Consonat initium epistolæ CLIX (citato tomo, col. 164) ad Paschalem Papam : « Quoniam judicia Romanæ Ecclesiæ a nemine foris retractari posse eadem Romana Ecclesia docente didicimus, » etc. Item parte V *Decreti*, et libro IV *Panormiæ*, ubi multa circa primatum Romanæ Ecclesiæ congessit S. Ivo, multipliciter argui potest ipsius de Romani Pontificis inerrantia persuasio.

Propositio LI[a]. — *Sæculo duodecimo viguisse de Romani Pontificis infallibilitate persuasionem, constat ex Anselmo Havelbergensi Episcopo.* — Ab imperatore Lothario legatus Constantinopolim missus fuerat Anselmus, ibique publice de Græcorum erroribus disputaverat adversus Nechitem Nicomediensem Episcopum. Anno 1149, rogatus a Summo Pontifice ut hasce disceptationes scriptis mandaret, tres edidit *Dialogorum* libros. Sic autem habet libro III, capitulo V :

« Sancta Romana Ecclesia præ cæteris a Domino prælecta, speciali privilegio ab ipso donata est et beatificata, et quasi quadam prærogativa omnibus Ecclesiis præeminet et jure divino antecellit. Aliis namque diversis in temporibus variis hæresibus occupatis, et in fide catholica nutantibus, illa supra petram fundata et solidata semper mansit inconcussa, nullis falsis et sophisticis hæreticorum argumentis a simplicitate fidei, quam Simon Barjona tenuerat, avelli potuit; quia scuto divinæ sapientiæ, Domino largiente, contra dolosas quæstiones semper munita fuit. Nullis etiam terroribus vel minis imperatorum seu potentium hujus sæculi conquassari valuit, quia scuto fortissimæ patientiæ, confortante Domino, contra omnes impetus secura fuit. Unde et Dominus alias Ecclesias hæretica impulsione nimium vexandas, et Romanam Ecclesiam, quam ipse supra petram fundaverat, *nunquam in fide debilitandam*, dixit Petro : *Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua : et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos.* Ac si aperte dicat : Tu, qui hanc gratiam accepisti, ut, aliis in fide naufragantibus, semper in fide immobilis et constans permaneas, alios vacillantes confirma et corrige, et tanquam omnium provisor et doctor et pater et magister, omnium curam et sollicitudinem gere » (in *Spicilegio* d'Achery, tomo I, pagina 194, edit. Parisiis, 1723).

Fatebatur schismaticus Nechites Romanæ Ecclesiæ competere super omnes Ecclesias primatum ; sed negabat ita datam ipsi a Christo hanc prærogativam, ut posset sola, absque concilio œcumenico ac cæterorum Episcoporum assensu, suas de rebus ecclesiasticis leges universis mundi diœcesibus imponere. « Si enim, aiebat, Romanus Pontifex in excelso throno gloriæ suæ residens nobis tonare et quasi projicere mandata sua de sublimi voluerit, et non nostro consilio, sed proprio arbitrio, pro beneplacito suo, de nobis et de Ecclesiis nostris judicare, imo imperare voluerit, quæ fraternitas, seu etiam quæ paternitas hæc esse poterit? Tunc nempe veri servi, et non filii Ecclesiæ recte dici possemus et esse. Quod si sic ne-

cesse esset, et ita grave jugum cervicibus nostris portandum immineret, nihil aliud restaret, nisi quod sola Romana Ecclesia libertate qua vellet frueretur, et aliis quidem omnibus ipsa leges conderet, ipsa vero sine lege esset... Quid igitur nobis Scripturarum scientia? Quid nobis litterarum studia? Quid magistrorum doctrinalis disciplina? Quid sapientum Græcorum nobilissima ingenia? Sola Romani Pontificis auctoritas, quæ, sicut tu dicis, super omnes est, universa hæc evacuat. Solus ipse sit Episcopus, solus magister, solus præceptor, solus de omnibus sibi soli commissis soli Deo sicut solus bonus pastor respondeat » (tomo citato, capitulo VIII, pagina 196).

Si bene attendat lector, in hac schismaticorum Græcorum doctrina totum Gallicanum systema, quatuor articulis anni 1682 expressum, reconditur. Ad infallibilitatis prærogativam quod attinet, sicut Nechites, ita dicti anni 1682 comitia, irrefragabiles Romani Pontificis definitiones non admittunt nisi Ecclesiæ assensus accesserit.

Ad hæc sic duodecimo sæculo reponebat Anselmus Havelbergensis Episcopus.: « Certum est igitur, et nulli qui sani sit capitis dubium, quod sicut una est Ecclesia, ita et unius Ecclesiæ unum caput est in terris, et hic est Romanus Pontifex, quem non solum auctoritas humani imperii, sed majestas divini judicii principaliter omnibus præesse voluit ; cujus quidem formam et institutionem, maxime in ecclesiasticis sacramentis, oportet omnes imitari, qui sub obedientia illius in fide Petri cupiunt salvari. Ita enim dicit beatus Ambrosius Mediolanensis archiepiscopus : *Qui a Romana Ecclesia discordat, hunc procul dubio hæreticum esse constat* » (ibidem, pagina 199). Postea ostendit Orientis hæreses compressas et extinctas fuisse, non quidem Orientalium Episcoporum, ut volebat Nechites, sed Romanorum Pontificum auctoritate. Qui hæc Anselmi scripta legerit, fateatur necesse est omnimodam ejus persuasionem, de Romani Pontificis, in decretis fidei, infallibilitate. Sane si tunc temporis vel minimum in-

ter catholicos de infallibilitate disceptatum fuisset, non ita eam Anselmus tanquam certissimum dogma, Constantinopoli cum schismaticis Græcis disputans, asseruisset.

CAPUT IV

AB ANNO 1200, SEU A TEMPORE SCHOLASTICORUM DOCTORUM, USQUE AD ANNUM 1434, SEU USQUE AD CONSTANTIENSE CONCILIUM, UNANIMIS FUIT CATHOLICORUM PERSUASIO DE ROMANI PONTIFICIS INFALLIBILITATE.

Propositio LII[a]. — *Sæculo decimo tertio viguisse persuasionem de Romani Pontificis infallibilitate, constat ex concilio œcumenico nono, Lugdunensi secundo, anni* 1274. — Ab illa œcumenica synodo approbatum est juramentum, quo Græci fidem catholicam professi sunt, et quo emisso in communionem admissi fuerunt. Porro in ejusmodi juramenti formula sic legere est :

« Ipsa quoque sancta Romana Ecclesia summum et plenum primatum et principatum super universam Ecclesiam obtinet ; quem se ab ipso Domino in beato Petro apostolorum principe sive vertice, cujus Romanus Pontifex est successor, cum potestatis plenitudine recepisse veraciter et humiliter recognoscit. Et sicut præ cæteris tenetur fidei veritatem defendere, sic et si quæ de fide subortæ fuerint quæstiones, *suo debent judicio definiri*... Et eidem omnes Ecclesiæ sunt subjectæ. Et ipsarum prælati obedientiam et reverentiam isti dant. Ad hanc autem sic potestatis plenitudo consistit, quod Ecclesias cæteras ad sollicitudinis partem admittit... corde et ore confitemur quod istam (*intelligeveram et orthodoxam fidem, de qua in præcedenti phrasi*) vere habet, et fideliter docet et prædicat sacra et sancta Romana Ecclesia » (vide textum græcum apud Labbe, tomi XI parte I, col. 966, edit. Parisiis, 1671).

Formula autem quæ inscribitur *Sacramentum Græcorum*, sic habet :

« Ego N... subscriptam fidei veritatem... veram sanctam catholicam fidem esse cognosco, eam accepto, et corde et ore confiteor ; *ipsamque, prout tenet et fideliter docet et prædicat sancta Romana Ecclesia, inviolabiliter servaturum, et in ea omni tempore perseveraturum, nec ab ea ullo unquam tempore recessurum, vel quoquomodo deviaturum nec discrepaturum promitto.* Primatum quoque ipsius, » etc. (apud Labbe, loco citato, col. 971).

Nonum œcumenicum concilium, ejusmodi juramentum a Græcis exigendo, hoc ipso vera pronuntiavit ac definivit quæ in ejusdem juramenti formula continentur. Proinde pronuntiavit ac definivit : *Subortas de fide quæstiones Ecclesiæ Romanæ judicio definiri debere.* Item, *omni tempore perseverandum esse* in fide quam *tenet et prædicat Ecclesia Romana*, nec *ullo unquam tempore ab ea fide esse recedendum vel quoquomodo deviandum.* Sed hoc ipso dicta synodus Romanam Ecclesiam, seu, quod idem est, Romanum Pontificem, in decernenda fide infallibilem pronuntiavit. Nam si errare posset in fidei definitionibus Sedes Apostolica, falso diceretur, *subortas de fide quæstiones ipsius judicio definiri debere.* Item falso diceretur *omni tempore* eam tenendam esse fidem *quam tenet et prædicat Romana Ecclesia.*

Propositio LIIIª. — *Romanum Pontificem esse in definienda fide infallibilem, fuit unanimis doctorum scholæ sententia usque ad magnum Occidentis schisma, seu usque ad Constantiense consilium.* — Plures ac præcipuos citabimus ; tum adnotabimus nullum reperiri potuisse qui contrarium docuerit.

I. Doctrina Alberti Magni. — Sic habet in suo Commentario ad caput xxii sancti Lucæ : « *Ait autem Dominus Simoni*, qui « et ipse principalis fuit, ut per ipsum hæc confortatio ad « alios ordinate derivetur. » Et paulo post : « *Ego autem*, « quem Pater in omnibus semper exaudit (Hebr. v : In om- « nibus exauditus est pro reverentia; Joann. ii : Ego sciebam

« quia tu semper me audis), rogavi pro te (Joann. XVII : Pater « serva eos quos edisti mihi de mundo) *ut non* finaliter *de-* « *ficiat fides tua*. Hoc argumentum efficax est pro sede Petri « et successore ipsius, quod fides ejus non finaliter deficiat » (Operum t. X, pag. 326, edit. Lugduni, 1651).

Adverbium istud *finaliter*, quo utitur Albertus Magnus, Bossuetiani systematis sequacibus ansam dedit contendendi, non absolutam ibi propugnari Romani Pontificis infallibilitatem, sed ad sensum dicti systematis restrictam; ita scilicet ut errorem quidem docere valeat, per aliquantum tempus, hic aut ille Summus Pontifex, non autem in errore *finaliter* seu stabiliter permanere valeat Sedes Romana, seu aliqua Romanorum Pontificum series. Sed non advertunt loqui expresse Albertum Magnum de unoquoque Romano Pontifice : *Et successore ipsius*. Igitur de unoquoque Romano Pontifice docet non posse fidem ejus *finaliter deficere*. Unde etiamsi vox *finaliter* intelligenda foret de stabilitate seu perseverantia in errore, discreparet a Bossuetiana opinione citatus textus : negaret siquidem posse deficere fidem uniuscujusque Pontificis per totum Pontificatus ipsius tempus. Bossuetianum vero systema asserit posse errare unumquemque Papam in definienda fide, et mori antequam errorem correxerit; et ab hac fallibilitate eximit dumtaxat Romanorum Pontificum seriem. Sed præterea vox *finaliter* commode intelligi potest eo sensu quod tentari quidem possit Romani Pontificis fides; non autem eo usque ut deficiat, seu ut tentationis exitus seu finis sit aliquis error in fide, per modum definitionis toti Ecclesiæ propositus. Insuper voces illas ab Alberto Magno adhibitas, *quod fides ejus non finaliter deficiat*, intelligunt alii quasi positum fuisset, *quod fides ejus usque ad finem mundi non deficiat*.

In Commentario ad caput XVI sancti Matthæi, disserens de verbis Christi ad Petrum, *et tibi dabo claves regni cœlorum*, sic adnotat idem Albertus Magnus : « Dabo autem *tibi* : singu- « lariter, non quod singulariter acceperit Petrus; sed quia in

« unitate ordinis Ecclesiæ unus est qui accipit *in plenitudine* « *potestatis*, qui est successor Petri et Petrus in potestate, « alii autem in eadem unitate accipiunt in parte potestatis, « eo quod vocantur in partem sollicitudinis. » Qui potestatis plenitudinem tribuit Romano Pontifici, hoc ipso et infallibilitatis prærogativam ei vindicat. Falso enim diceretur summus Pontifex potestatis plenitudinem accepisse, si dirimendarum circa fidem controversiarum supremum jus, non penes ipsum, sed penes coadunatam vel dispersam Ecclesiam resideret.

Et in Commentario ad caput v sancti Lucæ, edisserens de his verbis: *Ascendens autem in unam navim, quæ erat Simonis*, sic habet : « Unitatem autem navis tangit cum dicit *in unam* « *navim*. Una est enim Ecclesia... *Quæ erat Simonis* : ecce pos- « sessor unitatis, quem loco sui in terris constituere intendit; « ad cujus regimen unum omnes Ecclesiæ particulares refe- « runtur. » Non potest Romanus Pontifex esse *possessor unitatis*, nisi fidem determinare valeat, et eam cæteris ita præscribere, ut hanc unam fidem quam ipse docet, omnes profiteri teneantur. Quæ obligatio absona foret si Papa ipse in docenda fide errare posset.

II. Doctrina sancti Thomæ. — « Nova editio Symboli neces- « saria est ad evitandum insurgentes errores. Ad illius ergo « auctoritatem pertinet editio Symboli, ad cujus auctoritatem « pertinet finaliter determinare ea quæ sunt fidei, ut ab om- « nibus inconcussa fide teneantur. Hoc autem pertinet ad « auctoritatem Summi Pontificis, ad quem majores et diffici- « liores Ecclesiæ quæstiones referuntur, ut dicitur in decre- « talibus *Extra de baptismo*, capite *Majores*. Unde et Dominus « (Luc. xxii et xxxii). Petro dicit, quem Summum Pontificem « constituit : *Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides* « *tua; et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos*. Et hu- « jus ratio est, quia una fides debet esse totius Ecclesiæ... « Quod servari non potest, nisi quæstio fidei exorta determi- « netur per eum qui toti Ecclesiæ præest; ut sic ejus sen-

« tentia a tota Ecclesia firmiter teneatur. Et ideo ad solam « auctoritatem summi Pontificis pertinet nova editio Symboli, « sicut et alia omnia quæ pertinent ad totam Ecclesiam, ut « congregare synodum generalem, et alia hujusmodi » (in *Summa*, IIª IIæ, q. I, art. 10).

Ergo Angelico doctori certa prorsus et indubitata fuit Romani Pontificis potestas, *ea quæ sunt fidei finaliter determinandi;* et ita determinandi ut *ab omnibus inconcussa fide teneri debeant.* Item ipsi persuasum fuit Christi verbis fundari hanc Romani Pontificis prærogativam; et fidei unitatem in tota Ecclesia servari non posse, nisi quæstiones fidei ultimatim definiri valeant *ab eo qui toti Ecclesiæ præest.* Id porro idem est ac tanquam certam et indubitatam docere Romani Pontificis in decernenda fide inerrantiam.

Idem S. Thomas, in Opusculo sexto, quod scripsit *in Symbolum apostolorum*, disserens de verbis istis Christi, *et portæ inferi non prævalebunt adversus eam* (Matth. c. XVI, v. 28), sic habet sub finem : « Quasi dicat : Bellabunt adversum te, sed non « prævalebunt. Et inde est quod sola Ecclesia Petri, in cujus « partem venit tota Italia, dum discipuli mitterentur ad præ- « dicandum, semper fuit firma in fide. Et cum in aliis partibus, « vel nulla fides sit, vel sit commixta multis erroribus, Eccle- « sia tamen Petri, et fide viget, et ab erroribus munda est, nec « mirum : quia Dominus dixit Petro (Luc. XXII, XXXII) : Ego ro- « gavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua. » Quod Ecclesiæ Romanæ fides semper integra fuerit, inde repetendum edocet Angelicus doctor, quod Christus dixerit : *Portæ inferi non prævalebunt adversus eam*, et, *Ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua.* Ergo persuasum habuit, vi ejusmodi verborum, semper puram fore Sedis Romanæ fidem; seu, quod idem est, infallibilem in edocenda fide existere Ecclesiam Romanam.

In *Summa* (IIª IIæ, q. XI, art. 2, ad 3), postquam docuit cum sancto Augustino inter hæreticos deputandos non esse eos doctores qui errarunt *in quibusdam ad fidem pertinentibus*

quæ nondum erant per Ecclesiam determinata, ita subjungit :

« Postquam autem essent auctoritate universalis Ecclesiæ « determinata, si quis tali ordinationi pertinaciter repugna- « ret, hæreticus censeretur. Quæ quidem auctoritas princi- « paliter residet in summo Pontifice. Dicitur enim (causa 24, « quæstione 1, capite XII) : Quoties fidei ratio ventilatur, arbi- « tror omnes fratres nostros et coepiscopos nonnisi ad Pe- « trum, id est, ad sui nominis et honoris auctorem referre « debere; contra cujus auctoritatem nec Hieronymus, nec Au- « gustinus, nec aliquis sacrorum doctorum suam sententiam « defendit. Unde dicit Hieronymus (Pelagius) ad Damasum « Papam, in Expositione Symboli in fine : Hæc est fides, Papa « beatissime, quam in catholica didicimus Ecclesia; in qua « si minus perite aut parum caute forte aliquid positum est, « emendari cupimus a te, qui Petri fidem et sedem tenes. Si « autem hæc nostra confessio apostolatus tui judicio com- « probetur, quicumque me culpare voluerit, se imperitum, « vel malevolum, vel etiam non catholicum, non me hæreti- « cum comprobabit. » Hæreticum ergo censuit divus Thomas eum qui definitis a Papa fidei articulis non assentit. Quod sane perinde est ac pro indubitato dogmate habere Romani Pontificis in definienda fide inerrantiam.

Idem sanctus Thomas in *Summa* (II^{a} II^{æ}, q. XXXIX, art. 1) sic habet : « Ecclesiæ autem unitas in duobus attenditur : scilicet in connexione membrorum Ecclesiæ ad invicem seu communicatione, et iterum in ordine omnium membrorum Ecclesiæ ad unum caput... Hoc autem caput est ipse Christus, cujus vicem in Ecclesia gerit Summus Pontifex. Et ideo schismatici dicuntur qui subesse renuunt Summo Pontifici, et qui membris Ecclesiæ ei subjectis communicare recusant. » Ergo Pontificiis decretis circa fidem omnino deberi obedientiam docet S. Thomas. Præstari autem nequit obedientia hæc nisi credendo eos articulos quos credendos præcipit summus Pontifex. Quæ credendi obligatio prorsus repugnaret,

si posset errare summus Pontifex in decernendis fidei articulis.

Doctrina beati Augustini Triumphi. — Fuit Augustinus Triumphus, sanctorum Thomæ et Bonaventuræ Parisiis discipulus, ac deinceps in Academia Parisiensi doctor ac professor. En quomodo ipse intellexerit Romani Pontificis potestatem in definienda fide : « Papam posse aliquid addere supra illa quæ sunt fidei, dupliciter potest intelligi : vel quantum ad dubiorum interpretationem, vel quantum ad occultorum et implicitorum explicationem. Utroque modo potest Papa aliquid addere super illa quæ sunt fidei : quæ si aliqua sunt dubia et obscura in fide, ad eum pertinet interpretari et determinare. Post cujus determinationem *hæreticum esset* contrarium pertinaciter asserere » (*de Potestate ecclesiastica*, quæst. x, art. 3).

Doctrina et decisio Clementis Papæ VI. — Ut rectæ Armenorum fidei et eruditioni consuleretur, plura interrogationum capita summus Pontifex transmitti curaverat ipsorum Patriarchæ, quibus is respondere deberet. Responderat quidem Patriarcha, sed subobscure passim, nec sinceris omnino catholicæ fidei formulis. Ut itaque, missis ambagibus, fidei veritatem puram in luce collocaret, multis iterum interrogationibus apud eumdem Patriarcham instandum duxit Clemens VI; simulque jussit ut circa fidei capita, quæ in transmissis responsionibus omiserat, mentem clare exprimeret. Quod præstitit Pontifex litteris suis diei 11 decembris 1351, quæ inscribuntur, *venerabili fratri Consolatori, dicto catholicon Armenorum*, quasque ex integro edidit Raynaldus, ad annum 1351. Ex eis hæc pauca transcribimus :

« In primo igitur capitulo responsionis tuæ, in quo pro fundamento ipsius catholicæ fidei præmittis, quod tu et Ecclesia Armenorum, quæ tibi obedit, creditis et tenetis..., quod eadem Ecclesia Romana, cujus Summus Pontifex est Papa Romanus, est sola catholica, et in ea sola est vera salus, et *una vera fides*...; quærimus : si creditis tu, et Ecclesia Arme-

norum quæ tibi obedit, omnes illos qui in baptismo eamdem fidem catholicam receperunt, et postmodum a communione fidei ejusdem Ecclesiæ Romanæ, quæ una sola catholica est, recesserunt vel recedent in futurum, esse schismaticos et hæreticos, si pertinaciter divisi a fide ipsius Romanæ Ecclesiæ perseverent...

« Si creditis, tu et Armeni tibi obedientes, quod nullus homo viatorum extra fidem ipsius Ecclesiæ et obedientiam Pontificum Romanorum poterit finaliter salvus esse...

« Si credidisti et credis, omnes qui se contra fidem Romanæ Ecclesiæ erexerunt et in finali impœnitentia mortui fuerunt, damnatos fuisse, et ad perpetua infernorum supplicia descendisse...

« Si credidisti et adhuc credis, solum Romanum Pontificem, dubiis emergentibus circa fidem catholicam, posse per determinationem authenticam, cui sit inviolabiliter adhærendum, finem imponere; et esse verum et catholicum quidquid ipse auctoritate clavium sibi traditarum a Christo determinat esse verum; et quod determinat esse falsum et hæreticum, sit censendum. »

Non poterat clarius exprimi dogma de Romani Pontificis infallibilitate. Et notetur a Clemente VI proponi dogma illud, tanquam articulum fidei, cui omnino credere debeant Armeni ipsorumque Patriarcha. Falsum ergo est quod dicunt Gallicani systematis sequaces, nunquam a Sede Apostolica *tanquam articulum fidei* assertam fuisse Romani Pontificis infallibilitatem. Qui exigit ut huic infallibilitati *credatur*, eam profecto tanquam articulum fidei edocet ac pronuntiat. Id porro peregit Clemens VI quoad gentem Armenam.

Doctrina Thomæ Bradvardini. — Fuit is Archiepiscopus Cantuariensis, obiitque anno 1349. Sic habet in *præfatione* operis quod inscripsit *de Causa Dei* : « Scio quid faciam : illi me navi committam quæ perire non poterit, navi Petri. In ipsa namque auctor et magister noster unicus noster Christus tutissime residens, de ipsa legitur docuisse; mystice nobis insi-

nuans, quod apud ipsam Petri naviculam, apud Romanam Ecclesiam, totius christianæ doctrinæ auctoritas et magisterium remaneret. Hujus igitur tam authenticæ, tantæque magistræ judicio me totum, meaque omnia scripta seu scribenda plene subjicio, integreque submitto. » Hæc sane verba de Romani Pontificis infallibilitate persuasionem plenissimam testantur.

Doctrina Joannis Parisii. — Sic habet in opere suo *de Potestate Regia et Papali*, capite III : « Una est omnium fidelium Ecclesia, unus populus christianus. Et ideo, sicut in qualibet diœcesi unus est Episcopus, qui est caput Ecclesiæ in illo loco vel populo, ita in tota Ecclesia et toto populo christiano est unus summus Episcopus, Papa scilicet Romanus, Petri successor. Nam post corporalem substractionem præsentiæ corporalis Christi, convenit interdum circa ea quæ sunt fidei quæstiones moveri; in quibus propter diversitatem opinionum vel sententiarum divideretur Ecclesia (quæ ad sui unitatem requirit fidei unitatem) nisi per unius sententiam Ecclesiæ unitas servaretur. Hic autem principatum hujusmodi habens, est Petrus, successorque ejus, non quidem synodali ordinatione, sed ex ore Domini, qui Ecclesiæ suæ noluit deficere in necessariis ad salutem. »

Idem auctor infra sic prosequitur : « Ne propter diversitatem controversiarum unitas fidei destruatur, necesse est unum esse superiorem in spiritualibus, per cujus sententiam controversiæ terminentur. » Ibi etiam plenam reperis de Romani Pontificis infallibilitate persuasionem. Fuit Joannes Parisius ex ordine Dominicanorum, Parisiensis doctor et professor, obiitque anno 1304.

Doctrina Joannis de Celaia. — Hic facultatis Parisiensis doctor, explanans tertium librum Magistri *Sententiarum*, dictinctione XXV, quæstione IV, ita docet. « Quinta conclusio est ista : Romanæ Sedis judicium, in his quæ fidei sunt, et ad humanam salutem necessaria, errare nequit. Quod probatur ex promissione Salvatoris (Luc. XXII); quæ verba allegat Bernar-

dus scribens Innocentio Papæ III..... Ad replicam respondetur negando antecedens : imo necessarium est dicere quod non intelligitur de universali Ecclesia : nam subjungitur : *et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos.* Idcirco divus Cyrillus, et divus Chrysostomus, et divus Leo, et beatus Agatho, et divus Bernardus, et Anselmus, et Albertus Magnus et divus Thomas glossant præfatam auctoritatem de Ecclesia Romana, ut distinguitur ab aliis Ecclesiis. »

Doctrina Stephani, Parisiensis Episcopi, cum multis insimul doctoribus. — Stephanus, Parisiensis Episcopus, quasdam sancti Thomæ sententias rejiciendas et impugnandas esse censuerat. At postquam Sedes apostolica doctorem Angelicum sanctorum catalogo adscripsit, ejusque doctrinam commendavit, in favorem ejusdem doctrinæ declarationem edidit Stephanus anno 1324, « de consilio, ut ipse loquitur, venerabilium virorum Decani et capituli Parisiensis, et venerabilis P. D. Guillelmi Dei gratia Archiepiscopi Viennensis, sacræ theologiæ professoris, et aliorum 23 magistrorum in theologia, necnon 39 baccalaureorum in theologia. » In hac porro declaratione sic habetur :

« Nos igitur attendentes cum eis, quod sacrosancta Romana Ecclesia fidelium omnium mater et magistra, in firmissima Petri Christi vicarii confessione fundata, ad quam velut ad universalem regulam catholicæ veritatis pertinet approbatio doctrinarum et reprobatio, declaratio dubiorum, determinatio tenendorum, et confutatio errorum, » etc. (*Historia Universitatis Parisiensis*, tomo IV, ad annum 1324).

Nisi infallibilem quoad dogmata Romanam Ecclesiam existimasset Stephanus, non asseruisset ad ipsam, velut *ad universalem regulam catholicæ veritatis*, pertinere doctrinarum approbationem et reprobationem, determinationemque tenendorum.

Doctrina Manuelis Calecæ. — « Manuel Caleca, auteur grec du quatorzième siècle, après avoir dit que le Pape est *le premier pasteur, le père de toute l'Église, le juge universel de tous les*

chrétiens (de Processione Spiritus sancti, libro IV), ajoute que lorsque les Grecs schismatiques voulaient se réunir à l'Église romaine, on les obligeait, entre autres choses, à reconnaître et à croire expressément que la foi de l'Église romaine, en matière de dogmes ecclésiastiques, est toujours saine; *ut Romanam Ecclesiam in ecclesiasticis dogmatibus matrem fidelium atque magistram, sana semper fide esse crederent* » (Petit-Didier, *Traité de l'autorité et de l'infaillibilité des Papes*, page 324, édit. Luxembourg, 1724).

Doctrina Natalis Britonis, Ordinis sancti Dominici generalis præpositi : « In tota universitate christiana debet esse conformitas de his quæ pertinent ad veritatem fidei et bonos mores, circa necessaria ad salutem. Sed talis conformitas non potest salvari, nisi in ordine ad unum caput, seu unum præsidentem, ad quem spectet sententiare, quid credendum et quid non credendum » (apud sanctum Antoninum, in *Summa*, parte III, titulo XXII, cap. III, § 3). Docet autem Natalis Brito hunc *unum præsidentem*, non alium esse quam Romanum Pontificem.

Doctrina Universitatis Parisiensis. — Anno 1387 tota Universitas Parisiensis in consistorio apud Clementem VII, quem tanquam legitimum Pontificem sequebatur, Romani Antistitis infallibilitatem per magistrum Petrum de Alliaco professa est his verbis :

« Igitur pro vestris humilibus filiis universitatis prædictæ, et pro nobis eorum nuntiis, qui suis in hac parte obsequimur mandatis et documentis, innitimur corde et ore unanimiter protestamur, quod quidquid hactenus in hac causa per eos actum est, et quidquid in ea nunc vel alias pro eis acturi aut dicturi sumus, totum correctioni et judicio Sedis Apostolicæ et sedentis in ea summi Pontificis humiliter submittimus; dicentes cum beato Hieronymo (XXIV, q. 1) : *Hæc est fides, Pater beatissime, quam in Ecclesia catholica didicimus, in qua si quid minus perite aut minus caute forte aliquid positum est, emendari petimus a te, qui Petri fidem et sedem tenes.* Non igno-

ramus enim, sed firmissime tenemus, et nullatenus dubitamus, quod sancta Sedes Apostolica est illa cathedra Petri, supra quam, eodem Hieronymo teste, fundata est Ecclesia, ut habetur in eadem *quæstione*, capite *Quoniam vetus;* et sicut dicit Cyprianus, XCIII[a] distinctione, canone *Qui cathedram.* De qua sede in persona Petri apostoli in ea sedentis dictum est: *Petre, rogavi pro te, ut non deficiat fides tua* (Luc. XXII). Hæc est igitur ad quam determinatio fidei et approbatio veritatis catholicæ ac hæreticæ impietatis detestatio maxime pertinet » (inter Opera Gersonii, tomo I, pagina 702, editionis Ellies Dupin, Antuerpiæ, 1706). Verba quæ ibi tribuuntur S. Hieronymo, sumpta sunt ex professione fidei Pelagii, quam vide in appendice tomi X Operum S. Augustini, col. 96, editionis Benedictinorum.

Probat autem citatus textus Parisiensis facultatis persuasionem de Romani Pontificis in decernenda fide inerrantia. Si enim fallibilem eum existimasset Facultas, insane professa esset ad ipsum *determinationem fidei* pertinere. Scripsit quidem Petrus de Alliaco his valde contraria, ut mox dicetur. Imo primus Romani Pontificis inerrantiam et relative ad concilium ab ipso sejunctum superioritatem scriptis inficiari ausus est. Manet tamen ejus et totius universitatis relata sententia tanquam communis adhuc hoc tempore catholicorum persuasionis monumentum.

Doctrina Procerum Galliæ, in libello Clementi V oblato. — « Non quæritur de hæresi Papæ quondam[1], *ut Papæ*, sed ut *privatæ personæ*. Nec enim ut Papa potuit esse hæreticus, sed ut privata persona. Nec unquam aliquis Papa, in quantum Papa, fuit hæreticus » (citatum in *Theologia Wirceburgensi*, t. I, p. 373, edit. Parisiis, 1852).

Propositio LIV[a]. — *Merito concluditur unanimem fuisse dictam persuasionem ab anno* 1200 *usque ad Constantiense concilium.* — Catholicorum scriptorum qui hac periodo floruerunt,

[1] Agebat tunc Rex Galliæ ut Clemens V prædecessorem suum Bonifacium VIII hæreticum fuisse declararet, non quidem ut Papam, sed ut doctorem privatum.

quique Romani Pontificis inerrantiam pro indubitata habuerunt, catalogum ac citationes possemus in immensum protrahere. Sed præterquam quod apud Petit-Didier (*de Auctoritate et infallibilitate Romani Pontificis*) ordine chronologico citatos quamplures facile potest lector reperire, prorsus inutilis hæc tanta congeries visa est : potest siquidem unanimis toto hoc temporis tractu persuasio faciliori via demonstrari ; dicendo nempe *nullum* omnino qui contrariæ sententiæ adhæserit detegi huc usque potuisse. Quod sic, inter alios eruditos adnotat Theophilus Raynaud, in opusculo suo Αυτὸς εφα (puncto XI, tomo XX Operum, pagina 389, edit. Cracoviæ, 1669) :

« Frustra plures theologos conquirerem, cum possint om-
« nes adduci, quotquot ante concilium Constantiense florue-
« runt. Nam nonnisi a tempore concilii Constantiensis et
« Basiliensis, revocata est in controversiam hæc veritas apud
« catholicos. Sed omnes anteriores *unanimiter* docuerunt,
« definitiones pontificias, etiam absque generali concilio edi-
« tas, facere rem de fide, et omne judicium de fide finaliter
« pertinere ad Sedem apostolicam. Ita diserte Ruardus Tap-
« per, oratione tertia theologica, numero 7. »

Præterea probamus sequenti capite, opinionem de Romani Pontificis fallibilitate, decimo quinto dumtaxat sæculo, schismatis tempore, *enatam* fuisse. Si tunc primum prodiit, ergo antea inaudita prorsus fuerat, seu *unanimis* vigebat in contrarium persuasio.

CAPUT V

OPINIO DE ROMANI PONTIFICIS FALLIBILITATE ENATA EST DECIMOQUINTO DUMTAXAT SÆCULO, CONSTANTIENSIS CONCILII TEMPORE, OCCASIONE SCHISMATIS.

I. Testimonium Ruardi Tapperi, facultatis Lovaniensis decani, et in Tridentino concilio spectatissimi theologi. « A tempore

enim concilii Constantiensis et Basileensis doctores quidam apud solum concilium œcumenicum docent esse infallibilis sententiæ privilegium. Veteres vero scriptores, Petro, totius familiæ Christi præposito, et Romano Pontifici supremo in terris post Petrum vicario, ut qui solus claves domus acceperit, quodlibet ligandi ac solvendi, ejusque cathedræ proprium esse hoc privilegium infallibilis sententiæ, *concorditer* ex Scripturis tradunt » (Orat. theol. III, apud Zaccariam, *Antifebronius vindicatus*, dissertatio V, caput II, n. 2).

II. Testimonium Andreæ Duval, facultatis Pariensis decani, qui obiit anno 1638. — « Velint nolint adversarii, liquido constat veteres Ecclesiæ Gallicanæ proceres hanc in summis Pontificibus Petri successoribus infallibilitatem semper agnovisse, Christique Domini orationem in Petro non stetisse ; eosque qui hanc veritatem impugnare conati sunt, a ducentis aut circiter annis, quibus in Ecclesiam horrenda schismata irruerunt, cœpisse » (apud Zaccariam, *Antifebronio*, parte I, dissert. II, cap. x, n. 8).

III. Testimonium Theophili Raynaud, e societate Jesu. — « Nonnisi a tempore concilii Constantiensis et Basileensis revocata est in controversiam hæc veritas apud catholicos » (in opusculo suo quod inscripsit Αυτὸς εφα, puncto 5, t. XX Operum, pagina 389, edit. Cracoviæ, 1669).

IV. Testimonium Dominici Bannes, celeberrimi e familia Prædicatorum theologi. — « In publico fidei judicio non est distinguenda apostolica Sedes ab apostolico præside vel Summo Pontifice, neque Romana Sedes a Pontifice Romano » (in secundam secundæ sancti Thomæ, quæstione I, art. 10, conclusione tertia).

« In publico fidei judicio non potest Summus Pontifex errare. Hanc conclusionem asserit divus Thomas... Quocirca arbitror hanc conclusionem, tanquam apostolicam traditionem esse tenendam. Et quidem ut talis haberetur ab omnibus fidelibus, nisi *a tempore concilii Constantiensis* in agro Domini inimicus homo, id est diabolus, zizaniam superseminas-

set. Etenim *usque ad illa tempora soli Græci errabant in hac parte* » (loco citato, conclusione quarta).

V. Testimonium cardinalis de Aguirra. — Loquens de sententia quæ Romano Pontifici tribuit infallibilitatem in definitionibus fidei, ita fidenter asserit : Illam amplexati sunt... *omnes omnino* theologi quotcumque scripserunt ante concilium Constantiense, inchoatum anno Christi 1415. Nullus enim eo usque, nisi forte heterodoxus aut schismaticus, invenitur, qui auctoritatem infallibilem negaverit Romano Pontifici, quoties ex cathedra Sedis Apostolicæ definit aliquid, tanquam credendum ab omnibus fidelibus circa fidem aut mores » (*Defensio cathedræ Petri*, disput. vii, sect. ii, n. 13).

VI. Testimonium Petri Ballerinii. — « Dimissis autem Okamo aliisque Fraticellis schismaticis, qui a Joanne XXII condemnati..., contrariæ nobis sententiæ auctores a nonnullis traduntur, dubitari non posse videtur quin eadem sententia inter catholicos theologos irrepserit ac invalescere cœperit *eodem ferme tempore*, occasione eadem, iisdemque auctoribus quibus *sub Pisanam synodum et Constantiensem* inducta fuit opinio de conciliorum generalium auctoritate supra ipsum Romanum Pontificem » (Petrus Ballerinius, *de Potestate ecclesiastica*, *appendix*, § 12, pagina 234, editionis Romanæ, 1850).

Hujus opinionis, apud catholicos antea inauditæ, auctores extitisse Petrum de Alliaco et Joannem Gersonem asserit Ballerini. At existimat, ambos etiam illos doctores pro contraria doctrina aliquando stetisse et nonnisi sibimet contradicendo ad errorem de Papa in decernenda fide fallibili deflexisse :

« Non omnino esse certum affirmare me posse reor, Petrum de Alliaco, ac Joannem Gersonem, qui inter theologos magni nominis primi infallibilitatem Pontificiam expresse impetiverunt, judicasse Romanos Pontifices errori obnoxios, etiam cum proprie dictas definitiones ex primatus fine atque officio promulgant. Certe Petrus de Alliaco, Gersonis magis-

ter, antiquorum traditionem de indefectibilitate Romanæ fidei, Christi pollicitationibus fultam, suo quoque ævo obtinentem deserere non ausus, in legatione, quam adversus Montesonum Universitatis Parisiensis nomine Avenione gessit ad Clementem VII, eamdem traditionem secutus, Christique promissis innixus affirmavit : *De qua Sede* (Romana) *in persona Petri in ea sedentis dictum est : Petre, rogavi pro te, ut non deficiat fides tua.* Et similiter in tractatu, quem in eadem legatione ad Papam et cardinales edidit, eadem Christi promissione laudata, approbat quod in capite *Hæc est fides* de Romanæ Sedis fide traditur : *Ipsa semper immaculata permansit, et in futuro permanebit.* Infertque statim : *Ex quibus omnibus satis patet, quod ejus nunquam deficit fides*, uti Christus promiserat. Non absimiliter Joannes Gerson, in sermone coram Alexandro V, die Ascensionis Domini habito, rationem redditurus cur Græca Ecclesia erroribus fidei vitiata fuerit, non autem Latina, Romanæ fidei indefectibilitatem exinde deducit, quia *Latinitas ipsa purior et immaculata sedem habet Petri, pro cujus fide ne deficeret specialiter oravit ille, qui in omnibus exauditus est pro sua reverentia* » (loco citato, pagina 235).

VII. Testimonium ipsiusmet Gersonii. — Habemus in hac re ipsummet Gersonium sese confitentem novitatis reum. Quamvis enim *adulationi* tribuat de Romani Pontificis inerrantia doctrinam, eam tamen ante Constantiense concilium communiter receptam testatur his valde attendendis verbis :

« Concedit (*adulatio*) insuper quod (*Papa*) super jus est..., et quod nec ab eo appellari neque eum judicialiter evocari, nec obedientiam ab eo subtrahi, præsertim extra casum hæresis, sit aliquatenus possibile. Hic solus symbolum fidei condere, hic solus causas ejusdem fidei et majores cæteras tractare potest : solus, ut jam factum est, definitiones, regulas, leges et canones condit : alioquin quidquid per alios definitur, decernitur, conditur, statuitur, irritum est et inane : nec aliquid ex eis quæ statuerit potest nisi per ipsum quomodoli-

bet cassari vel infringi : ipsum vero aliena qualiscumque constitutio ligat nulla. Fallor si non *ante celebrationem hujus sacrosanctæ Constantiensis synodi sic occupaverat mentes plurimorum, literialium magis quam literatorum, ista traditio, ut oppositorum dogmatizator, fuisset de hæretica pravitate vel notatus vel damnatus*. Hujus rei signum accipe : quia post declarationem ex theologiæ principiis luce clariorem, et quod urgentius est, post determinationem et practicationem ejusdem sanctæ synodi, inveniuntur qui talia palam asserere non paveant : tam radicatum, et ut cancer serpens tam medullitus imbibitum fuit hoc priscæ adulationis virus letiferum ! » (*De Potestate ecclesiastica*, consideratione XII, Operum ab Ellies Dupin dispositorum tomo II, pag. 247, edit. Antuerpiæ 1706.)

Ergo, ipsomet fatente Gersonio, ante Constantiense concilium ita *mentes occupaverat ista traditio, et tam radicata et medullitus imbibita erat, ut oppositorum dogmatizator fuisset de hæretica pravitate notatus vel damnatus*. Nisi autem hæc traditio fuisset ab omnibus *communiter recepta*, et tanquam dogma certissimum ac omnino tenendum habita, dogmatizanti in contrarium haud metuendum fuisset ne ut hæreticus damnaretur. Ergo contraria opinio, ante Constantiensis concilii tempora, non habebatur tanquam libera, id est, quæ posset licite propugnari ; nec de facto ab ullis doctoribus catholicis propugnata fuerat. Equidem non dicit expresse Gersonius, *omnium* mentes ista traditio occupaverat, sed dumtaxat *plurimorum ;* ne scilicet novitatis seipsum nimium aperte insimularet. At quæ addit, *generaliter* et *communiter* apud catholicos traditionem hanc pro certo et indubitato dogmate habitam fuisse testantur. Consonant alia plura ejusdem Gersonii dicta, quorum nonnulla subjicienda visa sunt.

« Contemptus clavium plus habet periculi erga personam Summi Pontificis quam erga inferiores ; quoniam ab abusibus inferioribus patet recursus ad Papam per appellationis subsidium. Et si dicatur quod ita potest a Papa fieri appellatio ad

concilium generale, dixerunt olim *ante concilium generale Pisanum et Constantiense*, quod hoc nullo modo licebat ; et allegant jura sua, pro se valde (sicut eis videtur) expressa. Sed constanter NUNC asseritur quod est hæresis damnata per constitutionem expressimam et practicatam in concilio prædicto Constantiensi, prout alibi diffusius est ostensum » (in opusculo quod inscribitur *Circa materiam excommunicationum*, tomo II, parte tertia, pagina 422, editionis Ellies Dupini, Antuerpiæ, 1706).

« Posuerunt isti Papalem auctoritatem supra concilium, aut saltem non imparem. Est autem certum apud eos quod par in parem et minor in superiorem non habet imperium. Benedictus autem Deus, qui per hoc sacrosanctum Constantiense concilium illustratum divinæ legis lumine, dante ad hoc ipsum vexatione præsentis schismatis intellectum, liberavit Ecclesiam suam ab hac pestifera perniciosissimaque doctrina » (in opusculo *de Potestate ecclesiastica*, consideratione decima, tomo II, parte 2, pagina 240, editionis Ellies Dupin, Antuerpiæ, 1706).

« Superest quoque remedium concilii generalis ; cujus finalis, auctoritativa, judicialisque potestas fundata est indestructibiliter in illo verbo Christi de correctione fraterna, *quod si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus* (Matth. XVIII, 17). Cui legi haud dubie subest Papa, licet HACTENUS multis hæc veritas non placeret, propter inordinatum favorem ad summum Pontificem... NUNC autem opposita falsitas est hæresis, expresse damnata per concilium Constantiense » (in tractatu *de Examinatione doctrinarum*, consideratione 2, t. I Operum, pag. 9, edit. Ellies Dupin, Antuerpiæ, 1706). Citato decreto quo definit Concilium Constantiense Papam generali concilio subjici, in his quæ fidem respiciunt, ita subjungit : « Conscribenda prorsus esse mihi videretur in eminentioribus locis, vel insculpenda per omnes Ecclesias saluberrima hæc determinatio..., tanquam directio fundamentalis et velut infallibilis, adversus monstruosum horren-

dumque offendiculum, quod *hactenus* positum erat *per multos* de Ecclesia in itinere mandatorum Dei, determinantes ex textibus glossæ, non ad regulam evangelicam et æternam acceptis, Papam non esse subjectum generali concilio, neque judicari posse per ipsum : quod præterea generale concilium totum ab ipso robur immediate sumebat : nec poterat sine eo, casu quocumque, vel convocari vel stabiliri : quod nemo poterat ei dicere : Cur ita facis?... Scripsit super hoc errore vel scandalo reverendissimus Pater D. cardinalis Cameracensis præceptor meus dudum, et nuper antequam fieret hæc constitutio » (*Sermo super processionibus pro viagio regis Romanorum*, parte I, Operum ab Ellies Dupin dispositorum, tomo II, pag. 270, edit. Antuerpiæ, 1706). Fatente Gersonio, *hactenus* doctrina contraria tanquam omnino certa tradita fuerat *per multos*. Si recte loqui ausus esset, non dixisset *per multos*, sed *ab omnibus*. Unicum enim novi erroris citare potest patronum, videlicet magistrum suum Petrum de Alliaco.

VIII. Testimonium promotoris *comitiorum cleri Gallicani anni* 1682.—In dictis comitiis promotorem egit Jansenista Coquelin, doctor Sorbonicus, Ecclesiæ et Universitatis Parisiensis cancellarius, necnon ejusdem Ecclesiæ Parisiensis canonicus. Refert is supracitatum Gersonii locum, in quo asseritur ita inauditam fuisse ante Constantiæ concilium de Romani Pontificis fallibilitate doctrinam, ut qui eam asserere ausus fuisset, *de hæretica pravitate notatus fuisset vel damnatus*. Quod quidem Gersonii dictum non confutat Coquelin, sed e contra verissimum supponens ac laudans adducit in hunc modum :

« Il rapporte ensuite (Gerson) les excès surprenants de cette flatterie; et, après les avoir rapportés, il trace, par un juste discernement, les routes de la voie royale que la vérité marque être entre ces deux extrémités; discernement qu'il dit avoir été réglé par la décision du saint concile de Constance. Et il ajoute que la prévention était si grande en cette matière, qu'elle s'était tellement emparée, non pas tant des gens de lettres que des lettres et des écrits même, que, *avant*

ce saint concile, quiconque aurait voulu soutenir les opinions contraires aurait été traité d'hérétique, ou du moins comme suspect dans la foi. Fallor si non ante celebrationem, etc. » (Vide *procès-verbaux* séance du mercredi 26 novembre 1681. Ego transcripsi e manuscripto quod in Atrebatensi Episcopio asservatur, in quo habentur verba hæc pagina 150.)

CAPUT VI

NOVA DOCTRINA PETRI DE ALLIACO ET GERSONII, NEC NON SESSIONUM QUARTÆ ET QUINTÆ CONSTANTIENSIS CONCILII NIHILI FACIENDA EST.

Perennis ille atque unanimis catholicorum concentus, quo per tredecim continua sæcula Romano Pontifici de rebus fidei decernenti asserta constanter fuerat inerrantiæ prærogativa, decimo quinto sæculo interruptus revera fuit dissona paucorum voce; ast ad breve tempus (ut mox ostendetur), et ita ut pauci illi doctores catholici, qui novitatem istam obtrudere tentarunt, non tantum derelicti, sed et derisi fuerint; reductaque sit prisca consensio, quam suo ævo unanimem testatur Suaresius.

§ 1. — De longa dissensione, quæ *magnum occidentis schisma* dicta est, præmotatio historica.

Exponendum venit præsenti capite, qui et quantulæ auctoritatis transitoriæ hujus dissonantiæ auctores exstiterint; quæ causa eos in erroneam ejusmodi novitatem impulerit; quam falsum sit sessionibus quartæ et quintæ Constantiensis concilii inesse vim synodi œcumenicæ; et tandem quomodo malesana hæc opinio communiter a doctoribus catholicis rejecta fuerit. Id per sequentem paragraphorum seriem præstabimus.

Clemens V Avenionem, anno 1305, sedem transtulerat; ubi et ejus successores commorati sunt, usque ad Gregorium XI,

qui Romam remeavit, ibique obiit anno 1378. Constabat tunc sacrum collegium tribus supra viginti Cardinalibus; quorum sexdecim Romæ aderant, sex Avenione remanserant, unus in Thuscia legatione fungebatur. Ex dictis sexdecim Romæ præsentibus, duodecim natione Galli erant, quatuor tantum Itali. Quapropter magistratus ac cives Romani, metuentes ne Gallus eligeretur, qui Avenionem iterum sedem transferret, armata manu conclave circumsepiebant, extrema minitantes, nisi Romanus, aut saltem Italus eligeretur. Instantibus ejusmodi terroribus variisque tumultibus, Cardinales Barrensem Archiepiscopum, Gente Neapolitanum, in Pontificem elegerunt. Is, assumpto Urbani VI nomine, consentientibus cunctis Cardinalibus inthronizatus, pacifice per quatuor menses Pontificatu fungi cœperat. Cum autem reformandis Cardinalium moribus intenderet, abalienati sunt ab ipso purpuratorum animi; e quibus plures dictitare cœperunt, non libere sed cogente vi ac metu, electum fuisse Urbanum VI. Eo res perducta, ut alterum Pontificem elegerint; Robertum scilicet Gebennensem, qui Clemens VII dictus est, quique sedem Avenione fixit. Ex tunc, id est, ab anno 1379, rescendi in duas partes cœpit orbis catholicus, quarum una Urbano, Clementi altera obsequebatur. Quæ quidem dissensio *schisma* dicta est, sed perperam. Non enim a vero Romano Pontifice quatenus tali fiebat recessus; sed illi qui verus pontifex potius habendus videbatur obedientia præstabatur; non absolute, sed sub conditione quod legitimus esset. Unde quamvis plures exstiterint partes seu *obedientiæ* (ut dicebatur), nullum tamen proprie dictum schisma.

Anno 1389 obiit Urbanus VI, et ejus loco electus est Bonifacius IX. Item mortuo Clemente VII, anno 1394, electus fuit Petrus de Luna, qui Benedicti XIII nomen sibi assumpsit. Interea summo animorum æstu disputabant universitatum, Pariensis præcipue, doctores de canonico ad tantum malum remedio. Propositum primo, ut obtineretur ab utroque contendente ultronea Papatus cessio, sicque posset certus Papa

eligi. Quo incassum tentato medio, excogitata obedientiæ subtractio, ac postmodum neutralitas. Anno 1404 obiit Bonifacius IX, et ei successit Innocentius VII; quo etiam vita functo in ejus locum anno 1406 electus est Gregorius XII. Utriusque tandem obedientiæ Cardinales in Pisana civitate concilium indicunt, quod et inchoatum est anno 1409. Pronuntiata fuit a Pisana synodo in ambos contendentes depositionis sententia, et inito conclavi electus est a Cardinalibus Alexander V. Ast inde auctum schisma, nedum extinctum; si quidem tres ex tunc dubii ac de Papatu contendentes Pontifices exstiterunt. Anno 1410, defuncto Alexandro V successit Joannes XXIII. Is generale concilium indixit Constantiæ, anno 1414 celebrandum. Et ab hac synodo finis tandem schismati impositus est; quod contigit hoc modo : Joannes XXIII, qui cessurum se jurejurando spoponderat, sententiæ depositionis a concilio contra ipsum pronuntiatæ acquievit; Gregorius XII ultronee cessit. At Benedictus XIII, qui in ditionem regis Aragoniæ confugerat, pertinaciter cedere renuebat. Quapropter qui ei adhærebant fere omnes ab ejus obedientia recesserunt; et synodus ipsum quatenus jam manifeste schismaticum et hæreticum, depositum pronuntiavit. Quibus in antecessum peractis, in Pontificem electus est Martinus V anno 1418. Ex parte autem Benedicti XIII, cum paucissimis adhærentibus adhuc protractum est schisma; ita ut anno dumtaxat 1429 penitus extinctum sit. Duraverat annis 41.

§ 2. — Summa componendi schismatis difficultas, nec non vitiata tunc temporis in Parisina facultate studii theologici ratio, haud parum forte in causa fuerunt cur Petrus de Alliaco, Gersonius et alii nonnulli, ad inauditam huc usque apud catholicos opinionem de Papæ fallibilitate et ejusdem relative ad concilium subjectione declinaverint.

Semel inducto circa verum Romanum Pontificem dubio, utpote nutante ipsiusmet Ecclesiæ fundamento, totus commotus est orbis catholicus. Ubique effervere capita : de ineunda legitima tollendi schismatis ratione disputare doctores,

decertare inter se principes. At præcipuo æstu agitata apud Parisiensem facultatem quæstio. Summa ac pene inextricabilis videbatur difficultas. Unus enim e contendentibus verus ac legitimus erat Pontifex. Quidquid porro contra ipsum decerneretur nullum ac irritum fore dicebatur, cum ex indubitato catholico dogmate, summa Ecclesiæ auctoritas nequeat ab ullo judicari ac dejici. Contendentium autem quilibet se verum ac legitimum Pontificem asserebat ac suos sibi adhærentes habebat. Nec, sicut in aliis schismatibus peractum fuerat, potuit legitimus ab intrusis distingui. Quapropter sibi persuaserunt Petrus de Alliaco, Gersonius et nonnulli alii, nullam superesse extinguendi schismatis rationem, nisi statueretur, subjici Romanum Pontificem, etsi nullatenus dubium, generalis concilii decretis ac definitionibus ; ac posse ab eo, id postulante utilitate Ecclesiæ, deponi; esse proinde concilium generale, etiam quatenus a Papa sejunctum, superiorem judicem, ad quem possit a Papæ sententiis appellari ; ac penes concilium, non penes Papam, residere infallibilitatis quoad res fidei prærogativam. Novum sane ac tota retro antiquitate inauditum apud catholicos systema. Sed cum nullam aliam finiendi schismatis viam superesse existimarent, ad hanc obtrudendam novitatem, petulantis ut erant atque audacioris ingenii, toto nisu contenderunt.

Cæterum a pluribus annis in Parisiensi Academia multum a recto tramite sacræ theologiæ studium declinaverat[1]. Non jam quod a Patribus traditum, quod in monumentis ecclesiasticis consignatum, quod a Romanis Pontificibus et conciliis definitum, quod a doctoribus catholicis communi consensu receptum, pro summa sentiendi ac docendi lege proponebatur ac præcipue attendendum commendabatur. Sed toti erant magistri ac studentes ut sese invicem opinandi audacia et philosophicis subtilitatibus superarent. Qui coætanea scripta

[1] De quo testem habemus ipsummet Gersonem, in suis litteris *de Reformatione theologiæ*, quas vide in opere *Collectio judiciorum*, auctore d'Argentré, tomi primi parte secunda, pagina 192.

pervolverit, compertum facile habebit, quam sterilis tunc extiterit tradendæ sacræ disciplinæ ratio, quam jejuna historiæ ecclesiasticæ notio, quantula sancti Thomæ et aliorum qui præcesserant doctorum auctoritati deferentia, quam audax denique in obtrudendis suis sententiis ac ratiunculis fiducia. Hujus præcipue genii fuere Petrus de Alliaco et Gersonius. Nec mirum in erroneas novitates prorupisse. Quod tamen ne gratis de hujusmodi viris dictum existimetur, documentis breviter comprobabimus, non orthodoxos eos et alicujus auctoritatis doctores extitisse, sed veros protestantium antecessores, dignos sane quos Lutherus et Melanchthon, qui eorum scriptis plurimum studuerant, suos sibi magistros professi sint.

§ 3. — Auctoritas Petri de Alliaco, contra infallibilitatem Pontificiam sentientis, nihili facienda est.

« Petrus de Alliaco (gallice d'*Ailly*) Compendii ad Isaram (Compiègne, Oise), quod Galliæ Belgicæ oppidum est, natus est anno 1350, haud claris admodum, sed probis parentibus... Anno 1380 doctoris theologi in Academia Parisiensi titulum adeptus est... Benedictus XIII (*id est Petrus de Luna, unus ex eis qui de Papatu contendebant*) Aniciensem seu Podiensem Episcopum eum designavit circa finem anni 1395; ac post sesquiannum, iterum missus ad Benedictum, Cameracensis Episcopus factus est... A Joanne XXIII (*altero ex iis dubiis Pontificibus qui de Papatu contendebant*) cardinalitia purpura anno 1411 insignitus est... Vita functus est anno 1425 » (inter procœmialia Operum Gersonii, ab Ellies Dupin editorum, t. I, pag. 38, Antuerpiæ, 1706).

Quam erroneæ, quam incoherentis, quam vesanæ, quam protestanticæ doctrinæ fuerit celebris ille Parisiensis universitatis cancellarius, æstimet ipse lector ex sequentibus :

In quæstione seu opusculo *Utrum Petri Ecclesia lege regu-letur*, varias opiniones circa infallibilitatem concilii generalis, Romanæ Ecclesiæ et Summi Pontificis, exponit hoc modo :

« Prius recitandæ sunt quædam assertiones circa istam materiam plurimum differentes : prima est (in quam communiter omnes fideles videntur consentire) quod tota Ecclesia, sive multitudo omnium christianorum hæreticari non potest, sive contra fidem errare. Secunda est, quod nec concilium. Tertia, quod nec Romana Ecclesia. Quarta, quod nec collegium cardinalium. Quinta, quod nec Papa canonice intrans » (inter Opera Gersonis ab Ellies Dupin edita, tomo I, pag. 669, edit. Antuerpiæ, 1706).

« Aliæ autem sunt quinque assertiones prædictis valde repugnantes. Una[1] est quod Papa intrans canonice hæreticari potest, sive contra fidem errare, quia Petrus et multi alii leguntur sic errasse. Septima est, quod Ecclesia Romana etiam potest sic errare, sive capiatur pro collegio cardinalium, sive pro collegio Papæ simul et cardinalium, sive in quacumque alia significatione sumatur, dummodo nomine Romanæ Ecclesiæ non importetur tota multitudo fidelium ; quia illa Ecclesia scilicet sic errante, adhuc staret illam Ecclesiam non errare cui Christus promisit perseverantiam in fide. Octava est, quod etiam concilium generale potest contra fidem errare, quia, ipso sic errante, adhuc staret aliquos extra concilium non errare, et per consequens fidem Ecclesiæ non deficere. Nona est, quod tota multitudo non solum clericorum, sed generaliter omnium virorum potest sic errare, et fides Ecclesiæ in solis mulieribus conservari; quia sic conservata fuit in sola Maria Virgine, tempore Passionis Christi. Decima est, quod tota multitudo Christianorum, non solum virorum sed etiam mulierum usum rationis habentium potest contra fidem errare; quia hoc stante, adhuc in parvulis baptizatis possunt salvari omnes promissiones Christi de fide Ecclesiæ duratura usque ad consummationem sæculi. Licet autem omnes prædictæ assertiones habeant secundum magis et minus aliquas apparentes rationes, tamen eas ad præsens

(1) Id est *sexta*, juxta enumerationem Petri de Alliaco.

pertractare non patitur temporis brevitas, sed conservando eas usque alias, dico pro nunc probabiliter quod ex tribus conclusionibus probandis, satis possit apparere aliquarum dictarum assertionum veritas» (loco citato, pag. 669 et 670).

Citatas assertiones de fallibilitate, tum Romanæ Ecclesiæ, tum concilii generalis, tum omnium simul clericorum, imo omnium virorum et mulierum usum rationis habentium, non allegat Petrus de Alliaco tanquam ab aliquo ex anterioribus doctoribus catholicis propugnatas (nullum enim citat nec citare poterat); sed vel e suo cerebro desumit, vel ex neniis quæ tunc temporis Parisiensem scholam invaserant. Ipse autem suam doctrinam sic proponit :

« Ex sacra Scriptura convincitur quod semper est aliqua Ecclesia quæ per rectam fidem legis Christi regulæ conformatur; intelligendo semper a tempore Christi usque ad consummationem sæculi. Sed ex ea non convincitur hoc convenire alicui Ecclesiæ particulari, intelligendo per particularem Ecclesiam quamcumque Ecclesiam distinctam ab Ecclesia universali... Quod in sacra Scriptura promittitur toti et nulli parti, non debet alicui parti attribui; sed semper rectam fidem habere, aut nunquam contra veram fidem errare, in sacra Scriptura promittitur toti et soli fidelium congregationi...; igitur hoc non debet alicui particulari Ecclesiæ catholicorum attribui; imo debet temerarium censeri. » Et in probationem adducit verba Christi, *rogavi pro te ut non deficiat fides tua...*, quæ a tota traditione intelliguntur de fide Petri et successorum ejus; ac proinde probant econtra Romano Pontifici et particulari Ecclesiæ Romanæ collatam fuisse inerrantiæ prærogativam.

Contra istiusmodi doctrinam varia objecerat quidam magister; quas objectiones sic memorat Petrus de Alliaco :

« Ex Scripturis videtur convincibile, quod nec generale concilium, nec tota multitudo clericorum et laicorum virorum, nec Romana Ecclesia (quæ distinguitur a tota congregatione fidelium sicut pars a toto), difformari potest legi

Christi... Et primo de concilio generali arguit sic[1] : Tota Ecclesia universalis non potest errare in fide, seu quoad hoc difformari legi Christi; igitur nec concilium generale...; quia a concilio generali in causa fidei non licet appellare : quia si sic, aut ad aliud concilium, aut ad Papam, aut ad universalem Ecclesiam. Non ad aliud concilium, quia pari ratione ab illo appellare liceret, et sic tali causæ finis imponi non posset : nec ad Papam, quia in facto fidei est subjectus judicio generalis concilii, eo quod, sicut notatur XIX distinctione, canone *Anastasius*, synodus in causa fidei sit major Papa, quod potissime verum est de synodo generali : nec ad universalem Ecclesiam, cum concilium generale sit præstantior pars Ecclesiæ; igitur parti minus præstanti esset credendum in causa fidei. Etiam quia universalis Ecclesia in unum convenire non potest. Item concilium generale, eo ipso quod est generale, repræsentat totam Ecclesiam universalem... Et ad hoc est auctoritas Gregorii (XV distinctione, canone *Sicut*), ubi dicit de quatuor conciliis generalibus, quod universali consensu constituta sunt, et ideo quisquis præsumpserit absolvere quod illa ligant, aut ligare quod solvunt, seipsum destruit et non illa... » (tomo citato, pagina 688 et 689).

Ad has contra generalis concilii fallibilitatem objectiones quid reponit Petrus de Alliaco? An tanquam certum concedit, errare in fide non posse concilia œcumenica? Nequaquam; imo contrarium tanquam *probabile* propugnat his verbis :

« Ad ista *probabiliter* respondent aliqui quod concilium generale potest contra fidem errare, imo de facto sic aliquando erravit, sicut per multa exempla ostendunt, et specialiter per synodum Ephesinam quæ erravit, et ideo reprobata fuit, sicut notat glossa (XV distinctione, canone 1). Et ad objecta in contrarium dicunt..., quod si concilium generale contra fidem erraret, ab ipso appellare liceret, scilicet ad aliud concilium generale si esset facultas ipsum congregandi; et si iterum illud erraret, liceret ad aliud appellare; et sic semper

(1) Nempe ille magister cujus objectiones refert.

donec catholici convenirent. Insuper si Papa non esset præsens, concilio generali errante, liceret ad ipsum præsentem, vel ad ipsum cum alio concilio congregando appellare; vel etiam ad universalem Ecclesiam, si posset in unum convenire, esset principaliter appellandum. Si vero tota christianitas esset sic depravata quod soli hæretici haberent potentiam, et quod soli pauci simplices et pauperes manerent in fide *et reputarent concilium generale errare*, nec possent se humano consilio aut auxilio tueri vel defendere, non restaret aliud, nisi se divinæ gratiæ committere, et illam injuriam patienter tolerare, cum gemitu, tristitia et dolore... Quantum vero ad illud quod dicitur de subjectione in causa fidei, dicunt quod omnis persona et omnis congregatio errans in fide, omni alteri non sic erranti in causa fidei est subjecta; et talis est præstantior in Ecclesia, qualiscumque aut cujuscumque conditionis existat... Papa est persona publica, gerens vices totius Ecclesiæ, et tamen potest contra fidem errare, et per consequens consimiliter concilium generale... Et ad auctoritatem beati Gregorii dicunt quod loquitur de conciliis deifice et rite a catholicis celebratis, et loquitur de facto, non de possibili. Quare non oportet sic esse de omnibus aliis » (tomo citato, pagina 689).

Quid objecisset idem magister contra assertam fallibilitatem totius simul clericorum multitudinis, sic refert Petrus de Alliaco : « Probat iste magister... quod tota multitudo clericorum non potest difformari legi Christi, quia Deus ita stabilivit sacerdotes leviticos, ut in judiciis de his quæ erant divinitus præcepta non possent errare sic quin eorum judicio esset standum. Igitur multo fortius assistit sacerdotibus novi testamenti, maxime in his quæ concernunt fidem... Item sequitur (*nempe ex hypothesi quod in fide errare possit tota clericorum multitudo*) quod posset cessare in Ecclesia ordo prælationis et distinctionis graduum, contra Apostolum. Imo quod deficere posset sacerdotium Christi, sacramenta et alii ritus Ecclesiæ... Quia, qua ratione posset

illa tota multitudo errare in articulo, pari ratione in omnibus pertinentibus ad sacerdotium et sacramenta » (tomo citato, pagina 690).

Quid ad hæc Petrus de Alliaco? An concedit non posse errari in fide totam clericorum multitudinem? Nequaquam; sed contrarium ut probabile propugnat : « Ad ista, inquit, potest *probabiliter* dici :... illa auctoritas intelligenda est in illis judiciis sacerdotum leviticorum, in quibus non errabant contra legem. Sed si contigisset eos sic errare, sicut possibile fuit, tunc ab eorum judicio et sententia fuisset declinandum... Licet tota multitudo clericorum contra fidem erraret, tamen aliquis sacerdos remaneret habens potestatem ordinandi, ligandi, conficiendi et alia sacramenta conferendi; et sic remanerent in Ecclesia ordo prælationis, distinctio graduum, sacramenta... Alio modo dicunt aliqui, quod licet omnes clerici hæreticarentur, aut omnino nulli remanerent, propter hoc Ecclesia potestatem habendi prædicta nequaquam amitteret, licet illa nunquam habere posset per humanam potestatem, sed per miraculosam Dei operationem; qui scilicet diversis modis posset de aliquibus laicis catholicis sacerdotes et Episcopos ordinare, et hoc suæ Ecclesiæ revelare : in quo casu omnes catholici deberent taliter *ordinatos a Deo*, sicut veros Episcopos et sacerdotes habere. Et licet temerarium esset asserere talem casum de facto aliquando evenire, tamen esset etiam temerarium hujus casus potestatem negare » (tomo citato, pagina 690).

Circa fallibilitatem Romanæ Ecclesiæ ab ipso assertam has sibi factas objectiones memorat : « Probavit iste magister... quod Romana Ecclesia quæ distinguitur a tota congregatione fidelium sicut pars a toto, legi Christi non potest difformari. Et... vocat Ecclesiam Romanam illam penes quam residet auctoritative totum judicium in his quæ fidei sunt totius universalis Ecclesiæ, secundum ordinem a Christo constitutum; quæ scilicet complectitur Papam et alios rite ad suum collegium pertinentes, et vacante sede sal-

vatur in illis solis in quibus est auctoritas concilii sui dicto modo. Et hoc videtur esse intentio Hieronymi et aliorum doctorum, quando tantum extollunt Romanam Ecclesiam, ut in multis decretis apparet. Hoc supposito sic arguit : Romana Ecclesia sic sumpta est pars universalis Ecclesiæ et tamen non potest difformari regulæ legis Christi : quia ad eam sic diffornari, sequitur Ecclesiam universalem illi regulæ difformari. Quod probat : quia sicut Christus ordinavit quod Ecclesia universalis non possit difformari suæ legi, ita etiam ordinavit quod illa Ecclesia particularis, penes quam residet auctoritative judicium universalis Ecclesiæ, non possit errare, cum ipsa sit a Domino constituta tanquam caput universalis Ecclesiæ, ut patet ex suppositione et etiam in decretis... Inducit auctoritates decreti. Una est Ambrosii (XXIV, q. 1, capite *Advocavit);* ex cujus verbis datur intelligi quod nemo potest esse de catholicis Episcopis, nisi cum Romana Ecclesia communicet. Alia est Hieronymi (ibidem, capite *Quam vetus*); ubi loquens de Romana Ecclesia dicit, quod super istam Petram fundata est Ecclesia, et quod quicumque secum non colligit dispergit... » (tomo citato, 690 et 691).

Quid ac hæc Petrus de Alliaco? En hæreticam atque insanam ipsius hac de re doctrinam : « Ad ista probabiliter et solum recitative et non assertive[1] potest dici : Ad primum respondetur quod capiendo Romanam Ecclesiam modo prædicto, ipsa potest difformari legi Christi, nec ad hoc sequitur universalem Ecclesiam legi Christi difformari... Christus solum de Ecclesia universali, et non de aliqua Ecclesia particulari ordinavit quod nunquam difformabitur suæ legi, sicut in Vesperiis probavi. Et quando ultra arguitur quod imo de illa Ecclesia particulari apud quam residet auctoritative judicium universalis Ecclesiæ et quæ est a Christo constituta caput ipsius, respondetur quod ipsa particularis *Ecclesia Romana non est caput universalis Ecclesiæ*, nec apud eam residet auc-

(1) Notet lector distinctionem. Hæreticas suas nenias propugnat *recitative* tantum, non *assertive;* id est tanquam *probabiles* non ut *certas*.

toritas prædicta, *nisi sub conditione, scilicet quandiu ipsa manet in fide recta...* Ad auctoritates decreti, specialiter ad tres primo inductas, respondetur quod sunt intelligendæ sub conditione prædicta, scilicet quandiu Romana Ecclesia non errat contra fidem » (tomo citato, pagina 691 et 692).

In oratione quam totius universitatis nomine habuit ad Clementem VII, quamque retulimus supra, sub finem capitis IV, contrariam omnino doctrinam professus est, nimirum : super Romanam Sedem fundatam esse Ecclesiam, et de hac sede dictum a Christo, *ego rogavi pro te ut non deficiat fides tua*, et ad hanc sedem *maxime pertinere determinationem fidei, approbationem veritatis catholicæ, ac hæreticæ pravitatis detestationem.* Cujusmodi incohærentiis plena sunt ipsius scripta.

Paulo sanius scripsit Petrus de Alliaco durante concilio Constantiensi, in suo tractatu *de Ecclesiæ, concilii generalis, Romani Pontificis et Cardinalium auctoritate* (inter Opera Gersonii ab Ellies Dupin disposita, tomo II, pag. 929, edit. Antuerpiæ, 1706). Ibi expresse docet Romanam Ecclesiam *esse caput* totius universalis Ecclesiæ ; cujus propositionis contradictoriam in ultimo citato textu asseruerat : « A tempore, inquit, quo Petrus et sui successores summi Pontifices fuerunt et erunt Episcopi Romani, ipsa *Romana Ecclesia fuit et erit caput omnium Ecclesiarum particularium ac totius universalis Ecclesiæ ;* hac videlicet ratione, quia ejus particularis Episcopus est caput universalis Ecclesiæ, eo modo loquendi quo una metropolitana Ecclesia dicitur caput omnium Ecclesiarum suffraganearum, quia Episcopus ejus est caput seu archiepiscopus earumdem. Et in hanc sententiam concordant ecclesiasticæ historiæ et sanctorum Patrum decreta. Unde ad hunc sensum, negare Romanam Ecclesiam esse caput omnium Ecclesiarum, est hæreticum ; sicut etiam negare Summum Pontificem esse caput Ecclesiæ » (loco citato, pagina 929).

In hoc tamen tractatu adsunt plura erronea et incohærentia. Exempli gratia, quæstionem ponit : *Utrum plenitudo potes-*

tatis ecclesiasticæ resideat in solo Romano Pontifice; quam ita solvit :

« Primo dico, quod jura quæ loquuntur de plenitudine po-
« testatis intelliguntur de potestate jurisdictionis, et non de
« potestate ordinis sacramentalis, quia hæc fuit æqualis in
« omnibus apostolis...

« Secundo, dico quod hæc plenitudo jurisdictionis, pro-
« prie loquendo, solum residet in Romano seu Summo Ponti-
« fice Petro succedenti. Quia proprie aliqua potestas plene
« dicitur esse in aliquo, quia illam potest generaliter exer-
« cere, et ministerialiter in omnes dispensare. Hoc autem est
« in solo Papa, et non proprie in aliqua communitate...

« Tertio, dico quod hujusmodi plenitudo potestatis, tropice
« et alio modo equivoce est in universali Ecclesia et in conci-
« lio generali ipsam repræsentante » (*de Ecclesiæ, concilii generalis, Romani Pontificis auctoritate*, inter Opera Gersonii ab Ellies Dupin disposita, tomo II, pag. 950, edit. Antuerpiæ, 1706).

« Restat videre, utrum Papa subjiciatur judicio concilii generalis. Ad quam quæstionem breviter respondeo affirmative: nec ei solum subjicitur in casu quo accusaretur de crimine hæresis proprie dictæ; sed etiam in quibusdam aliis casibus..., ut ratione obstinationis et incorrigibilitatis in crimine » (ibidem, pag. 951).

« Concilii judicium præferendum est judicio Papæ, cum ipse in his quæ fidei sunt possit errare... Tamen secundum aliquos, hoc est speciale privilegium universalis Ecclesiæ, quæ non potest errare in fide, licet hoc idem *pie credatur de concilio generali*, videlicet quando *innititur divinæ Scripturæ*, vel auctoritati quæ a Spiritu Sancto inspirata (fuit); *alias sæpe errasse legitur* » (ibidem, pag. 958).

« Tam de jure humano quam divino concedendum est Papam posse ab universali Ecclesia, vel a generali concilio eam repræsentante, in multis casibus judicari et condemnari, et ab eo ad concilium in multis casibus posse appellari ; videlicet

in casibus Ecclesiæ destructionem tangentibus... Etsi quæratur : si Papa in his casibus recuset judicari, concilium quid faciat? Respondetur quod in hoc casu, si hoc recuset, sufficienter requisitus, faciendum est sicut si, sede vacante, similis occurreret necessitas... Nisi, sede vacante vel etiam renuente, concilium celebrari posset, et per Ecclesiam remedium adhiberi, sequeretur quod Ecclesia non haberet sufficientem fœcunditatem ad sese conservandum » (ibidem, pag. 959 et 960).

Ad protestanticum systema, de habenda sacra Scriptura ab unoquoque intellecta tanquam suprema fidei regula, et tanquam petra supra quam Christus Ecclesiam suam ædificaverit, ita accedit Petrus de Alliaco, ut non immerito forsan eum verum hujus systematis parentem quis dixerit.

Disserens quippe de his Christi verbis, *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, sic habet : « Investigandum nobis est quæ sit hæc petra, super quam ædificanda erat Christi Ecclesia, et adversus Ecclesiam diaboli confirmanda... Secundum spiritualem intellectum, per hanc petram, divinam Scripturam et sacram Christi doctrinam signare possumus, quæ tam firmæ soliditatis et tam solidæ firmitatis existit, ut non immerito super eam Christi Ecclesia fundata sit... Quotquot ergo sunt Christi eloquia, quot christianæ doctrinæ testimonia, tot dici possunt christianæ Ecclesiæ fundamenta. Sacra igitur Scriptura, Christi testimonio, in æternum fundata, spiritualiter intelligi potest illa firma petra super quam ædificata est Ecclesia... Christus namque Dei virtus et sapientia, Ecclesiæ suæ domum, quam æterna mente concepit, super sacræ Scripturæ fundamentum temporali ædificatione complevit... Per hæc igitur arma, hoc est, per divini eloquii verba, defenditur civitas Dei adversus civitatem diaboli... Per hæc arma vincuntur erronei, corriguntur hæretici, feriuntur schismatici, percutiuntur iniqui...; quoniam, ut ait Apostolus, *vivus est sermo Dei et efficax et penetrabilior gladio ancipiti, pertingens usque ad divisionem animæ et spiritus* (Hebr. IV, 12).

Per hæc igitur arma, hoc est per divini sermonis et sacræ Scripturæ documenta, Ecclesia pugnando vincit, vincendo crescit... » (in opusculo quod inscribitur *Recommendatio sacræ Scripturæ*, inter Opera Gersonis, ab Ellies Dupin edita, tomo I, 604 et seq., edit. Antuerpiæ, 1706).

Recolat lector superius ab eodem Petro de Alliaco dictum : *Pie credi, non posse errare in fide concilium œcumenicum, quando innititur divinæ Scripturæ, vel auctoritati quæ a Spiritu Sancto inspirata fuit :* item dictum tanquam probabile : *Si erraret concilium generale, et tota christianitas ita esset depravata quod soli pauci simplices et pauperes manerent in fide, et reputarent concilium generale errare, nec possent se humano auxilio defendere, non restaret aliud nisi se divinæ gratiæ committere, et illam injuriam patienter tolerare cum gemitu :* hæc, inquam, lector recolat, et dicat num ibi agnoscendum plane sit protestanticum systema de sacra Scriptura, privato sensu intellecta, tanquam suprema credendi lege? Sane si paucis simplicibus et rudibus fas sit definienti concilio generali non obsequi, sub prætextu quod erret, quæ alia remanet credendi regula quam privata Scripturæ sacræ interpretatio, ut volunt protestantes? Sibi quidem non constat Petrus de Alliaco, et contrarium alibi pluribus aperte propugnat. Sed, quæso, quæ auctoritas theologi, in hisce fundamentalibus doctrinis ita titubantis et opposita defendentis?

Petri de Alliaco vix credibilem, circa divinam Ecclesiæ Christi constitutionem, errorum, delyramentorum et hæreseon farraginem, distinctis articulis recenseamus : 1° Propugnavit tanquam probabile posse concilia œcumenica contra fidem errare; 2° posse contingere ut Papa simul cum omnibus Episcopis ac cæteris clericis evadant hæretici; 3° licitum esse appellare ab uno œcumenico concilio ad aliud, donec in unam sententiam conveniant catholici; 4° appellandum esse a concilio œcumenico ad universalem Ecclesiam, si possit tota Ecclesia congregari; 5° contingere posse ut *pauci simplices et pauperes* laici in recta fide remaneant, cæteris in hæresim

ruentibus; 6° si isti pauci simplices et pauperes *reputent concilium generale errare*, posse eos ac debere concilii œcumenici definitionibus subjectionem denegare; quod si nequeant sese tueri ac defendere, non superesse aliud quam ut se divinæ gratiæ commendent et injuriam patienter tolerent; 7° posse contingere ut omnino nulli in Ecclesia clerici remaneant; quo casu Deus ipse ordinaret sacerdotes et Episcopos, idque Ecclesiæ revelaret; *temerariumque* esse negare hujusce casus possibilitatem; 8° omnem personam et omnem congregationem errantem in fide, omni alteri non sic erranti subjectam esse in causa fidei; 9° Romanam Ecclesiam non esse caput universalis Ecclesiæ, nec ad ipsam pertinere judicium de universali Ecclesia, nisi quandiu et in quantum ipsa in vera fide remanet; 10° posse Romanam Ecclesiam errare contra fidem, et *temerarium* esse inerrantiæ prærogativam alicui particulari Ecclesiæ tribuere; 11° super Scripturam sacram fuisse a Christo ædificatam Ecclesiam : ex quo sequitur non extitisse Ecclesiam Christi antequam conscripta Evangelia fuerint; 12° his addendæ contradictiones quibus Sedem Romanam modo fallibilem, modo infallibilem asseruit; et eam caput esse universalis Ecclesiæ, modo propugnavit, modo negavit.

Quorsum hæc de Petro Alliaco commemorata? Non alium in finem quam ut palam faceremus nihili faciendam esse hujusce theologi auctoritatem. Sane cum eum nobis objiciunt tantisque laudibus extollunt Gallicani systematis propugnatores, merito responderi posset : ejus scripta nunquam perlegistis, et virum hunc tanti faciendo, decepti decipitis. Pudeat tandem aliquando dicti systematis sequaces inter auctoritates recensere sciolum hoc ac malesanum caput, quod schismatis difficultates perturbaverant atque in transversum egerant. Ad Gersonium in ejus discipulum gressum faciamus.

§ 4. — Auctoritas Gersonii, contra Pontificiam infallibilitatem sentientis, nihili facienda est.

« Natus est Joannes Charlier anno 1363, in viculo Remen-

sis diœcesis (prope Rethelium) cui nomen *Gerson*, a quo etiam Gerson cognominatus est... Ad Parisiensem Academiam anno 1377 ablegatus est... Per septem annos Petrum de Alliaco audiit... Ecclesiæ et Academiæ Parisiensis cancellarius, in locum Petri de Alliaco renuntiatus est anno 1395... Concilii auctoritatem Pontificis potestate superiorem esse primus in concilio (Constantiensi) publica oratione docuit... Animam Deo reddidit Lugduni, anno 1429 » (inter proœmialia Operum Gersonii, ab Ellies Dupin editorum, tomo I, pagina 54 et seq., Antuerpiæ, 1706).

Fatetur Gerson, suo tempore studium theologiæ multum defecisse; quod satis superque probant tum sua, tum magistri sui Petri de Alliaco scripta : « Diebus istis malis, inquit, quando studium theologiæ refriguit, quoniam magna ex parte dissipatum est, ubi potissime florere solebat » (in tractatu *de Examinatione doctrinarum*, sub initium, Operum tomo I, p. 8, editionis Ellies Dupin, Antuerpiæ, 1706). Doctrinæ seu placitorum Gersonii specimen subjiciamus.

1° *Docet solum concilium œcumenicum esse infallibile in definitionibus fidei : definitiones autem Papæ non obligare ad credendum : eas tamen obligare ad non dogmatizandum contra : at vero qui deprehendunt manifestum errorem in definitionibus Papæ, contra eas dogmatizare possunt et debent; et, si contingat eos propterea excommunicari aut pœnis subjici, beati sunt, utpote qui patiuntur propter justitiam.* — Hanc esse ipsius doctrinam patefaciunt sequentes textus :

« Examinator authenticus et finalis judex doctrinarum fidem tangentium est generale concilium. Deducitur hæc consideratio primitus auctoritate generalis concilii Constantiensis... Oportuit igitur in Ecclesia relinquere regulam infallibilem pro fide servanda et dubiis emergentibus terminandis. Non autem reperitur in terris altera talis infallibilis regula, nisi generale concilium legitime congregatum. Nam persona quælibet singularis de Ecclesia, cujuscumque dignitatis, etiam Papalis, circumdata est infirmitate, et deviabilis est, ut fal-

lere possit et falli » (tractatu *de Examinatione doctrinarum*, consideratione I, Operum tomo I, pag. 8, editionis Ellies Dupin, Antuerpiæ, 1706).

« Examinator juridicus doctrinarum fidem tangentium, Papa supremus est in terris, post generale concilium, vel cum ipso... Diceret aliquis, non oportet ita fieri, cum Papa sit deviabilis; non enim est magis confirmatus quam Petrus erat dum reprehensus est a Paulo, eo quod non recte ambularet ad veritatem Evangelii. Confirmat hæc objectio considerationem præcedentem, sed plus infert quam oportet. Neque enim potest assidue concilium generale haberi præsentialiter pro decisione dubiorum, nec expediret passim ita fieri. Supremus autem in Ecclesia faciliter aditur. Qui si nollet omnino pertinaciter ea quæ sunt fidei declarare, vel erraret declarando, superest judicium concilii... Concluditur... duplex veritas : prima, quod determinatio solius Papæ in his quæ sunt fidei, non obligat, ut præcise est talis, ad credendum; alioquin staret in casu, quod quis obligaretur ad contradictoria, vel ad falsum contra fidem. Secunda veritas est, quod sententia Papæ ligat omnes fideles ad non dogmatizandum contrarium, nisi per illos aut apud illos qui manifestum contra fidem deprehendunt errorem, et scandalum grande fidei suo silentio fieri, si non opponerent se, cognoscunt. Quod si fieret persecutio sententiarum et pœnarum contra eos, sciant *beatos esse qui persecutionem patiuntur propter justitiam* (Matth. 5-10). Superest quoque remedium concilii generalis... cui legi haud dubie subest Papa, licet *hactenus* multis hæc veritas non placeret, propter inordinatum favorem ad Summum Pontificem... Nunc autem opposita falsitas est hæresis expresse damnata per concilium Constantiense » (ibidem, consideratione II, pagina 9).

Advertat lector quam aperte seditiosum et anarchicum sit istiusmodi systema. Cum enim concilia œcumenica tam raro habita sint et habeantur, si ipsa sint sola infallibilis auctoritas, sequitur extra paucos dies quibus hic et nunc celebra-

tur generalis synodus, nullum existere in Ecclesia supremum controversiarum judicem, et posse quemlibet, qui se doctum existimat, suam in rebus fidei sententiam tenere, et definitiones summi Pontificis et quorumlibet Episcoporum contemnere. Valde diversum est a Gersoniano Gallicanum systema. Etenim Gallicani, ut hanc anarchiam devitarent, concesserunt obligare definitiones Papæ, postquam (ex silentio saltem) constat, majorem partem Episcoporum non reclamare. At Gersonius hoc Gallicanorum temperamentum longe prætergreditur. Item docent Gallicani decretis Pontificiis deberi ab omnibus fidelibus veram et etiam internam seu animi obedientiam. Absone quidem, si errare valeat summus Pontifex in decretis fidei. Sed quantumvis absonum sit hoc Gallicanum systema, differt tamen a seditioso Gersonii systemate. Damnandus ergo est, et nequaquam laudandus Gersonius ab ipsismet Gallicanis.

2° *Docet Gersonius posse contingere, ut circa dogmata magis alicui erudito credendum sit quam Papæ definienti : supponit posse majorem partem concilii generalis contra Evangelium sentire : quo casu eruditus debet huic majori parti sese opponere : item docet plus esse credendum Evangelio quam alteri cuicumque humanæ auctoritati, excepta solummodo auctoritate totius Ecclesiæ ; sicque supponit non obligare ipsismet concilii generalis definitiones, si videantur Evangelio oppositæ.* — Hanc ejus doctrinam patefaciunt sequentes textus :

« Jungatur huic considerationi... duplex veritas : Prima, staret quod aliquis simplex, non auctorizatus, esset tam excellenter in sacris litteris eruditus, quod plus esset credendum in casu doctrinali suæ assertioni quam Papæ declarationi ; constat enim plus esse credendum Evangelio quam Papæ. Si doceat igitur talis eruditus veritatem aliquam in Evangelio contineri, ubi et Papa nesciret, vel ultro erraret, patet cujus præferendum sit judicium. Altera veritas, talis eruditus deberet in casu, si et dum celebraretur generale concilium, cui et ipse præsens esset, illi se opponere, si sen-

tiret majorem partem ad oppositum Evangelii malitia vel ignorantia declinare. Exemplum beatissimus dedit Hilarius. Unde quamvis ab initio militantis Ecclesiæ... plus esset credendum auctoritati talis Ecclesiæ quam Evangelio cuicumque priusquam esset ab ea receptum vel autorizatum, nihilominus post approbationem et autorizationem quatuor Evangeliorum per dictam Ecclesiam, plus esset credendum Evangelio, quam *alteri cuicumque humanæ auctoritati* : non dicitur quam *totius Ecclesiæ*, quoniam illa est auctoritas Dei et Evangelii, nec potest errare in fide, lege stante » (tractatu *de Examinatione doctrinarum*, consideratione 5, Operum ab Ellies Dupin dispositorum tomo I, pagina 2, edit. Antuerpiæ, 1706).

3° *Docet Gersonius Papam non esse caput universalis Ecclesiæ : docet etiam contrarium.* — « Catholica universalis Ecclesia ex variis membris unum corpus constituentibus, sive ex Græcis, Latinis et Barbaris in Christum credentibus... est conjuncta et nominata. Cujus corporis universalis Ecclesiæ caput Christus solus est... *Nec istius Ecclesiæ Papa potest dici nec debet caput*, sed solum vicarius Christi (*de Modis uniendi*, Operum ab Ellies Dupin editorum tomo II, pagina 165, Antuerpiæ, 1706). Contrarium alibi tradit his verbis :

« Ecclesiastica unitas ad unum caput Christum fit et ag-
« glutinatur... Ecclesiastica unitas ad unum caput secunda-
« rium, quod dicitur Summus Pontifex Christi vicarius »
(Sermo in concilio Constantiensi, Operum ab Ellies Dupin editorum tomo II, pag. 205, Antuerpiæ, 1706). Plena sunt Gersonii opera declamationibus, quibus postulat Ecclesiæ reformationem *in capite* et in membris; quæ verba *in capite*, semper intelligit de Papa, non sane de Christo aut de concilio œcumenico.

4° *Delyravit Gersonius posse contingere ut Ecclesia Christi reducatur ad unicam personam fidelem : item delyravit posse dari casum quo generale concilium legitime valeat convocari per minimam vetulam.* — « Nec dico Ecclesiam universalem posse reuniri, cum ipsa schismate non possit dividi, quia *etiam in*

unico supposito potest salvari » (*de Modis uniendi*, Operum ab Ellies Dupin dispositorum tomo II, pagina 163, edit. Antuerpiæ, 1706).

« Dixi quod ad imperatorem in casu præsenti convocatio concilii videatur pertinere. Quod si non sit, devolvitur hæc convocatio ad reges et principes primo, post ad communitates et alios dominos sæculi. Quod si non essent, in casu possibili, devolvetur ad cives, et rusticos post, usquequo deveniretur ad minimam vetulam. Sicut enim *universalis Ecclesia potest salvari in minima vetula*, sicut factum est tempore Passionis Christi, quia est salva facta in Virgine beata[1], sic ad salvationem universalis Ecclesiæ posset convocatio concilii fieri *per minimam vetulam* » (*de Modis uniendi Ecclesiam in concilio*, Operum ab Ellies Dupin editorum tomo II, pagina 189, Antuerpiæ, 1706).

5° *Docuit Gersonius, in primitiva Ecclesia Episcopos æqualis potestatis fuisse cum Papa : Non aliam Romano Pontifici collatam fuisse a Christo potestatem, quam quæ minimo mundi Episcopo collata est ; id est, ligandi per pœnitentias et solvendi culpas.* — « Concilium ergo generale... primo ante omnia... limitet ac terminet potestatem coactivam et usurpatam papalem... Quam quidem coactivam potestatem multi Summi Pontifices per successiones temporum et contra Deum et justitiam sibi applicarunt, privando inferiores Episcopos potestatibus et auctoritatibus eis a Deo et Ecclesia concessis ; *qui in primitiva Ecclesia æqualis potestatis cum Papa erant*, quando non fuerunt Papales beneficiorum reservationes, non casuum episcopalium inhibitiones... Tandem per tempora successive, crescente clericorum avaritia et Papæ simonia, cupiditate, ambitione, potestas et auctoritas Episcoporum et prælatorum inferiorum quasi videtur exhausta et totaliter diruta ; ita ut jam in Ecclesia non videantur esse nisi simu-

(1) Barbaro Gersonis stylo tribuendum quod injuriosum *vetulæ* nomen Beatissimam Virginem grammaticaliter attingat. Cæterum id procul ab ipsius mente fuit.

lacra depicta et quasi frustra » (*de Modis uniendi*, tomo II Operum ab Ellies Dupin editorum, pagina 173 et 174, Antuerpiæ, 1706).

Sibi tamen contradicit Gersonius quoad hanc æqualitatem Episcoporum cum Papa. Sic enim habet alio loco : « Auferibilis est aut mutabilis... quælibet politia civilis monarchica seu regalis, ut fiat aristocratica ; et non sic de Ecclesia quæ in uno monarcha supremo per universum fundata est a Christo..: Nullam aliam politiam instituit Christus immutabiliter monarchicam et quodammodo regalem nisi Ecclesiam. Et oppositum sentientes de Ecclesia, quod scilicet fas est esse plures Papas, aut quod quilibet Episcopus est in sua diœcesi Papa, vel pastor supremus æqualis Papæ Romano, errant in fide et unitate Ecclesiæ contra articulum illum, *et unam sanctam*. Et, si pertinaces maneant, judicandi sunt hæretici, sicut Marsilius de Padua et quidam alii ». (tractatu *de Auferibilitate Papæ*, consideratione 8, Operum ab Ellies Dupin editorum tomo II, pag 213, Antuerpiæ, 1706).

Ipse tamen Gersonius Episcoporum cum Papa æqualitatem sic iterum asserit :

« *Respondeo*. — Quod Papa non possit plura in Ecclesia ordinare et statuere, quam ab ipso Christo primo, et post ab ipsa universali Ecclesia est et fuerit ipsi concessum. Non enim legimus Christum illi contulisse potestatem beneficia, dignitates, episcopatus, villas, terras dispensandi aut distribuendi. Sed nec unquam legimus, Petrum hæc fecisse ; sed solum hanc potestatem ei tribuit specialem (scriptam Matth. 16, 19) quam etiam *minimo mundi Episcopo* concessit, scilicet *Quodcumque ligaveris super terram erit ligatum et in cœlis*, scilicet per pœnitentiam; et *quæcumque solveris*, etc., per absolutionem et indulgentiam, sed clave non errante, » tomo II citato, pagina 191).

« Universale concilium... abusivam Papalem in Decreto et Decretalibus, Sexto et Clementinis, necnon Extravagantibus Papalibus prætensam limitet potestatem. Christus enim nul-

lam aliam potestatem Petro tribuit quam ligandi et solvendi ; ligandi per pœnitentias et solvendi culpas. Non eam illi contulit ut beneficia tribueret, ut regna, castra et civitates haberet, ut imperatores et reges privaret. Quod si taliter potestatem Christus Petro contulisset, utique ipse Petrus aut Paulus, quod nefas est dicere, valde peccassent aut errassent in eo quod Neronem imperatorem [1], quem sciverunt esse pessimum et christianorum immanissimum persecutorem, imperio non privarint » (ibidem, pag. 174).

6° *Existimavit Gersonius Papam carere potestate ligandi atque solvendi, si existat in peccato mortali, aut careat scientia theologica.* — « Ridiculum est dicere quod unus homo mortalis dicat se potestatem habere in cœlo et in terra ligandi et solvendi a peccatis, et quod ille sit filius perditionis, simoniacus, avarus, mendax, exactor, fornicator, superbus, pomposus et pejor quam diabolus. Et si Petrus talis fuisset, nunquam ei claves Christus contulisset. Utique non » (*de Modis uniendi*, Operum ab Ellies Dupin dispositorum, tomo II, pagina 168, edit. Antuerpiæ, 1706).

« Christus dixit : *Si ergo diligis me, pasce oves meas.* Cum ergo probatio dilectionis exhibitio sit operis, videtur quod qui non diligit Christum, oves Christi pascere non valeat. Sed cum dilectio Christi per opera manifestetur, nescio quomodo pascat oves Christi, aut quomodo habeat claves Christi, qui opera facit notoria diaboli » (ibidem, pagina 195).

« Sed quomodo clave potentiæ poterit ille (*loquitur de Papa*) ligare et solvere, qui nunquam studio sacræ theologiæ vel scientiæ divinæ voluit intendere, nec unquam novit prædicare Verbum Dei? Quomodo inter lepram et lepram poterit discernere? Certe nequaquam » (ibidem, pag. 195).

(1) Quam debile fuerit Gersonii caput, æstimet lector ex isto ipsius ratiocinio. Quis tyronum hodie non perspiciat, abstinere potuisse sanctum Petrum a deponendo Nerone, ex eo quod caruerit efficacibus mediis ad illam depositionem exequendam, vel etiam ex eo quod opportunam eam non æstimaverit, et amsi jus eam pronuntiandi certo habuerit? Absonis et ridiculis ejusmodi ratiunculis plena sunt Gersonis opera.

7° *Docuit Gersonius, posse contingere ut Ecclesia Apostolica cui Papa præest desinat existere : cæterum illi Ecclesiæ eam dumtaxat competere potestatem, quam ipsi tanquam ministro seu executori Universalis Ecclesia concedit.* — « Alia vero vocatur Ecclesia apostolica particularis et privata, in catholica Ecclesia inclusa, ex Papa, Cardinalibus, Episcopis et viris ecclesiasticis compaginata. Et solet dici Ecclesia Romana, cujus caput Papa creditur... Et hæc errare potest, et potuit falli et fallere, schisma et hæresim habere ; *etiam potest deficere.* Et hæc longe minoris auctoritatis videtur esse universali Ecclesia. Et est quasi instrumentalis et operativa clavium universalis Ecclesiæ, et executiva potestatis ligandi et solvendi ejusdem. Nec de recta conscientia majorem habet vel habere potest auctoritatem et executionem potestatis, quam sibi ab universali Ecclesia conceditur. Differunt ergo hæc duæ Ecclesiæ sicut genus et species ; cum omnis apostolica sit catholica, et non vicissim » (*de Modis uniendi*, Operum ab Ellies Dupin dispositorum tomo II, pagina 163, edit. Antuerpiæ, 1706).

Iterum eadem hæretica doctrina occurrit in conclusionibus a Gersonio in Constantiensi concilio propositis, e quibus hæc pauca transcribimus :

« Papa recepit summam potestatem ab Ecclesia ministerialiter, quamvis illa potestas, sicut omnis alia potestas, sit a Deo principaliter... Ecclesia universalis non habet claves regni cœlorum a Papa ; sed econtra Papa ab Ecclesia, quæ per electionem fecit ipsum in executione seu usu clavium quoad membra etiam principalissima... Ecclesia sufficienter congregata potest in multis casibus... Papam judicare, corrigere et ex justa causa deponere : patet, quia licet eripere gladium de manu furiosi... Ex præmissis videtur posse elici, quod potestas Papæ sit potestas Ecclesiæ qua utitur nomine et vice Ecclesiæ » (apud d'Argentré, *Collectio judiciorum*, t. II, pag. 199 et seq.).

8° *Docuit Gersonius, ad imperatorem Romanorum pertinere*

convocationem generalis concilii, si agatur de Papa ob aliquod crimen judicando : Quod si imperator convocationem non faciat, jus eam faciendi pertinere ad Episcopos primo, ad Cardinales autem secundario; eo quod Cardinales primitus non fuerint nisi presbyteri ordinati ad sepeliendum mortuos et ministranda sacramenta. — « Videtur autem quod si Papa, de cujus facto agitur, sit sceleratus et incorrigibilis, quod rex Romanorum vel imperator Romanus, tanquam præcipuus princeps et advocatus Ecclesiæ, super hoc habeat remedium per convocationem concilii generalis apponere » (*de Modis uniendi*, Operum ab Ellies Dupin dispositorum t. II, p. 178, edit. Antuerpiæ, 1706).

« Secure dicerem : Ubi gladius imperialis se non interponeret, ad prælatos primo, et secundario ad Cardinales... hujusmodi concilii pertinet convocatio... Ad prælatos videtur primo loco pertinere, qui sunt Episcopi. Ipsi enim sunt loco Apostolorum... Cardinalès autem erant Romæ presbyteri, ordinati ad sepeliendum mortuos, et baptizandum noviter venientes ad fidem, et eis ecclesiastica sacramenta ministrandum » (loco citato, pagina 181).

9° *Docuit Gersonius, posse Episcopos, si eorum jura nimium a Papa restringantur, ad Principes sæculares recurrere et juvamen ab eis implorare.* — « Status Episcopalis, si nimis arctetur in suis juribus essentialibus quoad restrictionem usus vel exercitii passim communiter per Papam, absque utilitate majori Ecclesiæ, sive hoc esset in exemptionibus subditorum ab eo, sive in reservatione casuum in foro pœnitentiæ..., seu in reservatione beneficiorum ecclesiasticorum..., ille (inquam) status Episcopalis posset rationabiliter deferre querelam, nedum ad Papam et generale concilium, quod est convenientissimum medium, sed ad Principes orthodoxos, implorando juvamen opportunum » (*de Statibus, de statu prælatorum*, consideratio nona, Operum ab Ellies Dupin dispositorum t. II, p. 533, edit. Antuerpiæ, 1706).

10° *Docuit Gersonius, posse fieri substractionem obedientiæ quoad Papam de cujus legitima electione nullum extat dubium,*

si Ecclesiæ nocivus sit : et hanc substractionem posse fieri, non tantum per concilium generale, sed etiam per privatos. — « Et hic fundabilis est possibilitas substractionis vel suspensionis obedientiæ ab aliquo in Papam rite electo. Nam quod obedientia tali præstetur, est præceptum affirmativum, quod non obligat pro semper, nec in perniciem Ecclesiæ... Sed utrum hæc obedientiæ substractio vel suspensio valeat per alium quam per Ecclesiam vel generale concilium? Forte videretur respondendum negative, præsertim si fiat sermo de substractione generali et auctoritativa, et quæ ligat omnes de Ecclesia in hoc stare. Secus est de substractione particulari quoad hos vel illos, quæ non fertur auctoritative, sed vel doctrinaliter et insinuative, vel necessitatis quadam inductione. Jubebit, exempli gratia, Summus Pontifex coram theologis expertis, quod fideles credant Spiritum Sanctum non procedere a Patre et Filio : dicimus quod theologorum erit doctrinaliter resistere et dicere quod sibi non obediatur... Quod si sit aliquis qui... Papalem dignitatem convertere velit in instrumentum nequitiæ et destructionem alicujus partis Ecclesiæ..., nec pateat sufficiens remedium aliud nisi subducendo se ab obedientia talis potestatis sævientis et seipsa abutentis .., ad tempus, vel quousque Ecclesia vel concilium providerit, hoc fas erit : dum tamen illud agere pia quædam impellat necessitas, non libido seu cupiditas assumendi improbe velamen malitiæ libertatem » (*de Auferibilitate Papæ*, consideratione XIV, Operum ab Ellies Dupin dispositorun t. II, p. 218, edit. Antuerpiæ, 1706).

11° *Quam vesane Gersonius, cum vellet potestatis plenitudinem collocare in concilio generali quatenus a Papa sejuncto, et tamen eam Summo Pontifici aperte denegare non auderet, explicare tentet hanc plenitudinem in utroque existere.* — « Potestas ecclesiastica in sua plenitudine est formaliter et subjective in solo Romano Pontifice » (*de Potestate ecclesiastica*, consideratione X, Operum ab Ellies Dupin dispositorum t. II, p. 239, edit. Antuerpiæ, 1706).

« Habet auctoritatem generale concilium præscribere leges seu regulas secundum quas plenitudo potestatis papalis, non quidem in se quæ semper eadem est, sed in usu suo moderanda regulandaque est » (in eadem consideratione x).

« Potest etiam dici in Ecclesia, vel in concilio, hæc plenitudo ecclesiasticæ potestatis, nedum in se formaliter, sed aliis duobus modis; videlicet quoad applicationem ad hanc vel illam personam, et quoad usum regulandum, si fortassis in abusum verti quereretur... Cum igitur Summus Pontifex, habens eam (*plenitudinem potestatis ecclesiasticæ*) subjective, sit peccabilis, et possit hanc potestatem in destructionem Eccesiæ velle convertere... superest ut aliqua sit relicta inobliquabilis et indeviabilis regula ab optimo legislatore Christo, secundum quam possit abusus hujusmodi potestatis reprimi, dirigi atque moderari. Hæc autem regula est vel Ecclesia, vel generale concilium... Possumus addere quod plenitudo potestatis ecclesiasticæ, si consideretur in sua latitudine, ipsa non est in solo Papa » (*de Potestate ecclesiastica*, consideratione undecima).

« Tripliciter debet considerari potestas ecclesiastica : uno modo in se formaliter vel absolute : alio modo ut in hoc vel illo supposito materialiter seu subjective : tertio modo usualiter vel exercitative » (*de Potestate ecclesiastica*, in epilogo sub finem tractatus).

« Plenitudo potestatis ecclesiasticæ dum ponitur in Ecclesia synodaliter congregata, cum plenitudine executionis hujusmodi potestatis, fit variatio vel æquivocatio de hoc quod est *esse in;* quia non eodem modo est plenitudo potestatis ecclesiasticæ *in Papa* et *in Ecclesia*. Fatendum est tamen quod est *utrobique;* et *principalius* in Ecclesia suo modo, et hoc quadruplici respectu, scilicet indeviabilitatis ac indefectibilitatis, extensionis, regulationis et generalis obligationis, cui subjicitur etiam ipse Papa, tanquam imperatrici summæ regis summi, quæ potest condere canones, et diffinire, etiam si fuerit Papa præsens » (*de Potestate ecclesiastica*,

ad calcem tractatus, Operum ab Ellies Dupin dispositorum t. II, p. 256, edit. Antuerpiæ, 1706).

« Concilium generale sic est supra Papam, quod ipsum Papam potest deponere pro quocumque crimine, de quo notorie et incorrigibiliter scandalizat Ecclesiam » (*Sermo super processionibus pro viagio Regis Romanorum*, parte III, tomo II citato, pagina 278).

« Concilium generale quamvis non possit nec debeat plenitudinem potestatis papalis, commissam a Christo Petro et successoribus ejus, tollere vel minuere, sed de ea gratias agere Deo qui contulit, eamque revereri debeat et amplecti, potest nihilominus usum potestatis illius certis legibus et statutis limitare in ædificationem Ecclesiæ » (citato tomo II, pagina 278).

« Possunt (*per Ecclesiam aut generale concilium*) ab aliquo rite in Papam electo tolli tam de jure quam de facto subditi in quos debet jurisdictionem exercere; et ita per indirectum jurisdictio non subsistet » (*de Auferibilitate Papæ*, consideratione XV). Concludat lector quam debile ac morbidum debuerit esse caput, in quo hæc tam aperte absona ebulliebant.

12° *Docuit Gersonius, Papam in hæresim lapsum non esse ipso facto depositum, sed deponendum: interea vero posse ipsi obedientiam denegari; imo posse talem Papam incarcerari, ligari, et in mare demergi.* — « Dicamus ergo concludentes probabiliter, quod sicut humana electio dat jus et titulum ad Papalem dignitatem..., sic per humanam destitutionem perdit illam præsidentiam et non aliter, eo invito, sive sit hæreticus, sive sit schismaticus. »

« Nolo tamen propterea dicere, quod semper sit obediendum tali hæretico vel non resistendum, aut quod sit appellatione papalis dignitatis honorandus : quoniam in casu, sicut jam tactum est, posset Papa verus, manens Papa, licite etiam ligari, vel incarcerari, vel in mare demergi [1]. Quanto magis

(1) Satis advertit lector non intelligi a Gersonio immersionem balnei causa. Sed

posset obedientia sibi vel reverentialis nominatio denegari » (*de Auferibilitate Papæ*, consideratione XVI, Operum ab Ellies Dupin dispositorum t. II, p. 221, edit. Antuerpiæ, 1706).

13° *Opinatus est aliquando Gersonius, non tantum propria potestate non posse Papam dispensare in decretis concilii generalis, sed etiam non posse hanc dispensandi potestatem ipsi a concilio generali concedi.* — « Aliquando fui illius opinionis, quod sacrum concilium generale... non possit... ipsi Papæ auctoritatem et potestatem concedere dispensandi et immutandi aut alias interpretandi sacri concilii statuta » (*de Modis uniendi*, Operum ab Ellies Dupin dispositorum t. II, p. 183, edit. Antuerpiæ, 1706).

14° *Quomodo ausus sit Gersonius hæreticam dicere constitutionem quamdam Martini V, in concilio Constantiensi*[1] *latam.*— In illa constitutione (idibus martii 1418) hæc occurrebant verba, Gersoniani systematis condemnationem aperte exprimentia : « Nulli fas est a supremo judice, videlicet apostolica Sede seu Romano Pontifice Jesu Christi vicario in terris appellare, aut illius judicium in causis fidei (quæ tanquam majores ad ipsum et Sedem Apostolicam deferendæ sunt) declinare » (inter Opera Gersonii ab Ellies Dupin disposita, t. II, p. 303, edit. Antuerpiæ, 1706).

Ausus est Gersonius in quæstionem vocare, num hæc pars constitutionis Martini V, esset hæretica (in opusculo *An liceat in causis fidei a Papa appellare*, loco citato). Opponit potissimum definitionem ejusdem concilii, dici 6 aprilis 1415 : *Generale concilium... potestatem a Christo immediate habet, cui quilibet, cujuscumque status vel dignitatis (etiamsi papalis existat) obedire tenetur, in his quæ pertinent ad fidem...* Debuisset Gersonius concludere decretum illud, aut non fuisse *conciliariter* factum; aut vi carere, ex eo quod Martinus V ne-

advertat velim Gallicanorum scriptorum vix credibilem hallucinationem, qui de hoc viro suum perpetuo recantant dictum, *le Pieux Gerson!*

(1) Sessio XLV[a] et ultima celebrata est die 22 aprilis 1418. Dicta autem bulla data est in consistorio publico mense martio ejusdem anni, ac proinde adhuc durante concilio.

dum illud confirmaret, econtra aperte reprobaret, contradictoriam doctrinam edicendo, et insuper ex eo quod ipsummet concilium Martini V constitutionem approbando, hoc ipso retractaret ac rejiceret quod in oppositum decreverat. At non is erat Gersonius qui systemati suo ita facile vale diceret. Opponit nonnullas ratiunculas tam aperta inanitate ac ignorantia conspicuas, ut ne mentionem quidem mereantur. Tum sic adnotat : *Sunt aliqui...*, *qui minus istam particulam* (id est citata verba constitutionis Martini V) *reputant sustinibilem... qualificantes eam quod est palam hæreticalis, et totius ecclesiasticæ hierarchiæ, circa fidei defensionem seu conservationem finalem et resolutivam, subversiva.* Quinam fuerunt isti *aliqui?* Forsan ipse solus, cum suo magistro Petro de Alliaco. Imo nec ipse audet aperte ita pronuntiare : « Hæc autem « dicta, inquit, vel argumentata sunt magis ad veritatis in- « quisitionem, quam ad alicujus, præsertim sanctissimi Mar- « tini Papæ, reprehensionem. » Sane juxta suum et magistri sui Petri de Alliaco systema, debuisset Martinum V pro notorio hæretico habere, et ad futurum generale concilium appellare. De tali Papa ipse sustinuerat, non esse ei obediendum; imo posse ejusmodi Papam *ligari*, *incarcenari et in mare demergi*. Sed statim ac certus extitit Summus Pontifex, videtur ebulliens Gersonii caput tantisper conquievisse, incarcerationem timens, ut reor ego.

15° *Ejusdem Gersonii incohærentiarum ac furibundi animi specimen.* — Anno 1409, quarto idus octobris, Petrus de Luna, unus de iis qui de papatu contendebant, et cujus obedientiam tunc sequebatur Parisiensis Universitas, bullam edidit, qua varias facultates mendicantium ordinibus conferebat. Contra illam bullam, publicam concionem habuit Gersonius ad Parisiensem populum. In hac phrenetica concione sic habet :

« Apparet, quod ad Universitatem Parisiensem, filiam regis, spectat secundum doctrinam de sanctæ Ecclesiæ judicare gubernamine, specialiter quoad facultatem theologi-

cam » (Operum Gersonii ab Ellies Dupin dispositorum, t. II, pag. 434, edit. Antuerpiæ, 1706).

« Et si quærat aliquis, quid hæc contineat Bulla; respondeo, me nondum habere commissionem ad longum declarandi malum ibi contentum... Bene in generali dicere possumus, si scriptura hæc admitteretur, ipsa perturbaret hierarchicum ordinem prælatorum sanctæ Ecclesiæ, magnos, mediocres, et parvos qui sunt curati » (ibidem, pag. 436).

Post concionem, censuram bullæ edidit Gersonius, in qua sic legere est :

« Dicimus ergo sub omni reverentia sanctæ Sedis apostolicæ et sedentis in ea Summi Pontificis ac totius Ecclesiæ, quod tenor illius copiæ videtur nobis primum intolerabilis, dehinc totius ecclesiastici status turbativus » (ibid., pag. 443). « Concludentes quod prædicta bulla... abradenda est, cassanda et annullanda perpetuo » (ibid., pag. 445 et 446).

« Sed forte me voluisti capere in sermone, per varia scripta, allegando quod tam sancta, tam alta sit potestas Papæ, ut a nullo mortalium judicari valeat, nec deponi, nisi propter hæresim incorrigibilem. Ad hæc allegas distinctionem XL, canone 6. Sed perpende, mi frater, quanta fraude, quanta astutia, temporibus antiquis fuerint facta et scripta quamplurima ad tenendam hanc dignitatem Papatus, quam Christus nunquam concessit æternaliter, nisi ad tempus, illis qui diligunt Deum in toto corde et veritate... Et quis fecit illos libros, Sextum et Clementinas, arrogantiam, superbiam, juris ordinariorum locorum usurpationem, imperatorum Romanorum injuriosam detractionem, et eorum aliorumque potestatis periculosissimam suppressionem, et alia multa in spiritualem et sæcularis reipublicæ læsionem malitiose et pertinaci ambitione fabricata, in omnibus et per omnia concludentes?... Et sic de multis contentis in decretis et decretalibus, post dotationem Constantini... Ecce ponatur Papa. Est homo de homine, limus de limo, peccator et peccabilis, filius ante duos dies pauperis rustici; erigitur in Papam. Numquid iste absque

aliqua pœnitentia peccatorum, absque confessione, absque cordis contritione fit angelus impeccabilis, fit sanctus?... Ergo Papa ut Papa potest peccare, et ut homo potest errare. Fuerunt enim multi eorum... sequentes actus hominum, qui possunt... percutere, occidere, mœchari, furari, rapere, prodere, decipere, falsum testimonium perhibere, detrahere, diffamare, in hæresim cadere, cæteraque committere scelera... Cum ergo Christi præceptum dicat, *si peccaverit in te frater tuus, corripe eum inter te et ipsum; si te non audierit, adhibe duos testes; sin autem dic Ecclesiæ;* cum ergo Papa sit meus frater et proximus;... corripiendus juxta processum Christi. Non ergo illud decretum est tenendum, *quod Papa a nemine sit judicandus* » (*de Modis uniendi*, Operum ab Ellies Dupin dispositorum tomo II, pagina 166 et 167, edit. Antuerpiæ, 1706).

« Sed ponatur, ut dicitis, quod Papa cum suis Cardinalibus omni die jugiter parturiat injustitiam..., non curet de mandatis generalis concilii..., quid erit faciendum?... Sicut illi sacerdotes Bel... de mandato regis Babyloniæ omnes pariter sunt missi in lacum leonum et devorati..., etiam hi superiores presbyteri... Qui nisi totaliter eradicentur..., timeo quod nunquam Ecclesia Dei reformetur in capite et in membris... Non erit (*sedes*) *apostolica* sed *apostatica*..., in qua non est sedendum, sed longe ab ea fugiendum... Et isti recte impii vocantur, cum quibus pereunt qui eis obediunt » (*de Modis uniendi Ecclesiam*, Operum ab Ellies Dupin editorum tomo II, pagina 194 et 195, Antuerpiæ, 1706).

« Hæc Ecclesia (*loquitur de catholica seu universali*) nunquam errare potuit, nunquam deficere, nunquam schisma passa est, nunquam hæresi maculata est, nunquam falli aut fallere potuit, nunquam peccavit...

« Instat tamen prudentia vestra : quid oportet pro universalis Ecclesiæ unione laborare, si ipsa Ecclesia est et fuit semper indivisa, unica, et nunquam passa schisma? Pater mi, si dignemini intueri, nec dico Ecclesiam universalem posse reuniri, cum ipsa schismate non possit dividi, quia

etiam in unico supposito potest salvari : sed dico quod pro ejus unione sit laborandum et pro ejusdem membrorum concordia et pacificatione » (ibidem, pagina 163 et 164).

« Si propter salvationem unius regni, unius provinciæ, deponitur unus rex, unus princeps sæcularis, qui per successionem perpetuam descendit, multo magis unus Papa, unus prælatus est deponendus, qui per electionem Cardinalium fuit institutus; cujus pater et avus forsan ventres implere non sufficiebant fabis » (ibidem, pagina 166).

« Exurgant prælati Ecclesiæ, offerentes Deo sacrificium justitiæ, et has rapinas, furta et latrocinia Romanæ curiæ dignentur penitus amovere » (loco citato, pagina 184).

« Rescindantur etiam abusivæ libertates et exemptiones concessæ illis quatuor ordinibus mendicantium... Et liberentur ab ipsis omnino omnia monasteria monialium... Nimis etiam multiplicantur hi fratres,» (ibidem, pagina 175).

« Si Petrus in trina negatione permansisset nec pœnituisset, nec ipse princeps apostolorum extitisset..., sed cæteri apostoli Ecclesiam disposuissent et ordinassent ; sicut fecerunt, quando miserunt Petrum et Joannem ad Samariam. Nec tunc Petrus ibi misit, sed missus est per alios apostolos. Non tunc ipsi apostoli erant Cardinales, sed similiter Coepiscopi Petri. Ergo minorem locum, secundum Deum et instituta Ecclesiæ, obtinent Cardinales, quam episcopi ; licet usurpative oppositum pateat in eisdem » (loco citato, pagina 181).

« Tempore apostolorum non solus Petrus regebat totam Ecclesiam ; sed solum primo ut Episcopus rexit Antiochiæ. Post electus est Episcopus Romæ... Quis enim potest considerare quod tanta auctoritas et virtus capitis uni membrorum inferiori valeat communicari? » (Loco citato, pagina 183.)

16° *Quid de auctoritate Gersonii in rebus theologicis sentiendum sit.* — Censet P. Petit-Didier dignum Gersonii opus quod *æterna oblivione sepeliatur*, *indignissimumque* virum illum cui fides adhibeatur in his omnibus quæ contra Roma-

nam Sedem declamavit (*Dissertatio de concilio Constantiensi*, pagina 3, edit. Luxemburgi).

Bellarminus *erroneum* esse monet Gersonium, in materiis quæ Ecclesiam Romanumque Pontificem et concilia respiciunt. Nec digna reputavit ejus opera quorum notitiam insereret in suo *de Scriptoribus ecclesiasticis* libro.

Gersoni (ait P. Carrara) *contra Papas fanatico, solitum etiam fuit in cæteris ad extrema prosilire... In reservationes omnes Pontificias furibundus prorupit* (de Primatu Romani Pontificis, pagina 243, edit. Ravennæ, 1769).

Villiers e protestantica secta scriptor, religiosæ in Gallia revolutionis choripheos existimat Gersonem et Richerium (*Influence de la réforme de Luther*, pagina 125, Paris 1804).

Gersonium vocat Allègre *Romano Pontifici infensissimum, et novitatum in Ecclesia inductorem* (*Theologia*, libro XI, propositio XVI).

Adnotat Cardinalis Palavicinus Gersonii opiniones arma Luthero præbuisse ad impugnandam Pontificiam auctoritatem (*Historia concilii Tridentini*, libro I, cap. IX, n. 7).

Scriptis Occhami, Petri de Alliaco ac potissimum Gersonii studuerat Melanchthonius, antequam fide catholica decideret.

Non Gersonio adscribendum aureum *Imitationis Christi* librum, sed eximiæ pietatis ac sanctissimæ vitæ monacho Thomæ a Kempis, nuper ita peremptorie probavit illustrissimus Malou Brugensis Episcopus ut jam dici possit finita causa. Utinam Galliæ clerus suspectas tandem habeat immensas laudes quibus certatim Gersonium prosecuti sunt Protestantes, Jansenistæ, ac Gallicani systematis propugnatores. Adeat ipsemet ac propriis oculis perlustret scriptiuncularum (quibus constant Gersonii Opera) farraginem ; ac facile perspiciet nihili omnino faciendam ejusmodi scriptoris auctoritatem.

§ 5. — E sessionibus quarta et quinta Constantiensis concilii nequaquam inferri potest Romani Pontificis fallibilitas, aut generalis synodi supra ipsum auctoritas.

Quamvis hic agamus dumtaxat de Romani Pontificis quoad definiendam fidem inerrantia, de ipsius autem supra concilium auctoritate disseramus infra (parte III); quia tamen Gallicani systematis propugnatores contra utramque Pontificiam prærogativam objiciunt dictas sessiones, necnon Constantiensis ac Pisanæ synodi agendi rationem, eos simul sub præsenti paragrapho quoad utramque ipsorum illationem confutandos duximus. Pro quo sit sequens propositionum series.

Propositio I^a. — *Pisana synodus non fuerat œcumenica.* — Pluribus enim caruerat ad œcumenicum concilium constituendum necessariis. Et quidem :

I. *Defuit in convocanda illa synodo legitima auctoritas.* « Cum concilium generale ex tota catholica Ecclesia sit convocandum, ad eos tantum pertinere potest jus convocandi, quibus in totam Ecclesiam et in omnes totius Ecclesiæ Episcopos jurisdictio competit... Papæ quidem hoc jus convocandi concilia generalia competere nemo adversariorum negat... In Constantiensi quoque tres nationes, Italica, Gallicana et Hispanica, convocationem synodorum hujusmodi, ut legitimæ haberentur, a Papa esse faciendam adeo necessarium crediderunt, ut protestatæ fuerint : *Vix congregaretur indubitatum concilium deficiente capite, ad quod pertinet convocare.* Quod si antiquæ synodi generales fere fuerunt indictæ ab imperatoribus..., id non ex jure proprio..., sed ex zelo... Cui indictioni Summi Pontifices annuentes præbuerunt assensum..., quo satis de legitima convocatione cautum fuit » (Ballerinius, *de Potestate ecclesiastica*, capite VI, § 1). Jam vero convocata fuit Pisana synodus a Cardinalibus utriusque obedientiæ, non tantum non consentientibus Gregorio XII et Benedicto XIII, sed reprobantibus; imo dum ipsorum quilibet aliam alibi synodum

generalem indicerent; Gregorius scilicet Forojulii, et Benedictus Perpiniani. Et notetur unum e duobus de Papatu contendentibus fuisse verum et legitimum Pontificem, licet quis hic esset nesciretur. Atque is reprobabat factam a Cardinalibus convocationem. Potuit sane quilibet Cardinalibus sic convocantibus non obedire, nec in eis illam agnoscere in universos Ecclesiæ Episcopos jurisdictionem, quæ ad legitime convocandum concilium necessaria est.

II. *Defuit œcumenicitas, ex eo quod notabilis pars Ecclesiæ catholicæ non adfuerit.* — « Nullus scilicet Episcopus adfuit « ex Hispania, sequente Benedictum XIII, quæ (ut in Cons- « tantiensi aiebat Cardinalis sancti Marci) *erat non minor « christianorum portio quam Græcia christiana.* Abfuerunt « quoque omnes Episcopi Scotiæ, et multi ex Italia et Ger- « mania; adeo ut idem Cardinalis memoret *multas Germaniæ « et Italiæ gentes*, quæ in Gregorii XII obedientia perstabant. « Hinc non immerito Jacobus Lenfant, licet calvinista, in « præfatione ad Historiam concilii Pisani, confessus est (nu- « mero 5), si ex nationum numero judicandum sit, idem « concilium non fuisse completum. Quod si clarissimus « Episcopus Meldensis (Bossuet) non dubitavit negare œcume- « nicum concilium sextum, eo quod abfuerint *Hispani*, qua « dein cohærentia tribuere potuit nomen et vim œcumenici « concilio Pisano, in quo præter *Hispanos* aliæ *multæ Ger- « maniæ et Italiæ gentes* defuere? » (Ballerinius, *de Potestate ecclesiastica*, capite VI, § 4, n. 11, pagina 76, editionis Romanæ, 1850.)

III. *Defuit, ad œcumenicitatem necessaria, capitis Ecclesiæ, id est Summi Pontificis, auctoritas.* — « Romani quidem Pon- « tificis tanta præ cæteris Episcopis ratio tantaque in gene- « ralibus conciliis necessitas fuit antiquis etiam temporibus « habita, ut si abessent alii quicumque, etiam apostolica- « rum ac patriarchalium sedium Antistites nihil præjudicii « creatum putaretur concilio œcumenico : Romanus vero si « nec per se nec per legatos adesset, synodus quælibet etiam

« frequentissima non censeretur œcumenica. Rationem præ-
« cipuam indicavit Bossuetius, cum non dubitavit affirmare
« generale concilium *ipsum etiam complecti Papam, et quidem*
« *tanquam caput* (libro X *Defensionis*, capite XXIII...). Quo qui-
« dem capite si careret, corpus esset monstruosum atque
« acephalum... Hanc eamdem hujusce capitis necessitatem
« alia efficaciori ratione insinuant Parisienses, de quibus hæc
« laudatus Bossuetius prodidit (dissertatione prævia *Defen-*
« *sionis*, § 84) : *Parisienses ultro consentiunt, ex antiquissimis*
« *regulis, synodos generales absque Romano Pontifice nullas esse*
« *et irritas* » (Ballerinius, *de Potestate ecclesiastica*, capite VI,
§ 2, n. 6 et 7).

Potest autem Romani Pontificis assensus et confirmatio supplere œcumenicitatis defectum, qui proveniret ex absentibus plurium catholicarum gentium Episcopis. Unde adnotat citatus Ballerinius, « adeo ex Pontificio præsertim
« consensu pendere vim generalis concilii, ut Constantino-
« politanum I, quod licet ex convocatione et Episcopis in
« ipso coactis fuit generale solius Orientis, non autem to-
« tius Ecclesiæ catholicæ, cum nulli Occidentales Episcopi
« in eo convenerint, inter generalia tamen subinde fuerit ac-
« censitum quoad symbolum fidei tantum, non vero quoad
« canones disciplinæ, propterea quod Romana Sedes ipsum
« symbolum tantum recepit... Et similiter synodus V inter
« generalia concilia nunquam fuisset recensita, nisi Vigilius
« Papa, qui ejus gestis primo contradixit, postea præstitisset
« assensum » (Ballerinius, *de Potestate ecclesiastica*, c. VI,
§ 3, n. 9).

Hinc Pisana synodus Pontificia confirmatione duplici capite indigebat ad acquirendam œcumenicitatem : primo, quia sine auctoritate Romani Pontificis nulla quantumvis frequens synodus œcumenica esse potest : secundo, quia defectus quo laborabat ex absentia plurium catholicarum gentium nequibat aliter quam Romani Pontificis interveniente assensu sanari.

Jam vero, nedum assensum hunc obtinuerit, econtra ab utroque Pontifice Gregorio XII et Benedicto XIII reprobata fuit. Equidem ejus gesta confirmavit Alexander V, qui in ipsa electus est. At certa non fuit hujus auctoritas, hoc ipso quod incerta fuerit synodi œcumenicitas et legitimitas.

IV. *In toto generaliter orbe catholico dubia remansit Pisanæ synodi œcumenicitas.* Si pro œcumenica generaliter habita fuisset dicta synodus, extinctum hoc ipso fuisset schisma : omnes siquidem Alexandrum V in ea electum pro vero Pontifice agnovissent, et duos alios, tanquam legitime depositos rejecissent. Porro auctum schisma fuit, nedum extinctum; et cum antea duæ tantum essent obedientiæ, ex tunc tres extiterunt. Imo illi etiam qui ad novam Alexandri V obedientiam migrarunt, non ideo duas alias obedientias schismatis aut hæreseos notarunt; sed existimarunt rem ita obscuram remansisse, ut quisque licite posset in ea stare obedientia quæ ipsi probabilius legitima videretur. Inter præcipuos sane Pisanæ synodi defensores emicuit Petrus de Alliaco. Et nihilominus de duabus aliis obedientiis, quæ Pisanæ synodi gesta rejiciebant et nihili faciebant, ita ipse fatetur : *Tamen duæ obedientiæ duorum contendentium probabiliter tenent contrarium; in qua opinionum diversa et adversa varietate non sunt minores difficultates juris et facti, quam ante concilium Pisanum erat de justitia duorum contendentium* (in actis concilii Constantiensis). Si generaliter existimatum est non minores superesse difficultates post Pisanam synodum, quam ante, ideo sane quia generaliter pro incerta habebatur hujus synodi œcumenicitas.

Propositio II^a^. — *Gesta Pisanæ synodi non probant eam existimasse Romanum Pontificem concilio œcumenico subjici; sed potius contrarium evincunt.* — « Ideo Pisanæ synodi gesta sibi prodesse adversarii censent, quia præsumunt ipsam synodum ea de causa deposuisse contendentes duos, quod Patres certum crederent, generale concilium jus habere supra Summos Pontifices. Verum hanc sententiam iisdem Patribus non

fuisse exploratam et certam ex eo manifeste colligitur, quod (licet ageretur de duobus, non certi, sed dubii juris Pontificibus) non tamen ausi sint illos absolute deponere, nisi eos aliunde, id est ob crimen schismatis et hæresis, indicassent a semetipsis *ipso facto* depositos, excidisse ab eo Pontificio primatu, quo solo a concilii jurisdictione eximebantur... Ex actis enim ac documentis ejusdem concilii liquet (in ipso prius Doctorum Patrumque requisita sententia) hos fere in eo convenisse, Gregorium XII et Benedictum XIII, incerto Pontificatus jure fungentes, cum sese antea jurejurando obligassent ad ipsius Pontificatus cessionem, si tollendo schismati necessaria esset, hujus promissionis exequutionem diutius differentes, veluti fautores pertinacissimi schismatis, habendos esse tanquam schismaticos imo etiam hæreticos, juxta illud scholarum (quod invaluerat) principium, quod pertinax in schismate ab hæretico practice non distinguitur. Eosdem porro ob notorium schismatis et hæresis crimen, ante omnem sententiam *ipso facto* ab Ecclesia esse præcisos, et a Pontificatu consequenter decidisse; ac propterea, Romana Sede jam vacante, licere ad novi certique Pontificis electionem transire. Hæc fuit sententia theologorum atque canonistarum 103, qui, concilio jubente, in prima congregatione consulti fuerant a Cardinali Mediolanensi. Idem quoque censuerunt alii Doctores Universitatis Florentinæ numero 120; a quibus non discreparunt Universitates Bononiensis, Andegavensis, Aurelianensis, Tolosana, et potissimum Parisiensis, quæ eamdem suam sententiam per legatos concilio significarunt. Hæc autem tot theologorum suffragia ac principia Pisani Patres secuti noscuntur..., cum..., eosdem (duos contendentes) ut notorios schismaticos et hæreticos *ipso facto* a Deo et a sacris canonibus fuisse depositos declararunt sessione quartadecima, antequam in ipsos depositionis sententiam ferrent, seu potius antea latam declararent. Quid tam longe quæsito principiorum circuitu... concilii Patres usi fuissent..., si ipsos dubii juris Pontifices concilium generale per sese absolute posse depo-

nere existimassent?... Nonne ideo excogitata videtur hæc methodus, quod ejusmodi jus supra Pontifices, etiam tituli dubii, synodo generali certo competere nequaquam crederent? » (Ballerinius, *de Potestate ecclesiastica*, capite VI, § 5.)

Quæ Ballerinii disceptatio sic contrahi potest : Si Pisana synodus certum existimasset generali concilio jus competere supra Papam, vi hujusce juris et hoc jus suum solummodo aut saltem præcipue allegando, duos contendentes deposuisset. Porro non ausa est dicti juris titulo eos deponere; sed pronuntiavit primum eos, utpote schismaticos et hæreticos, esse jam *ipso facto* depositos; ita ut per subsecutam depositionis sententiam non tam eos deposuerit, quam depositos jam declaraverit. Ergo incertum habuit jus concilii supra Papam. Ergo Pisanæ synodi agendi ratio, nedum Gallicanum systema juvet, ipsi econtra adversatur.

Propositio IIIª. — *Decreta Constantiensia in sessione quarta legenda, disposita ac determinata fuerant a nationibus eo modo quo extant in sessione quinta; sed exorta paulo ante sessionem magna contentione quoad eas partes quæ jus concilii supra Papam exprimunt, eæ partes de facto non fuerunt in sessione quarta publicatæ.* — Tenor decretorum prout in sessione quinta publicata sunt, is est : « Hæc sancta synodus Constantiensis, « generale concilium faciens, pro extirpatione ipsius schis- « matis et unione et reformatione Ecclesiæ Dei in capite et in « membris, ad laudem omnipotentis Dei, in Spiritu sancto « legitime congregata, ad consequendum facilius, securius, « liberius unionem et reformationem Ecclesiæ Dei, ordinat, « definit, et declarat ut sequitur :

« Et primo declarat, quod ipsa, in Spiritu sancto legitime « congregata, concilium generale faciens et Ecclesiam catho- « licam repræsentans, potestatem a Christo immediate habet, « cui quilibet cujuscumque status vel dignitatis, etiamsi pa- « palis existat, obedire tenetur in his quæ pertinent ad *fidem* « et extirpationem dicti schismatis, *et reformationem dictæ Ec- « clesiæ in capite et in membris.*

« *Item declarat, quod quicumque cujuscumque conditionis,* « *status, dignitatis, etiamsi Papalis, qui mandatis, statutis, seu* « *ordinationibus aut præceptis hujus sacræ synodi et cujuscumque* « *alterius concilii generalis legitime congregati, super præmissis* « *seu ad ea pertinentibus factis vel faciendis, obedire contuma-* « *citer contempserit, nisi resipuerit, condignæ pœnitentiæ subji-* « *ciatur et debite puniatur, etiam ad alia juris subsidia (si opus* « *fuerit) recurrendo* » (Conciliorum Mansi tomo XXVII, col. 59, edit. Venetiis, 1784). Alia quæ sequuntur decreta prætermittimus, quippe quæ ad quæstionem non faciunt. In fine sic habetur : « Quibus articulis, sive constitutionibus lectis, dictum concilium eos et eas uniformiter approbavit et conclusit » (tomo citato, col. 593). Hæc peracta sunt in sessione *quinta*, die 6 aprilis 1415. Expendamus nunc an ejusdem tenoris fuerint decreta in sessione *quarta*, die 30 martii 1415, legente Cardinali Zarabella, publicata.

Statim respondemus, præparatam quidem formulam eamdem fuisse quæ postmodum in sessione quinta lecta est. Sed ipsamet die quo sessio quarta est celebrata, cumque jam ad eam inchoandam Patres accederent, in prævio colloquio inter regem Sigismundum, Cardinalesque ac nationum deputatos, vehemens orta est disceptatio de contentis in hac formula nonnullis articulis. Ex eo colloquio ad sessionem publicam itum est; in qua dictam quidem formulam legit Cardinalis Zarabella, sed prætermissis iis verbis quæ a nobis sublineata sunt. Nimirum in primo paragrapho phrasim illam : « In his quæ pertinent ad fidem et extirpationem dicti schismatis et reformationem dictæ Ecclesiæ in capite et in membris, » pronuntiavit Cardinalis Zarabella prætermittendo voces *ad fidem*, necnon voces *et reformationem dictæ Ecclesiæ in capite et in membris*. Insuper sequentem paragraphum integrum omisit. Ob has porro truncationes, quæ multis indignationem moverunt, deliberatum postea fuit atque statutum, ut integra formula, nulla omissa voce, in proxima sessione quinta legeretur et publicaretur. Superest ut hæc a nobis asserta documentis firmemus.

Documentum I. — Citabimus in primis opus quod inscribitur, *Concilii œcumenici Constantiensis fasti, ab Hermanno Von der Kard in compendium contracti ac concise delineati.* In eo sic occurrit :

« Anno 1414, mense octobri. — ...Die 28, Papa Joannes (XXIII) « magna cum pompa Constantiam ingressus, una cum Cardi- « nalibus et curialibus multis... indixit concilium in proximas « kalendas novembris, ut inter Cæsarem et ipsum superiori « anno convenerat...

« Anno 1414, mense novembri. — ...Die 5, concilium solem- « niter inauguratum in templo cathedrali... — Die 12 con- « gregati theologi de rebus in concilio tractandis, de conci- « lio in *nationes* distribuendo... — Die 16, *sessio generalis I*, « præside Papa Joanne...

« Anno 1415, mense januario. — ... Die 4, congregatio gene- « ralis, de legatis Gregorii XII, an hi et alii legati Benedicti « Papæ XIII ad concilium admittendi, et quo charactere?... — « Die 25, congregati ex nationibus deputati in Palatio Sigis- « mundi, ipso præsente, ubi legati Gregorii XII de hujus ces- « sione auditi...

« Anno 1415, mense februario. — ... Die 16, congregatæ na- « tiones de cessione Joannis et Gregorii Paparum...

« Anno 1415, mense martio. — ... Die 2, *sessio generalis II*... « Cessionem Papatus sui Joannes Papa XXIII publice repetiit... « Die 17, congregatæ nationes. De concilio per Papam non dis- « solvendo, deque procuratore cessionis per eum constituendo. « — Die 18, congregatæ nationes. De Italorum sententia, pro- « curatorium illud per Joannem non constituendum. Joannes « Papa de fuga consilia cepit, deque concilio dissolvendo... « — Die 21, Joannes Papa XXIII, habitu servi assumpto, clan- « destinam e concilio fugam circa vesperam prehendit... — « Die 26, congregatio generalis ante sessionem publicam, « præsente Cæsare : An Cardinales admittendi?

« *Sessio generalis III*, prima post fugam Papæ...; de concilio « post fugam Joannis Papæ confirmato, deque auctoritate at-

« que integritate concilii, absente Papa... Cardinales quoque « protestati sunt de suo in fugitivum Papam affectu... — Die « 28, congregatio generalis, litibus plena, de auctoritate et « integritate concilii... — Die 29..., congregati Cardinales in « Palatio episcopali, præsente Cæsare, *de quibusdam decretis* « nationum in proxima sessione *non publicandis, quæ auctori-* « *tatem pontificiam concernerent*... Die 30, congregatio genera- « lis in Palatio episcopali, præsente Cæsare Sigismundo, « ante sessionem publicam, de articulis nonnullis, a nationi- « bus contra Papam fugitivum conclusis, servandis, an ad « preces Cardinalium in publica sessione proxima tantisper « dissimulandis.

« *Sessio generalis IV*, secunda a fuga Papæ, in templo cathe- « drali, præsente Cæsare Sigismundo, præside Jordano de Ur- « sinis Cardinale, pro auctoritate concilii. *Decreta vero concilii*, « *de auctoritate et integritate ejus, per Cardinalem Zarabellam* « *prælecta, in prælegendo decurtata aut mutilata, indignante* « *concilio*. Quæstio mota de abituris e concilio. Cardinalium « novæ propositiones pro Papa Joanne XXIII concilio oblatæ.

« Anno 1415, mense aprili. — Die 1, congregatæ nationes, « de decretis in superiori sessione per Zarabellam Cardinalem « mutilatis, quod indigne tulere nationes. Congregati ex na- « tionibus deputati cum Cardinale Zarabella. Hic reprehensus « ob decurtata concilii decreta; invectiva in Cardinalem Zara- « bellam, ob concilii articulos in superiori sessione publica vio- « latos, concilio oblata et publice affixa. — Die 2, congregati « deputati quatuor nationum, indigne nuper omissa per Zara- « bellam in publicatione decretorum sessionis quartæ, in ses- « sione quinta esse omnino redintegranda et exacte resti- « tuenda, atque ita plene repetenda ac publicanda... — Die 5, « dictam Joannis XXIII fugam (*scilicet ab urbe Schaphusâ Lan-* « *fenbergam*) simul ac Constantiæ innotuit, excepit nova fuga « plurium Cardinalium, curialium, aliorumque virorum ec- « clesiasticorum...

« Die 6, *sessio generalis V*, tertia a fuga Papæ Joannis XXIII.

« De confirmata integritate et auctoritate concilii. Decreta con-
« cilii, in superiori sessione per Cardinalem Zarabellam de-
« curtata, nunc publice ac palam restituta, repetita, confir-
« mata, ac integre publicata... Cardinalium repetita contesta-
« tio de suo in Papam Joannem affectu. Decreta pœna e con-
« cilio sine venia emigrantium.

« Die 17, *sessio generalis VI*... Articuli contra Papam et Car-
« dinales, qui a consultationibus concilii excludendi, publice
« prælecti » (Conciliorum Mansi, tomo XXVIII, col. 655 et seq., edit. Venetiis, 1785).

Ibi testatum habes quomodo in sessione quarta Cardinalis Zarabella legendo decurtaverit *decreta de auctoritate et integritate concilii*. Item quomodo id nationibus indignationem commoverit. Item quomodo ad supplendas omissiones, integra formula fuerit in sessione quinta publicata. Invectiva autem contra Cardinalem Zarabellam, concilio oblata et publice affixa, de qua loquitur Hermannus Von der Kard, ea esse videtur cedula quam reperimus in collectione conciliorum Mansi, videlicet.

Documentum II. — Cedula ad valvas Palatii Episcopalis Constantiensis affixa, mense martio 1415.

« Ne decipiamini, ne fallamini, placeat sequentia parum-
« per attendere... 3° Item istis pendentibus Dominus Papa
« Joannes XXIII, suorum promissi, voti et juramenti imme-
« mor, volens hujusmodi negotium, videlicet istud sacrum
« concilium dirimere et dissolvere, quod Ecclesiam Dei mili-
« tantem repræsentat, clam furtive ab hinc recessit...

« 4° Item quod statim... rex Romanorum viriliter agens, ne
« concilium dirimeretur, corda nutantia confortavit... Sed
« non sic isti Patres reverendissimi (*Cardinales*) qui a via
« veritatis hanc sacram congregationem avertere conantur
« suis cautelosis consiliis et cavillationibus; quoniam magna
« pars ipsorum secuti sunt patrem suum...; et quia non
« sperabant reperire bonam coquinam, aliqui misere et vere-
« cunde sunt reversi...

« 6° Et ut istud pateat (*nempe Cardinales adversari concilio*) « evidentissime, advertite qualiter iste pater reverendissimus « Cardinalis Florentinus (*Zarabella*) cedulam quam nationes « concordaverant in sessione quæ facta fuit penultima mar- « tii, suorum fretus consilio sociorum et fautorum, detruncavit « et decurtavit, deludendo ac vilipendendo hanc sacram con- « gregationem; in qua talia præsumentes non sunt digni ut « amodo admittantur » (Conciliorum Mansi tomo XXVIII, col. 912 et 913, edit. Venetiis, 1785).

Ibi pariter vides formulam in sessione quarta lectam, relative ad aliam quæ in sessione quinta publicata fuit, non eamdem fuisse, sed decurtatam.

Documentum III. — In regesto Romæ existente, ac tempore concilii Constantiensis scripto, sic enarratur de sessione quarta, 30 martii 1418 celebrata : « Magna concertatio tam « inter Cardinales quam nationes fuit ob capitula statuenda. « Imo Cardinales Cardinali Florentino Zarabella difficultatem « fecerunt veniendi ad sessionem quartam, nolentes decre- « torum ab ipsis impugnatorum, utpote *de jure non verorum*, « promulgationi interesse; ideoque regem Romanorum die « 29 martii apud nationes plurimum laborasse, ut decreta a « Cardinalibus impugnata omitterentur; obtinuisse tamen « ab eis quod sessio usque ad horam decimam prorogaretur, « et in crastinum usque ad illam horam viderent si possent « ad invicem concordare » (*Concilia Germaniæ*, t. V, p. 45, edit. Coloniæ, 1763).

Aliunde sic habetur in manuscripto codice quem allegat Chelstratus : « Die sabbati, penultima mensis martii, hora « septima ante meridiem, convenientibus in palatio episcopali « Constantiensi domino rege Romanorum, dominis Cardinali- « bus, et nationibus, fuit plurimum super infrascriptis et aliis « capitulis altercatum... Tunc dominus rex iterum ad dominos « Cardinales ingressus est : et habito cum eis aliquali collo- « quio, domini sancti Marci et Florentinus Cardinales cum « ipso rege exeuntes primam capellam Ecclesiæ Constan-

« tiensis sunt ingressi, jusseruntque ad se vocari deputatos « nationum, jam in choro paratos existentes pro sessione « celebranda. Quibus venientibus, habita fuit non modica « disceptatio inter dominum regem, dominos Cardinales, et « deputatos nationum, super capitulis prælibatis : et tandem « divino Flamine inspirante, in unam sententiam convene- « runt, *quod tantum capitula infrascripta in dicta sessione* « *statuerentur*. Fuit ergo dicta sessio, de consensu et volun- « luntate domini regis, et omnium dominorum cardinalium, « in Constantia existentium, quatuor nationum, et oratorum, « regum et principum celebrata... Reverendissimus in Christo « Pater dominus F., miseratione divina sanctorum Cosmæ et « Damiani diaconus Cardinalis (*Zarabella*), sacro Constan- « tiensi approbante concilio, legit capitula infrascripta » (Conciliorum Mansi tomo XXVII, col. 587 et 588, edit. Venetiis, 1784). Ibi pariter vides, paulo ante sessionem publicam acriter disceptatum fuisse de certis illis articulis a nationibus determinatis et approbatis, quorum publicatio in sessione expectabatur. Item vides in illo prævio colloquio, in quo non aderant quatuor nationes, sed tantum ipsarum deputati, præ-valuisse sententiam, de non legendis integre istis articulis, sed *quod tantum capitula infra scripta in dicta sessione statuerentur*. Cum autem ex illo colloquio statim ad sessionem publicam itum sit, mirum non est indignatos multos quod non legerentur a Cardinali Zarabella ii articuli et eo tenore qui expectabantur. Quasnam autem phrases aut voces legere omiserit dictus Cardinalis, colligi potest ex collatis manuscriptis et prioribus editionibus. Nam si concordent plura manuscripta et priores editiones in omittendis iis verbis et phrasibus quæ superioritatem concilii supra Papam (extra casum schismatis, ex dubiis Pontificibus provenientis) exprimunt, non alia de causa id contigisse censendum est, quam quod revera decreta cum hac omissione publicata, et a secretariis prout audiverant exscripta sint. Porro constat de plurium manuscriptorum et anteriorum editionum quoad

hanc omissionem concordantia, ut sequenti documento panditur.

Documentum IV. — Enumeratis quatuor prioribus editionibus, sic adnotat collector *Conciliorum Germaniæ* (t. V, p. 44, edit. Coloniæ, 1773) : « In his quatuor primævis et ad hanc « diem notis editionibus desunt in decreto primo sessionis « quartæ Constantiensis, anno 1415, 30 martii celebratæ, « hæc verba *ad fidem... et ad reformationem generalem Ecclesiæ « Dei in capite et in membris.* »

Ipse etiam Ellies Dupin ita fateri coactus est :

« In quibusdam manuscriptis desunt hæc verba *in his quæ « pertinent ad fidem :* in aliis quibusdam Vaticanis, hæc clau- « sula, *ac generalem reformationem Ecclesiæ Dei in capite et « in membris* » (Ellies Dupin, Operum Gersonii tomo I, in præfatione quam inscripsit *Gersoniana*, p. 30, edit. Antuerpiæ, 1706). De qua re videri etiam potest *nota* quæ extat col. 585, tomi XXVII Conciliorum Mansi, editionis Venetæ, anni 1784.

Capitulum autem quod in sessione quinta extat *secundo* loco, non fuisse in quarta sessione publicatum, extra quæstionem est, cum nullibi inter sessionis quartæ gesta reperiatur.

Igitur documentis historicis plene constat, in decretis sessionis quartæ pronuntiatam non fuisse generalis concilii supra Papam superioritatem, nisi in casu schismatis ex Papa dubio. Verba siquidem quæ superioritatem illam exprimere videntur, et quæ in decretis sessionis quintæ reperiuntur, fortiter obstantibus Cardinalibus in sessione quarta non fuerunt publicata.

Quorsum hæc, inquies, siquidem certum est cum dictis verbis publicata fuisse decreta sessionis quintæ? — Utique voluit synodus verba hæc in sessione quinta publicari. Sed hanc ob causam Cardinales illi sessioni assentire renuerunt, et prævium protestationem emiserunt. De quo sit :

Propositio IV^a^. — *Contra decreta sessionis quintæ Constan-*

tiensis prævium protestationem emiserunt Cardinales et oratores regis Franciæ. — Sic habetur in manuscripto coævo quod citat Chelstratus : « Die sabbati, sexta mensis aprilis (1415), cum per prius inter dominos Cardinales et nationes altercatum fuisset super correctione et emendatione capitulorum in præcedenti sessione statutorum, tandem ordinatum et conclusum est, quod supradicta capitula modo infrascripto corrigerentur. Convenientibus itaque dicta die gloriosissimo principe domino Sigismundo Romanorum et Hungarorum rege semper Augusto, reverendissimis Cardinalibus Constantiæ existentibus, cæterisque principibus, prælatis, regum, principum ac dominorum oratoribus et procuratoribus, et aliis in sacro Constantiensi concilio existentibus in Ecclesia cathedrali Constantiensi, *præmissa per Dominos Cardinales et oratores regis Franciæ protestatione, in camera paramentorum palatii Constantiensis secrete facta, quod propter scandalum evitandum ad sessionem ibant, non animo consentiendi his quæ audiverant in ipsa statui debere;* maxime quod Dominus noster Papa et alii in concilio existentes in plena securitate fuerant, quorum plura statuta non sunt, sed ad sessionem aliam reservata ; tandem quinta sessio celebrata est... » (Conciliorum Mansi t. XXVII, col. 594, edit. Venetiis, 1784).

Adnotat *Conciliorum Germaniæ* collector, adeo dictis decretis Cardinales contradixisse, « ut ex sola evitandi schismatis « et scandali causa, non animo consentiendi promulgatis, « Cardinales interfuerint; et Cardinalis Florentinus (Zara- « bella), qui solebat alias ex ambone promulganda promul- « gare, noluerit ea die id facere; sed Andreas Lascarus, « electus Potznaniensis Episcopus, decretum illud promul- « garit. Hinc iterum claret, quod sessione quarta et quinta « nec fuerit concilium œcumenicum, nec concors votum, cui « Cardinales et legatus regis Galliæ et natio Gallica multum « protestando contradixerunt » (*Concilia Germaniæ*, tomo V, pagina 45, edit. Coloniæ, 1763).

Propositio V^a^. — *Modus ferendi suffragia in Constantiensi concilio statutus, non fuit legitimus.* — De hoc anticanonico vota emittendi modo sic habetur in informationibus quas Joannes XXIII cum litteris suis miserat universitati Parisiensi et duci Aurelianensi : « Item quod, licet in concilio generali non debeat nationum differentia fieri, cum apud Deum non sit acceptatio personarum, deberetque dicta congregatio Christi fidelium, una non majori alia uti vocabulo, nullaque deberet esse differentia inter congregationes ibidem, immo omnium ibi venientium velle et opiniones deberent in unum publicum aperiri, et voces omnium super quolibet determinando singulariter rimari, quoniam sensus ad numerum capitum multiplicantur ; hoc tamen in dicto concilio non fuit permissum. Quinimo ordinatum exstitit, ut quælibet natio in illo haberet unam vocem dumtaxat, quamvis in natione Gallicana essent Ecclesiæ et voces notabiles, in Italia similiter, et multo plura supposita quam in cæteris nationibus[1].

« Item quod, licet facta ordinatione quod non essent nisi quatuor nationes, et illæ haberent quatuor voces, unaque alteri æquipareretur, nulla habita differentia meriti ad meritum et numeri ad numerum, procurata extitit unio duorum nationum, scilicet Germanicæ et Anglicanæ...

« Item quod, in concilio secundum sacrorum canonum sanctiones, voces habere non debeant nisi Cardinales, Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, quorum voces requirendæ sunt in sessione publica seu publicis sessionibus, et non in particularibus consiliis, hoc tamen mutatum fuit contrariis affectionibus. Quoniam quicumque ad concilium (ad ipsa consilia) fuit admissus, nulla facta differentia an foret clericus vel laicus, solutus vel conjugatus, graduatus vel non graduatus, honestus vel abjectus. Quorum voces, resecatis vocibus præ-

(1) Ita in manuscripto codice *Vindobonensi* et aliis Germanicis. In *Lypsiensi* vero sic habetur : « Licet in natione Gallicana essent trecentæ voces notabiles, et in Italia totidem; ubi erant in illis duabus nationibus ducenti prælati comparentes ibidem personaliter, et de Anglia ibi erant prælati tres tantum, et cæteri clerici novem in numero » (Conciliorum Mansi tomo XXVIII, col. 15, edit. 1785).

latorum, acceptatæ sunt usquequaque, non obstantibus contradictionibus ipsorum prælatorum. Et quod deterius est... » (Conciliorum Mansi tomo XVIII, col. 14 et 15, edit. Venetiis, 1785). Has emittebat querelas Joannes XXIII, postquam ex urbe Constantia clam aufugerat. Cujus testimonium etsi in multis suspectum ac despiciendum, verum tamen est quoad hæc duo : primo, per nationes, et non per singularia vota, peractas deliberationes : secundo, non Episcopos tantum, sed laicos etiam et uxoratos vocem habuisse.

Cæterum idem constat litteris e concilio Constantiensi, ex parte nationis Italicæ, ad principes et Universitates Italiæ missis. Ibi nempe Joannis XXIII querela sic commemoratur : « Conqueritur.... quod deliberationes non per votos vel « vota singulorum, sed per nationes petebantur, contra mo- « rem concilii generalis. » Tum huic querelæ respondetur in hunc modum : « Cæterum texitur in casu querela, quod deliberationes datæ sunt per nationes, non per singularium voces. Qui modus procedendi tentus et habitus viam utramque complexus est, ut plus ordinis et compendii, quanto minor erat multitudinis confusio, servaretur. Unde per deputatos solemnes nationum primo sigillatim, post adjunctim communicato concilio, dehinc per ipsas nationes, ubi singulis sua vox libera erat, tandem collectis in unum nationibus ac reverendissimis Patribus Cardinalibus, in sessione publica, quærebatur palam super singulis articulis advisatis et præconciliatis, si placerent, præmissa lectione ex prisca conciliorum forma, ut cuilibet liceret dicere quid vellet, quatenus doceretur vel doceret. Arbitramur ex his perspicuum esse, quod rite, prudenter et recte processit hæc synodus. Sed dolet fortassis dominus Papa non prævaluisse multitudinem quorumdam titulatorum convocatorum sedulo et certatim concurrentium, qui quia multi essent numero, sed pauci gravitate vel merito, nec ipsi prospeximus, et evanuerunt subito tanquam nebulæ matutinæ. Postremo fuisset nimia liberalitas omnium ad hanc sacram synodum

confluentium, sic intenta relicta per quosdam Domino Papæ, ne de eo verbum fiat, carnaliter complacere volentes, impingere caput ejus adulationis oleo, ut in ipsos odor lucri reflueret » (Conciliorum Mansi tomo XXVIII, col. 19 et 20, edit. Venetiis, 1785).

Ibi sane sese ipsos produnt illi (qui in Constantiensi concilio prævaluerunt) systematis de voto per nationes ferendo propugnatores. Ideo enim inductum hoc systema fatentur, ne a majori Episcoporum numero decisiones penderent. Sed quod in synodo, etsi cæteroquin œcumenica, aliter definitur quam ab Episcopis cum legitimo Ecclesiæ capite, non est nec dici potest definitio illius concilii œcumenici : sed est dumtaxat factionum in illa synodo existentium inane atque irritum tentamen.

Propositio VI^a^. — *Dicta decreta Constantiensia sessionis quartæ*[1] *et quintæ nihili facienda sunt, quia hujus synodi potestas ad hanc materiam sese non extendebat.* — Ita sentiendum, si vera sint sequentia : 1° pro certissima tenenda est generalis regula, legitimum non esse concilium quod ex toto orbe absque Romani Pontificis auctoritate congregatur ; 2° ab hac quidem firmissima regula excipiendus est casus quo nescitur quis ex pluribus de Papatu contendentibus, sit verus Pontifex et urget tollendi schismatis inde provenientis necessitas ; 3° ast concilium in hoc casu absque auctoritate certi ac legitimi Romani Pontificis congregatum, ad nihil aliud potestatem habet, quam ad ea quæ moram non patiuntur, id est, ad providendum de Papa certo, ad tollendum schisma, et alia disponenda, si quæ sint, quæ absque Ecclesiæ discrimine remitti nequeant ad tempus quo certus aderit Christi vicarius. Atqui hæc tria certissima sunt. Quod sic, inter alios probat Cardinalis Albani, in suo tractatu *de Potestate Papæ*, quem edidit circa annum

(1) Melius poneremus dumtaxat *quintæ ;* siquidem, ut probavimus, verba quæ concilii supra Papam jurisdictionem exprimere videntur, in sessione *quarta* publicata non fuerunt, sed tantum in *quinta*. Quia vero adversarii in utraque sessione verba hæc promulgata existimant, juxta illam falsam ipsorum hypothesim, ad juris abundantiam, hic ratiocinamur.

1453 (hunc tractatum reperies in magna 25 voluminum in folio compilatione, cui titulus *Tractatus universi juris in unum congesti*, parte prima tomi XIII, folio 66, edit Venetiis, 1584) :

« Nec adversus prædicta omnia urget constitutio in quarta et quinta sessione a Constantiensi concilio edita, et qua cautum est : quemcumque cujuscumque status et dignitatis etiam si papalis existit, obligatum esse parere præceptis illius et cujuscumque alterius concilii legitime congregati, in iis quæ pertinent ad fidem et extirpationem schismatis et ad reformationem Ecclesiæ in capite et in membris. Quorum verborum occasione dici non potest quanta sit exorta perturbatio, et quam multi conati sint supremi capitis imminuere potestatem. Qui et ingenio et doctrinæ gloria florentes, postea quam plurimis auctores fuere ita sentiendi, et hujus altercationis et civilis atque intestini belli, in Ecclesia excitandi, de hac majoritate potestatis..., atque in hisce potissimum refellendis quæ vim magnam habere existimantur, quanta potuimus diligentia dedimus operam... Opinamur sanctiones illas, ita intellectas ut futuris pontificibus indubitatis normam dare nitantur, *ferri nullo jure potuisse*. Idque duobus vel præcipuis concluditur argumentis :

« Primum est, quoniam concilia quæ sine jussu certi atque indubitati Pontificis congregantur legitima non sunt. Nam concesso Romani Antistitis principatu, de quo latissime jam antea disseruimus, sequitur membra sine capite et oves sine pastore congregari jure non posse. Nam ad illius solius auctoritatem pertinet et concilia congregare, cui omnes fideles obedire tenentur. Sed Papa ille est cui tota parere debet Ecclesia... Præterea si ad alios etiam hæc auctoritas pertineret, facillime schisma oriri posset; cui ut occurratur solum ad Papam eam spectare opus est confiteri » (parte II, n. 187 et seq.). Idem fuse ibi probat ex Patrum et conciliorum testimoniis usque ad n. 229 ; tum ita prosequitur : « Hæc igitur omnia apertissime concludunt, robur nullum habere concilia injussu Pontificis congregata.

« Ab hac autem firmissima regula, casus tollendi schismatis, et alii qui moram non patiuntur excipi solent; quoniam tunc ideo sine jussu Papæ concilia convocantur, quo necessarium opportuno tempore fluctuanti Ecclesiæ tribuatur auxilium; atque id tamen fit vi Pontificiæ potestatis, ut prædictum est, quæ ad universitatem Episcoporum recidit, in illis dumtaxat casibus...; alia vero negotia quæ differri possunt futuro Pontifici relinquuntur, ut docuit Decius (in capite *Osius*, de elect.); ubi ait, hoc ipsum in synodo Constantiensi de qua agimus fuisse conclusum; idque Cardinalem sancti Sixti (*id est cardinalem de Turre Cremata*) in sua *Summa* retulisse.

« Iis hunc in modum expositis et intellectis, jam contra prædictas constitutiones clarissima fiet illatio : quoniam causa quare concilium illud Constantiense convenerat, ea potissimum fuit, ut schisma tum vigens tolleretur... Idque tam ex bulla Joannis XXIII, in qua illius concilii indictio continetur, quam ex jurejurando ab eodem suscepto colligitur. Quare sequitur illius concilii potestatem fuisse *ad illos dumtaxat casus coarctatam* qui congregationi illi causam præbuerunt, extra quos illæ sunt constitutiones de quibus agimus, quæ futuris indubitatis Pontificibus normam dare videntur. Atque ideo jure dicimus eas *ex defectu potestatis irritas esse et inanes*. Nam cum Patres illi suæ jurisdictionis limites egrederentur, qui erant in tollendo schismate ob pericula imminentia constituti, ab eis edi jure statuta non potuerunt, quæ ad illos præcise casus non pertinerent, qualia sunt prædicta... Quapropter jure affirmamus, quidquid fuit extra negotium schismatis, et alia quæ moram non patiebantur, a Constantiensi concilio constitutum, id totum nullius fuisse roboris et momenti. Et ratio est in promptu : nam sublata schismatis occasione, dato indubitato Pontifice, Patres illi sine ejus auctoritate convenire non potuissent... Longe minus igitur, ob aliud congregati, potuerunt Pontificiæ potestatis amplitudinem coercere, quod est plus... Et quo recte intelligatur quonam modo con-

ciliorum differant potestates, sic distinguas necesse est : Aut enim sine Pontifice colliguntur (quod in casibus tantum qui citra periculum differri nequeunt fieri conceditur) et tunc ad illos præcise casus illorum potestas est coarctata, ut proxime dictum est; aut a Papa convocantur, qui vel ad certa negotia expedienda suam impertitur auctoritatem ; et tunc similiter quidquid extra illa fit irritum est, ut Leo docuit et Gelasius confirmavit... : vel denique plenam eis exhibet potestatem ; et eo casu possunt quæcumque negotia diffinire... Ad rem igitur redeuntes, dicimus, quod etiamsi tota Episcoporum universitas in Constantiensi synodo adfuisset, tamen cum eorum omnium potestas esset ad casus instantis necessitatis coarctata, ab eis promulgari sanctiones illæ non potuissent, quæ postea legitime creati et certi Pontificis autoritati derogarent. Tales autem videntur esse constitutiones quartæ et quintæ sessionis hujus concilii, si eo modo quo ab oppugnantibus Pontificiam majestatem intelligantur » (ita Cardinalis Albani, in *secunda* parte sui tractatus *de Potestate Papæ*, a numero 187 ad 227).

Propositio VII[a]. — *Dicta decreta Constantiensia sessionis quartæ et quintæ nihili facienda sunt, quia neque concilii indictio, neque fama publica catholici orbis Episcopos præmonuerat, tractandum fore de auctoritate concilii supra Papam : et ideo quoad illam materiam, jus absentium, id est majoris partis Episcoporum, non devolutum fuit ad præsentes.* — Ut perspiciatur peremptorii hujus argumenti vis, nonnulla prænotanda sunt. Quando agitur de jure seu potestate alicui *universitati* seu alicui collegio competente, certum est non valere quod a præsentibus membris majorem collegii partem non constituentibus decernitur, nisi absentes ad deliberationem vocati fuerint, et sciverint de quanam re statuendum sit, et venire noluerint, et de eorum contumacia constiterit. Quod si omnes vocati sint, et noverint de quo agendum sit, qui adesse negligunt, merito censentur juri suo renuntiare et ratum habere quod a præsentibus decernetur; sicque totius universitatis seu collegii potestas ad

præsentes, numero pauciores, devolvitur. Elapso igitur sufficienti ad accessum tempore, si multi non comparuerint, satis constat de eorum contumacia, id est, de eorum negligentia; et ex tunc possunt præsentes de re proposita cum tota universitatis potestate decernere. Sed bene notetur apposita hæc conditio : *Omnino necesse est ut absentes apprime prænoverint de quonam negotio tractandum sit.* Alias enim irritum erit quod a præsentibus de hoc negotio decernetur. Certum quippe non est absentes non accessuros fuisse si prænovissent de tali materia statuendum fore. Proinde ex eo quod accedere neglexerint, non sequitur eos juri suo renuntiasse et ratam habere voluisse præsentium de hoc negotio decisionem. Sunt hæc omnino certa atque indubitata principia de valore statuendorum, quando valor ille ab alicujus universitatis seu collegii consensu dependet.

Equidem in concilio cui præest Romanus Pontifex legitimus et de cujus legitima electione nullum extat dubium, si contingeret decerni aliquod negotium, de quo nihil in indictione expressum fuisset, valeret decretum accedente Pontifi cis confirmatione. Cum enim ita decernere valeat solus Pontifex extra concilium, id etiam valet in concilio qualicumque. Ast synodi Constantiensis tempore, tres de Papatu contendebant, et dubium erat quinam ex eis verus ac legitimus existeret. Unde tunc statuendorum vis ab universitate seu collegio omnium catholici orbis Episcoporum tota dependebat. Hinc si major pars Antistitum a Constantiensi concilio abfuerit, et nullatenus præmonita fuerit tractandum fore de superioritate concilii supra Papam, etiam certum decretum de hac superioritate, a præsentibus in concilio latum, omnino irritum censendum est; eo quod scilicet jus totius universitatis Episcoporum ad præsentes in concilio quoad ejusmodi decisionem nullatenus devolutum fuerit. Porro ita se res habuit. Nimirum in indicenda synodo unicum a Joanne XXIII exprimebatur de tollendo schismate negotium. Ad hunc scopum synodum indici exprimebatur. De statuenda autem concilii

supra Papas certos superioritate, ne minimum quidem occurrebat verbum. Sed neque ex fama publica præsentire potuerunt Episcopi per orbem dispersi, in futura synodo deliberandum et definiendum fore, num Papa certus concilio generali subjiceretur. Ergo quoad tanti momenti decretum, ad præsentes in synodo Constantiensi devoluta non fuit potestas Episcoporum absentium, quos præsentibus multo numerosiores fuisse constat. Ergo decretum istud a præsentibus absque necessaria ad id potestate latum est : ergo nulliter.

Nec putet quis noviter aut forsan a me primum excogitatam ejusmodi argumentationem. Totam desumpsimus ex citato opere Cardinalis Albani, qui jam ante incœptam Tridentinam synodum hoc idem in dictis Constantiensibus decretis nullitatis vitium ita urgebat :

« Sed aliud quoque argumentum afferri contra potest. Nam etiamsi cœtus Episcoporum omnium, quorum congregatione concilia consistunt, ut statim aperiemus, ampla quorumcumque judicandorum potestate perfrueretur (id quod jure optimo negatum est), hoc tamen posito, constitutiones illæ a concilio Constantiensi eo modo decerni non potuissent. Animadvertendum enim est, ut tetigimus, jurisdictionem quæ ad concilium spectat, ad universitatem habentium jura episcopalia pertinere, canone *Satis evidenter* 7, distinctionis XCVI; ubi habetur illicitum esse eum qui non est in ordine Episcoporum ecclesiasticis intermisceri tractatibus. Idque ab omnibus communiter confirmatur... Hinc legitur apud concilium Chalcedonense, Episcopos ibi commorantes, cum intellexissent nonnullos Ægyptios qui non erant Episcopi una cum Dioscoro Chalcedonensi petiisse ut concilio interessent, clamasse omnes, concilium Episcoporum esse, aliosque esse ejiciendos. Et ideo Leo Papa concilium Chalcedonense concilium episcopale appellavit. De consuetudine tamen admittuntur etiam Abbates et generales ministri Ordinum religiosorum, et omnes illi qui cum promoventur ad dignitatem

jurant venire ad concilium... Ii autem neque ad votum decisivum admitterentur, nisi auctoritate Summi Pontificis accedente... Cum vero ad synodum illam (Constantiensem), si eorum qui aberant numerus spectetur, minima Episcoporum pars convenisset, consequens est eam nihil prorsus extra causas in concilii indictione expressas, decidere potuisse. Ratio est in promptu : nam soli præsentes nunquam possunt auctoritatem exercere quæ ad universitatem spectat, nisi accusata ac plane certa absentium contumacia. Tunc enim cum omnes in urgentibus negotiis moneantur, qui venire negligunt, ipsi seipsos a ferendis suffragiis excludunt...; et eorum potestas ad solos præsentes recidit, licet numero pauciores... Et ideo tria in indictione concilii, ne a re proposita digrediamur, exprimi solent, causa, locus et tempus; ut iis omnibus publice intellectis, contumaces penitus excludantur, et in solis præsentibus legitimum esse concilium intelligatur. Ita prædicti sapientes et diuturni mores docuerunt, qui pro lege non immerito custodiuntur. Cum igitur Patres ad concilium Constantiense requisiti fuerint et citati, *pro sedando schismate* et procuranda inter fideles pace, ut prædictum est, qua auctoritate soli præsentes alia in indictione non contenta negotia, præsertim tam ardua, expedire potuissent? Si enim id vi propriæ potestatis egissent, non licuisset, cum illi Patres essent numero absentibus inferiores, ad quos non incogniti juris est totius universitatis auctoritatem jure proprio non pertinere... Si vero vi devolutæ ad eos potestatis ob absentium contumaciam id sibi licere existimassent, et hoc longe minus audere debuerant, cum absentium jura ad solos præsentes non recidant, nisi eorum contumacia præcedente. Absentes vero ad tollendum schisma et ad casus qui moram non patiebantur citati fuerunt, non autem ad restringendam Romani atque indubitati præsulis auctoritatem. Igitur nulla fuit eorum contumacia, quæ solum a neglecta provenit citatione..., nec eorum potestas erat ad alios devoluta. Quare constanter sentio his potissimum duabus rationibus consti-

tutiones illas ita expositas et intellectas non valere » (*de Potestate Papæ*, parte secunda, a numero 227 ad 237).

Propositio VIII^a. — *Quartæ et quintæ sessionis tempore, Constantiense concilium non fuit œcumenicum.* — Id compendiose *Conciliorum Germaniæ* compilator exposuit in hunc modum : « Altera quæstio est de generalitate hujus concilii Constan- « tiensis. Licet enim cleri Gallicani opinio sit, anno 1682 « declarata, et a clarissimo viro Hardtio sexcenties repetatur « hic titulus, *magnum et œcumenicum concilium Constantiense*, « videtur tamen minime illi titulus hic convenire ante ses- « sionem XXXV, celebratam die 18 junii 1417, qua fuit per- « acta unio ambassiatorum regis Aragoniæ et Castillæ; « adeoque catholicæ tunc notæ nationes omnes in suis le- « gatis unitæ repræsentare poterant Ecclesiam universalem. « Id historiæ series docet : sessioni I et II sola obedientia « Joannis XXIII intererat. Sessioni XIV accessit obedientia Gre- « gorii XII. Sessioni XXXV accessit Hispania, Castilla, Aragonia, « Portugallia, Sicilia, Scotia, quæ se substraxerunt obedien- « tiæ Benedicto XIII juratæ. Et sic ultimæ novem sessiones « concilii Constantiensis possunt dici celebratæ a *conventu* « *Ecclesiam universalem repræsentante*. Et triginta quatuor « priores sessiones sunt conventus quatuor nationum, Ger- « manicæ, Italicæ, Francicæ et Anglicanæ : neque harum qui- « dem integrarum; nam Germaniæ rex Sigismundus et multi « principes Germani steterunt pro Gregorio XII usque ad « sessionem XIV. Italiæ natio divisa erat » (*Concilia Germaniæ*, t. V, p. 45, edit. Coloniæ, 1763).

Ad sessiones quartam et quintam, quod attinet, non tantum sola Joannis XXIII obedientia eo tempore constabat synodus, sed et notabilis hujus obedientiæ pars earum sessionum decretis adversa fuit. Eis quippe contradixit Joannes XXIII, qui synodo aufugerat; contradixere Cardinales, cum regis Galliæ legatis, emissa protestatione. Quod postquam documentis patefecit laudatus *Concilioram Germaniæ* collector, ita concludit (loco citato) : « Hinc iterum claret, quod sessione

« quarta et quinta nec fuerit concilium œcumenicum, nec « concors votum, cui Cardinales et legatus regis Galliæ et « natio Gallica multum contradixerunt. »

Idem sic propugnat Cardinalis Albani : « Huc accedit, non deesse magni nominis viros qui testantur, quo tempore decreta illa promulgata fuere, unam tantum ex tribus sectis quæ tres illos, qui se pro Pontificibus gerebant, sequebantur, interfuisse, cum nondum reliquæ duæ convenissent. Affirmantque propterea Franciscum Zarabellam Cardinalem, dum in concilio Constantiensi illam constitutionem publicaret, legere noluisse partem illam quæ est de reformatione capitis et membrorum, tanquam quæ subreptitia foret. Ita Panormitanus ait, in quodam suo tractatu nondum excuso, in quo declaravit quid de concilio Basileensi sentiebat. Et alii celebres auctores id confirmarunt. Quod etiam ex eo vel maxime comprobatur, quoniam deinceps quando aliæ quoque sectæ ad synodum accesserunt, denuo fuit indictum concilium, ut legitur sessione XXXV. Ex quo conjici potest illosmet Patres sensisse concilium ante illam indictionem legitimum non fuisse. Et ex mente Joannis de Turrecremata, in libro secundo suæ *Summæ*, capite XCIX, rursus objicitur decretum illud non fuisse in ea forma promulgatum, ut generaliter omnem synodum complecteretur, sed eam tantum quæ ad tollendum schisma convenerat. Atque ideo earum constitutionum invaliditas tanto magis esset manifesta. Et ideo Cardinalis Jacobatius, in *Tractatu de concilio*, libro V, multas rationes adducit, quibus ostenditur bonum esse si dictum decretum nullius fuisse roboris et momenti declararetur. Ad quod accedant ea quæ habentur per Joannem de Turrecremata in dicto capite XCIX, ubi multa notatu digna contra illius decreti validitatem inveniuntur, quæ brevitatis gratia præteribo » (Cardinalis Albani, *de Potestate Papæ*, parte II, n. 246).

« Nec urget si quispiam forte alio exceptionis genere uteretur, objiciens Martinum V, certum jam et indubitatum

Pontificem, gesta illius concilii confirmasse. Nam ab illa confirmatione nostra hæc opinio confirmatur. Si enim decreta illa omnia, exceptis casibus in quibus Ecclesiæ periculum imminebat, irrita non fuissent ob supremæ defectum auctoritatis, Patres illi non affectassent ut a certo jam Pontifice approbarentur. Cum autem Martinus eis dumtaxat robur addiderit quæ fidei sunt, ut in confirmatione legitur, illud sequitur, ut alia omnia in sua permanserint infirmitate. Præterea etiamsi Martinus voluisset nullo habito discrimine omnia confirmare, id in successorum præjudicium qui parem habent potestatem facere non potuisset. Ea tamen quæ fidei sunt excipio, quibus successores etiam astringuntur : in reliquis secus. »

Propositio IX^a. — *Dicta decreta Constantiensia sessionis quartæ et quintæ nihili facienda sunt, quia logice ad schismata deduxerunt, fueruntque generali Ecclesiæ sensu et praxi reprobata.* — Hac de re sic Cardinalis Albani (*de Potestate Papæ*, parte II, n. 237 et seq. : « Et hujus solidissimæ conclusionis veritatem apertiorem fore arbitramur si effectus animadvertatur qui deinde ab illis sanctionibus hoc modo intellectis provenerunt. Solent enim causæ ab effectu plerumque cognosci... Cæterum quid aliud quam schismata et magna in Ecclesia Dei dissidia pepererunt? Basileenses enim earum auctoritate potissimum freti, Eugenium IV sua sententia de sede ejecerunt, electo in ejus locum Felice. Tandem tamen nutu Dei, et Eugenio et Nicolao ejus successori universalis adhæsit Ecclesia, et merito... Dico synodum illam (Basileensem) pro certis tantummodo negotiis expediendis fuisse collectam; nimirum ut Græcorum et Latinorum antiqua et notissima dissidia tollerentur, ut hæretici damnarentur, atque ut bellorum discrimina sedari possent, ut notum erat. Idque ex gestis illius concilii vere percipi potest, si recte capitulum illud consideretur in quo illius congregationis intentio declaratur. Cum igitur multi Episcopi ob causas præmemoratas ad illud concilium non accesserint, qui procul dubio ad de-

ponendum seu confirmandum certum Pontificem accessissent, si ad id citatio vel saltem fama aliqua præcessisset, quomodo soli illi præsentes ejecto Eugenio, ad quam rem non erat indictum concilium, nec etiam fama ulla præcesserat, iniquissimæ temeritatis crimen effugient?... Neque multo post aliud schisma contra Julium II originem traxit. » In his duobus schismatibus ad praxim reductæ fuerant dictæ constitutiones Constantienses; et tamen ea schismata reprobavit universalis Ecclesia.

« Ex quibus omnibus luce clarius constat, tum validissimis rationibus a nobis adductis, tum malis eventibus ob hoc subsecutis, tum etiam universalis Ecclesiæ consensu, prædictas constitutiones, si contra Pontificiam potestatem intelligantur, minime ferri potuisse, et in eis condendis Dei spiritum non adfuisse » (ibid., n. 245).

Propositio X^a^. — *In Constantiensi concilio sublatum est schisma sine usu potestatis concilii supra Papam.* — Hanc valde attendendam conclusionem probat Ballerinius (*de Potestate ecclesiastica*, capite IX, § 4) in hunc modum : « Hic tam expetitus unitatis et pacis effectus tum prospere cessit, cum Martino V, a memorato concilio electus, solus certus et legitimus Pontifex extitit. Quomodo autem id evenerit *sine usu potestatis concilii supra Papam*, paucis dicam. Ejus electio peracta est post cessionem seu renuntiationem liberam Gregorii XII, qui probabilius verus Pontifex erat, et post depositionem aliorum duorum, Joannis nimirum XXIII, et Benedicti XIII; sed ita ut Joannes, qui depositioni suæ (non solum ante sententiam, sed postea etiam) publicum et solemnem præbuit assensum, antequam Martinus eligeretur, hoc assensu sese quodammodo Pontificatu abdicavit. Quod si hæc omnia is fecit, dum esset in custodia, acta nihilominus dici nequeunt ex metu cadente in constantem virum, quo libertas ejusmodi actis necessaria tollitur ; hic enim metus in eum non cadit, qui ex metu id facit quod jure et juste facere debet. Joannes autem XXIII, ad restituendam Ecclesiæ unitatem et pacem,

jure naturali ac divino renuntiare debebat Papatui, ut promiserat ac juramento etiam firmaverat. Satis itaque voluntarius ac liber fuit ejus assensus depositioni præstitus, etiamsi ob aliquem metum fuisset elicitus. Multo autem evidentius voluntarius est agnitus, cum liber e custodia Florentiam advolans, ubi erat Martinus V, huic suam cessionem et obsequium declaravit.

« Restabat Petrus de Luna, dictus in sua obedientia Benedictus XIII, qui nec cum Gregorio XII juri suo in pontificatum voluit renuntiare, nec cum Joanne XXIII concilii sententiæ sese subjicere, nec ante nec post sententiam, consensit. Omnem nihilominus difficultatem dispellit sententia in ipsum lata tanquam schismaticum et hæreticum; quippe qui sub finem concilii in apertum schisma et hæresim lapsus, ex ipso schismatis et hæresis crimine ab Ecclesia separatus, jam a primatu exciderat, et primatu suo vitio ac voluntate spoliatus, Pontifex amplius non erat superior concilio, sed juri et sententiæ concilii suberat. Id quomodo verissimum sit, explicandum. Cum certum est hominem schismaticum non esse in Ecclesia catholica ; tum vero æque indubium est schismaticum ab Ecclesia catholica sejunctum non posse esse caput ejusdem Ecclesiæ, nec verum legitimumque Pontificem primatus jurisdictione præditum, cum nulla sit jurisdictio nisi in unitate Ecclesiæ (vide Antoninum, parte II, titulo III, capite XI, § 7, conclusione 3, ubi cancellarii Parisiensis sententiam recitat). Schismaticus autem non ille solus est qui separatur a capite ipsius Ecclesiæ Romano Pontifice (a quo quicumque separatur, ab ipsa Ecclesia catholica illi unita tanquam capiti est pariter separatus), sed ille etiam ac potissimum qui sit divisus a corpore et unitate Ecclesiæ et cum catholica Ecclesia nequaquam communicet. Nam, ut docuit Augustinus (*de Unitate Ecclesiæ*, capite IV), *quicumque ab ejus* (Christi) *corpore, quod est Ecclesia, ita dissentiunt, ut eorum communio non sit cum toto quacumque diffunditur, sed in aliqua parte separata inveniatur, manifestum est eos non esse in catholica Ecclesia.*

Porro Ecclesiæ corpus, quod ob schisma hujus temporis in tres partes, seu (ut vocabant) obedientias fuerat divisum, coaluerat in unum, cum tres illæ obedientiæ per Constantiense concilium ad unitatem venerunt. Id non sub hujus concilii initium factum est, sed tunc cum post coadunatas duas obedientias Joannis XXIII et Gregorii XII, agentibus cum Sigismundo rege concilii legatis, cæteri, ac tandem Hispani, qui difficiliores fuerant, ex tertia Benedicti XIII obedientia accesserunt ad unitatem, exceptis paucissimis huic pertinaciter adhærentibus in Paniscola, Hispaniæ angulo, qui procul dubio catholica Ecclesia dici non poterant. Cum ergo post omnium obedientiarum ac totius corporis unionem Benedictus ab illis separatus, sejunctus esset a corpore et unitate Ecclesiæ catholicæ[1], schismaticus vere esse cœpit; immo etiam hæreticus manifestus, quippe qui Ecclesiam Christi inter paucos suos partiarios in Paniscola inclusam crederet, pertinacissimeque prætenderet; ita ut legatis a synodo missis dixerit : *Ibi* (in Constantiensi) *non est Ecclesia, sed in Paniscola est vera, inquam, Ecclesia : et verberando manum suam ad cathedram suam, dixit : Hic est arca Noe, in qua paucissimi erant.* De Constantiensibus autem, qui ex omnibus obedientiis coaluerant, pronuntiavit : *Ipsi magis sunt schismatici quam ego.* Id Donatistarum errorem præfert, quo ad eos paucos in Africæ angulo Donati partem sequentes veram Ecclesiam redactam putabant; hocque nomine non solum schismatici, sed hæretici etiam fuere, inficiantes veræ Ecclesiæ prærogativam, id est, *catholicæ*, toto orbe diffusæ. Hoc itaque duplici schismatis et hæresis causa Benedictus XIII (si verum Pontificem fuisse existimes) ipso facto sua voluntate primatu et pontificatu exauctoratus, rite ac legitime deponi potuit a concilio tanquam schismaticus et hæreticus; quod cum non

(1) Hac in hypothesi Papam posse fieri schismaticum docuit Sylvius (in 2 2 S. Thomæ, tit. III, q. 39, a. 1) *si Pontifex seipsum separet a communione catholicorum Episcoporum aliorumque fidelium, et solum communicet cum quibusdam sibi adhærentibus.*

congrueret Joanni XXIII, in sententia contra hunc edita declaratum non legitur.

« Vides interim, quibus modis divina providentia usa est ad abolendum per Constantiensem synodum pertinacissimum schisma, ut ne opus esset eamdem synodum quicquam juris exercere ad deponendum sua auctoritate quempiam verum, licet ignotum, actualem Pontificem. Gregorium enim, qui probabilius erat verus et legitimus Papa, non deposuit, cum sponte cesserit. Joannem vero XXIII, si verus Pontifex fuisse credatur, deposuit quidem, sed ex ejus voluntate atque consensu, qui cessioni æquivalet. Solum Benedictum XIII post adunatas obedientias deposuit invitum, cum renuens accedere ad unitatem et Pontificatui cedere, persistens pertinacissime in manifesta separatione a corpore Ecclesiæ catholicæ jam adunatæ, sese schismaticum et hæreticum prodidit, ex quo in depositionis sententia ipsum synodus schismatis et hæresis nominibus ab Ecclesia præcisum, et Pontificatu quem prætendebat depositum declaravit, potiusquam deposuit. Necessitas ergo remedii, ex qua generali concilio jus coactivum tribuendum credebatur supra Pontifices in extraordinariis casibus memoratis a Constantiensi, ac præsertim in difficillimo ejus temporis schismate, quomodo evanuerit, ex hactenus disputatis quisque intelliget. »

Ita quidem clarissimus Ballerini. Ego vero non admitto posse verum Papam in schisma aut hæresim labi, etiam sese scindendo ab Ecclesiæ corpore. Proinde non admitto Petrum de Luna, si forte fuerit legitimus Pontifex, e papatu excidisse quatenus schismaticum et hæreticum. Sed alia via devenio ad eamdem conclusionem, id est, a Patribus Constantiensibus finem schismati impositum *quin ullam jurisdictionem in verum Papam exercuerint*. Nimirum hac ratione : ante Martini V electionem jam certum et notorium evaserat Petrum de Luna non esse verum Pontificem; utpote qui de facto a tota generaliter Ecclesia derelictus fuerat, quod nunquam quoad verum Pontificem contingere potest. Id ex professo

probatum vide infra (parte *tertia*, sectione *quarta*, capite IV, § 3 et 4).

Propositio XI[a]. — *Quartæ et quintæ sessionum Constantiensium decreta non fuerunt a Martino V confirmata.* — Contrarium asseruit clerus Gallicanus in comitiis anni 1682. In secundo siquidem e quatuor tunc pronuntiatis articulis, dicitur : *Valeant atque immota consistant sanctæ œcumenicæ synodi Constantiensis a Sede Apostolica comprobata... decreta..., quæ sessionibus quarta et quinta continentur.* Sed merum commentum est prætensa illa Sedis Apostolicæ approbatio. Quod ut pateat expendamus Martini V verba, quibus eam exprimi dictitant. Sic habetur in regestis, juxta editionem quæ *prima* nuncupatur : « Sessio XLV et ultima — de dissolutione concilii — die veneris, 22 mensis supradicti aprilis (1418) fuit celebrata sessio generalis... Reverendissimus pater dominus Umbaldus... Cardinalis, de mandato ipsius Domini nostri totiusque sacri concilii... pronuntiavit hæc verba, videlicet : *Domini, ite in pace.* Et responsum fuit, *amen.* Quo facto R. P. Joannes Podimitis Episcopus Catanensis..., de mandato domini nostri Papæ et consensu sacri collegii, ut asseruit, ambonem ascendit.

« Antequam autem ad alia se diverteret seu procederet, ambassiatores serenissimi Principis Uladislai Poloniæ regis, et illustrissimi principis domini Alexandri, alias Witoldi, magni ducis Lituaniæ, petierunt nomine dictorum dominorum quemdam libellum et in eo contenta cujusdam fratris Joannis Falkemberg, notorie crudelissimos errores et hæreses (ut dixerunt) continentem, rite damnatum tanquam hæreticum per deputatos in causa fidei, ac etiam per omnes nationes concilii..., in sessione publica per sacrum concilium damnari seu publice damnatum pronuntiari antequam præsens concilium dissolveretur, sanctissimo domino nostro Papæ præfato humiliter supplicarunt : alioquin, nomine quo supra, protestabantur de gravamine et de appellando ad futurum concilium.

« Quibus sic factis, sanctissimus dominus noster Papa dixit respondendo ad prædicta : *Quod omnia et singula determinata, conclusa et decreta in materiis fidei per præsens concilium conciliariter, tenere et inviolabiliter observare volebat, et nunquam contraire quoquo modo ; ipsaque sic conciliariter facta approbat et ratificat, et non aliter nec alio modo.* Et illud idem iterato fecit dici per organum domini Augustini de Pisis, fiscalis..., qui nomine Papæ a protonotariis et notariis ad scribendum acta concilii ordinatis et deputatis petiit instrumenta publica fieri » (Conciliorum Mansi tomo XXVII, col. 1198, edit. Venetiis, 1784).

Verba quibus approbatas a Martino V quartam et quintam sessiones contendunt, sunt illa ipsa quæ sublineavimus : non in aliquo Pontificio decreto consignata, sed oretenus dumtaxat a Pontifice prolata, et in regestis authenticis commemorata. Ea scilicet pronuntiavit Martinus V, cum jam ad claudendam synodum dictum fuisset *Ite in pace*, et concionator in ambone jam staret, ultimam ad Patres piam exhortationem habiturus.

Præfata porro verba prætensam approbationem non continent, sed aperte excludunt. Dicit enim Pontifex se non approbare ac ratificare nisi ea quæ decreta fuerant in materiis fidei *conciliariter*. Quænam autem censenda sunt in synodo Constantiensi *conciliariter* facta? Non sane ea quæ decreta sunt antequam synodus œcumenica evaserit; item non ea quæ decreta sunt, non ab integro concilio, sed ab aliquibus dumtaxat ejus partibus : item non ea quæ decisa sunt absque legitima emittendorum suffragiorum forma. Jam vero :

1° Quando celebratæ sunt sessiones quarta et quinta, Constantiense concilium nequaquam fuit œcumenicum, ut probavimus propositione 6ª. Aderat siquidem sola obedientia Joannis XXIII.

2° Nec ab integra synodo facta sunt dictarum sessionum decreta. Tunc siquidem aufugerat Joannes XXIII. Cardinales

autem cum regis Galliæ oratoribus iis decretis contradixerunt, ut probatum est supra, propositione IV[a].

3° Suffragia data sunt, non a singulis Episcopis, exclusis laicis ; sed per nationes, admissis laicis et uxoratis ; ita ut dici nequeat definitum fuisse juxta sententiam majoris partis Episcoporum ; ac consequenter ejusmodi decreta non sint nec dici possint *conciliariter* facta (vide probatum propositione V[a]).

Ergo Martinus V, testando non ratificari a se nisi quæ *conciliariter* in materiis fidei peracta fuerant, hoc ipso sessionum quartæ et quintæ decreta implicite reprobavit, nedum confirmaverit.

Idem præterea colligendum venit ex circumstantiis. *Primo* notet lector nullam existere Pontificiam bullam seu constitutionem, qua Martinus V dicta decreta confirmaverit. Allegantur enim dumtaxat aliqua ipsius verba oretenus prolata. Porro si voluisset laudatus Pontifex novum illud ac tanti momenti dogma de concilii supra Papam superioritate definire, et quatenus in sessione v pronuntiatum ratificare ac confirmare, non oretenus dumtaxat id peregisset per generalem formulam, sed *expresse* et in propriis terminis de hac superioritate locutus fuisset, et solemni constitutione hanc adeo gravem definitionem edidisset. Sane quando voluit pronuntiatam a concilio variarum Joannis Hus et Wiclefi propositionum condemnationem confirmare, non oretenus locutus est, nec generali formula quæ implicite dumtaxat eam condemnationem contineret ; sed specialem, expressam ac solemnem hac de re constitutionem promulgavit. Quanto magis id usurpasset, si multo gravius dogma de concilii supra Papam auctoritate definire aut confirmare voluisset. *Secundo* post Constantiensem synodum ipsi etiam theologi qui ei interfuerant, communem de Romani Pontificis in universam Ecclesiam atque adeo in generale concilium auctoritatem libere et nullatenus contradicente Apostolica Sede propugnarunt. Contrariam vero Gersonii opinionem de concilii in rebus fidei

supra Papam superioritate, et de ejusdem Romani Pontificis in definiendis dogmatibus fallibilitate, tanquam erroneam et nihili faciendam confutarunt; in tantum ut Suaresius *unanimem* suo tempore hanc catholicorum scriptorum doctrinam assereret. Jam vero id nequaquam contigisset, si præfata Martini V verba habita fuissent pro vera decretorum quintæ sessionis confirmatione. *Tertio*, si Martinus V dicta sessionis quintæ decreta confirmasset, non condemnasset appellationem a Papa ad futurum generale concilium. Atqui tamen ejusmodi appellationem condemnavit, prout sequenti propositione exponitur. Unde clerus Gallicanus anni 1682 falso prorsus asseruit dictis decretis accessisse Romanæ Sedis confirmationem.

Propositio XII[a]. — *Damnata est a Martino V opinio quæ tenet appellari posse a Papa ad futurum concilium* — Refert Von der Kard, in suis *Constantiensis concilii fastis*, duplicem Polonorum a Papa ad futurum concilium appellationem. Prior sub die 26 februarii 1418, commemoratur his verbis : « Polonos « causam Joannis Parvi a Martino Papa neglectam esse et « nullomodo damnatam male habuit. Quare ad futurum con- « cilium provocarunt. » Ibi, loco verborum *Joannis Parvi*, legendum forte *Joannis Falkemberg;* hujus enim librum solemniter condemnari oratores Poloni vehementer exposcebant. Ob similem tamen doctrinam actum etiam fuerat de damnando Joanne Parvo. Iteratam die 22 aprilis 1418 a Polonis istiusmodi appellationem, enarrat citatus auctor in hunc modum : « Sessio generalis 45 et ultima. Concilium, non sine tumultu, « et repugnantibus Polonis, iisque (quod Papa non publice « damnaret libellum Falkembergii in Principes injurium) ad « futurum concilium provocantibus, solutum » (Conciliorum Mansi tomo XXVIII, col. 700 et seq., edit. Venetiis, 1785).

Opinionem autem quæ licitas istiusmodi a Papa ad concilium appellationes propugnare audebat, die 10 martii 1418, consistorialiter condemnavit Martinus V, edito hac de re decreto, quod sic testatur Von der Kard, citato loco : « Anno 1418,

mense martio, die 10, consistorium publicum Martini Papæ, in quo Polonorum appellationem ad futurum concilium damnavit, hoc nomine, quod a Papa appellare non liceat. Cui decreto Papali Gerson mox obviam ivit peculiari opusculo, *Quomodo et an liceat in causis fidei a Summo Pontifice appellare, seu ejus judicium declinare* » (*Concilii Constantiensis fasti*, ab Hermanno Von der Kard. Conciliorum Mansi tomo XXVIII, col. 700, edit. Venetiis, 1785).

Proscripta autem fuit dicta opinio his verbis : *Nulli fas est a supremo judice, videlicet Apostolica Sede seu Romano Pontifice Jesu Christi vicario in terris appellare, aut illius judicium in causis fidei (quæ tanquam majores ad ipsum et Sedem Apostolicam deferendæ sunt) declinare* (inter Opera Gersonii, ab Ellies Dupin disposita, tomo II, pag. 303, edit. Antuerpiæ, 1706)

Ex hac definitione iterum patet quam falsum sit sessionum quartæ et quintæ decreta a Martino V fuisse confirmata.

Apprime perspexit Gersonius hacce definitione subverti illarum sessionum decreta et ideo hæreticam eam esse concludit. Prorsus ergo illegitima est hypothesis, quod Martinus V confirmare voluerit dictarum sessionum decreta. Quod illa confirmaverit, in nullo documento *expresse* habetur. Quod autem eorumdem decretorum doctrinam, qualem eam adversarii intelligunt, aperte profligaverit, constat citatis ipsius verbis quibus illegitimam definit a Romano Pontifice ad concilium appellationem.

Nota. — *An nonnulli auctores recte adducant Martini V bullam* Inter cunctas, *tanquam damnantem eos qui aliter sentiunt quam docet Ecclesia Romana?* — Quidam revera doctores existimarunt opinionem de Romani Pontificis fallibilitate a Martino V in concilio Constantiensi damnatam fuisse tanquam *hæreticam;* nimirum per hæc dictæ bullæ verba : « Nos igitur..., sacro approbante concilio Constantiensi..., mandamus quatenus vos Archiepiscopi et Episcopi..., omnes et singulos... qui de præexcelso, salutifero et supermirabili sacramento corporis et sanguinis Domini nostri

Jesu Christi..., vel reliquis ecclesiasticis sacramentis, seu *fidei articulis*, *aliter sentire aut docere quam sacrosancta Romana Ecclesia et universalis docet*, *prædicat et observat*... præsumpserint,... tanquam *hæreticos* judicetis » (vide in Bullario Romano integram illam constitutionem, tomo III, parte II, pag. 418, editionis Cocquelines). Ex isto loco dicti auctores sic arguunt: tanquam hæreticus judicandus est qui *aliter sentit de fidei articulis quam Romana Ecclesia;* sed qui tenet erroneos esse posse articulos fidei a Papa definitos, *aliter sentit quam Romana Ecclesia;* ergo pro hæretico habendus est. Huic tamen argumentationi respondere possunt Gallicani systematis patroni, non dici tantum in bulla, *aliter quam docet Romana Ecclesia*, sed : aliter quam docet *Romana Ecclesia et universalis*. Unde ob annexas voces *et univarsalis*, argumenti vim aliquatenus forsan eludere possunt. Quapropter nos eo documento utendum non ducimus; nisi tamen ex collatis manuscriptis probarent eruditi vocabula hæc *et universalis* mendose adjectas fuisse, et ad textum authenticum non pertinere.

CAPUT VII

OPINIO DE ROMANI PONTIFICIS FALLIBILITATE, CONSTANTIENSIS CONCILII TEMPORIBUS ORTA, MOX COMMUNITER REJECTA EST, NEC REVIXIT ANTE ANNUM 1663.

Id certum faciunt, tum celeberrima concilii Florentini definitio, tum sequentes auctorum qui dicto temporis tractu floruerunt citationes.

Definitio Florentini concilii, anno 1439. — « Diffinimus... ipsum Pontificem Romanum successorem esse beati Petri principis apostolorum et verum Christi vicarium, totiusque Ecclesiæ caput et omnium christianorum patrem ac doctorem existere; et ipsi in beato Petro pascendi, regendi, ac gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse » (Labbe, t. XIII, col. 515,

Parisiis, 1672). Si Papa in definienda fide fallibilis foret, non haberet *plenam* potestatem pascendi et gubernandi universalem Ecclesiam. Ut *plena* sit hæc potestas, necesse est ut possit animas constringere ad credendos articulos ab ipsa definitos. Repugnat autem obligatio credendi verum quod erroneum esse potest. Imo in hypothesi Papæ fallibilis, *plena* pascendi potestas extra ipsum resideret, nimirum penes episcopale collegium. Pontifex vero non magis esset christianorum *doctor* quam quilibet alter Episcopus. Igitur, licet non expressis terminis, æquivalenter tamen Romani Pontificis in decernenda fide inerrantiam Florentini patres definiverunt.

Doctrina sancti Joannis de Capistrano. — Natus anno 1385, obiit anno 1456, fuitque proinde gestorum in Constantiensi concilio coævus. Tractatum edidit, post præfatam synodum Constantiensem, *de Papæ et concilii auctoritate*, quem reperies in magna illa 25 voluminum in folio compilatione, cui titulus, *Tractatus juris universi, in unum congesti*, Venetiis, 1584, tomi XIII, parte prima, folio 32. Communi sancti Thomæ et anteriorum Patrum doctrinæ inhærens, Gersonianasque ac synodi Constantiensis novitates nihili faciens, acerrimus defensor exstitit, tum Romani Pontificis infallibilitatis, tum ejusdem supra concilium superioritatis. Quod satis palam facient pauci qui sequuntur textus :

« An in concilio universali celebrando requiratur auctoritas Papæ quoad convocationem tantum, aut quoad continuationem? Respondeo breviter, quoad utrumque » (parte tertia secundæ partis principalis, n. 27, citato tomo, folio 57). Et ibi traditionis documentis demonstrat nulla esse ac irrita quæcumque a conciliis statuuntur, nisi Romani Pontificis consensus accesserit.

« Quæro de majoritate potestatis Papæ et concilii : videlicet an Papa præsit, vel subsit, vel par sit concilio generali? » (Ibidem, n. 31.)

Ibi fuse probat superiorem esse Romanum Pontificem cuilibet concilio; non tamen eo sensu quod mutare possit articu-

los fidei, per synodum œcumenicam, ac proinde per Romani etiam Pontificis auctoritatem, definitos. Inter alias rationes urget quamplurima Patrum documenta, quibus Romana Ecclesia et Romanus Pontifex Ecclesiæ universalis *caput* declarantur. Tum adversarios ita perstringit : « Quis igitur non miretur in aspectu venenosorum oculorum basilicorum, qui ad omnes nostras veridicas allegationes torvo aspicientes intuitu, uno tantum putant collirio omnes eorum oculorum maculas abstergere..., ad miserorum refugium gressu concito recurrentes, et asserentes, quod Petrus a Christo potestatem accepit *super singularia membra*, non autem *super universalem Ecclesiam*? Cupio dissolvi et esse cum Christo, ut ab ejus ore sanctissimo percipere queam, si super *membra unita* est caput, vel *divisa*. Si dicas, *super unita*, ergo super universum corpus politicum... Si dicas, *super divisa*, ergo super te, schismatice, qui te ab unitate corporis rescidisti... Si dicas, tam super unita quam super divisa, super unita ut servet, super divisa ut reintegret et errantes oves revocet et reducat ad caulam ne pereant, mecum sentis » (loco citato, n. 52).

« Ex quibus omnibus supradictis patet, quod non solum urbis, sed orbis et totius mundi et omnium fidelium, tam quoad membra dispersa quam quoad unita et invicem congregata, Petrus a Christo suscepit plenitudinem potestatis, cum cæteri Episcopi a Petro, et sic a Papa Petri successore quocumque, sollicitudinis partem capiant et impendant » (ibidem, n. 56).

« Cum itaque Papa sit ministeriale caput, repræsentans ipsum caput mysteriale scilicet Christum, patet quod omnes fideles universaliter subjiciuntur huic capiti, et sic universalis Ecclesia ; ergo et ipsum generale et œcumenicum concilium, universalem Ecclesiam repræsentans... Plus est enim repræsentatum quam repræsentans ; ergo plus est universitas Ecclesiæ, quam concilium ipsam universalem Ecclesiam repræsentans » (ibidem, n. 83).

« Cum igitur durante mundi cursu Papa catholicus universis Christi fidelibus præsse debeat vice Christi, omnes Christi fideles sub ejus regimine esse debent, tanquam oves sub cura pastoris, etiam œcumenico concilio insimul congregato; per verbum Christi dicentis Petro, *pasce oves meas* » (ibid., n. 85).

« Dei namque vicarius principalis est Papa; ergo supra concilium. Idem tenet Thomas, in IV Sententiarum distinctione XXIV, quæstione ultima; et in dicto tractatu contra errores Græcorum, cap. LXVI » (ibidem, n. 88).

« Pudeat igitur os ad cœlum ponere et ordinationem Domini blasphemare : jura namque positiva Papam ligare minime valent, cum sit ipse super omnes humanas leges et jura positiva » (ibidem, n. 90).

« In ambiguitate opinionum magis credendum est legi canonicæ quam dictis sanctorum vel magistrorum; quia soli Papæ, non alteri, data est talium interpretatio dubiorum... Hoc etiam firmat beatus Thomas in prædicto tractatu contra errores Græcorum, in capite VI, ubi determinat, causas fidei per Papam determinari debere... Christus oravit ut non deficiat Petri fides : ad Petrum ergo Petrique successores, quid credendum, quid confitendum, quid tenendum ac prædicandum de fide sit pertinet declarare. Hinc etiam beatus Thomas (II^{a} II^{æ}, q. I, articulo ultimo) dicit... : Editio symboli ad auctoritatem Summi Pontificis pertinet, ad quem pertinet sententialiter determinare ea quæ sunt fidei ut ab omnibus inconcussa fide teneantur, ad quem etiam majores et difficiliores Ecclesiæ quæstiones referuntur... Rationem hujusmodi veritatis dicit esse, quia una fides debet esse totius Ecclesiæ... Hæc unitas servari non potest nisi quæstio de fide exorta determinaretur per eum qui toti Ecclesiæ præest, ut sic ejus sententia a tota Ecclesia firmiter teneatur. Et ideo ad solam auctoritatem Summi Pontificis pertinet nova editio symboli, sicut et omnia alia quæ pertinent ad totam Ecclesiam...

« *Patet igitur expressissime, Papam supra concilium, et non concilium supra Papam, jurisdictionem plenariam in omnibus*

obtinere; et concilium quantumlibet œcumenicum et universale Papæ subjici et obedire teneri, a quo salus omnium fidelium post Christum pendet » (ibidem, n. 93, 94 et 95). Hæc ultima verba palam faciunt quam aperte sanctus vir rejecerit ac nihili fecerit decreta illa quintæ sessionis Constantiensis, quæ generali concilio superioritatem supra Papam adscribunt. Nullius sane roboris ea fuisse existimavit, quamvis coævus exstiterit.

« Christus totum Petro contulit per sacramentum potestatis Petro collatum et Ecclesiæ... Generale igitur concilium hanc plenitudinem potestatis a Christo numquam accepit, sed solus Petrus præ omnibus et pro omnibus » (ibid., n. 104 et 105).

« Cum dicitur quod par est auctoritas Papæ et concilii... respondeo verum esse cum Papa validat et confirmat decreta conciliorum, et non aliter » (ibidem, n. 106).

« Omni casu Papa potest revocare gesta in concilio, etiamsi in eo de sua licentia fuisset derogatum potestati Papæ; nec potest concilium, etiam simul cum Papa, in aliquibus derogare potestati Papæ; et sic non potest statuere quod concilium sit supra Papam, nec quod Papæ arctetur potestas ut non possit revocare gesta concilii; cum auctoritati Apostolicæ per Christum Petro traditæ pro se ipso et omnibus suis canonice intrantibus successoribus derogari nequeat quoquomodo... Nam, sicut universalis Ecclesia, si Christus hodie in terris viveret, contra Christum vel supra Christum nihil statuere posset quod Christus tollere non posset, ita hodie contra Christi vicarium, dum ejus fidelitatem servat[1], etiam omnis universalis Ecclesia nihil statuere potest quod Papæ non liceat revocare; cum sit idem tribunal Christi et Papæ... Nam lex humana statuta a Deo tollere non potest, quia inferior...; sed a Deo data est potestas Papæ... ergo nemo tollere potest præter Deum... Hinc etiam animadvertendum est quod ubi-

(1) *Dum ejus fidelitatem servat*, id est, nisi tanquam persona privata factus sit hæreticus. Fuit enim multorum opinio posse Papam, non quidem ex cathedra loquendo, sed quatenus privatus doctor, in hæresim cadere et ei pertinaciter adhærere. Quo casu ipso facto eum a Papatu esse depositum, plures existimabant. Ideo hunc casum hic excipit Beatus Joannes a Capistrano.

cumque apostolica constitutio videtur uti verbis inhibitoriis successoribus in Apostolica Sede, ultra fidei continentiam, semper oportet intelligere pro verbis exhortatoriis, et nihil in effectu important » (ibidem, n. 110).

Doctrina sancti Antonini. — Natus anno 1389, Florentinus Archiespiscopus renuntiatus anno 1446, obiit anno 1459; fuitque proinde gestorum in Constantiensi concilio coævus.

Ut probet unicum esse debere supremum principem a quo tota Ecclesia regatur, hac ratione utitur : « In tota universitate christiana debet esse conformitas de his quæ pertinent ad veritatem fidei et bonos mores circa necessaria ad salutem. Sed talis conformitas non potest salvari, nisi in ordine ad unum caput seu unum præsidentem, ad quem spectat sententiare quid credendum et quid non credendum : ergo » (in sua *Summa*, parte III, titulo XXII, capite II, § 3, tomo III, pag. 1183, edit. Veronæ, 1740). Et infra (cap. III, § 1) addit : « Constat autem quod in Ecclesia non posset esse aliquod tale caput, nisi solus Papa. » Alibi vero sic habet :

« Ea quæ facit Papa cum Cardinalibus, sunt duplicis generis. Quædam enim sunt et pertinent ad particularia facta hominum, ut collationes beneficiorum... ; et in talibus Papa potest errare... Quædam alia sunt quæ facit Papa pertinentia ad statum universalem totius Ecclesiæ, vel quantum ad fidem, ut sunt determinationes et declarationes quæ spectant ad fidei articulos et Ecclesiæ sacramenta et omnia alia contenta in sacra Scriptura ; sive quantum ad bonos mores, ut statuta, decreta et decretales : et in talibus dicendum est, quod licet absolute, pensatis solis personis Papæ et Cardinalium, Papa cum ipsis possit errare, supposita tamen divina providentia, et Spiritum sanctum loqui per Ecclesiam, credendum est Papam non posse errare, quia Christus oravit pro Ecclesia : *Ego pro te oravi, ut non deficiat fides tua* (Luc. XXII). Et dicere quod in hujusmodi Papa erraret, *esset hæreticum* » (*Summa*, parte III, tit. XII, c. VIII, § 2, tomo III, pag. 541, edit. Veronæ, 1740).

« Licet Papa in particulari errare possit (ut in judicialibus, in quibus proceditur per informationem), alias in his quæ pertinent ad fidem errare non potest; scilicet ut Papa, in determinando, etiamsi ut particularis et privata persona possit. Unde magis standum est sententiæ Papæ de pertinentibus ad fidem quam in judicio proferret, quam opinioni quorumcumque sapientum » (*Summa*, parte IV, titulo VIII, cap. III, § 5, t. IV, pag. 450, edit. Veronæ, 1740).

Nota. — Fatemur in operibus sancti Antonini occurrere nonnulla quæ cum citatis textibus non cohærent, et ad Gersonii errores potius accedunt. Videatur, exempli gratia, paragraphus 6 capitis II, tituli XXIII, partis tertiæ, in *Summa*. An forte minus accurate edita fuerint S. Antonini scripta, eruditis expendendum relinquo. Si tamen integre legantur, evidens fit ipsi certam prorsus fuisse Romani Pontificis in judiciis fidei inerrantiam ac supra concilium quodlibet superioritatem.

Doctrina Dyonisii Carthusiani. — Qui obiit anno 1471. Sic habet in verba capitis XXII sancti Lucæ, *Ego rogavi pro te*, etc. : « Item quoniam Petro specialiter fuit Ecclesia committenda; unde quod dicitur, *ut non deficiat fides tua*, ponitur ut non deficiat fides Ecclesiæ tibi committendæ : sicque ex verbis his sumitur argumentum, quod fides Ecclesiæ Romanæ, quam Petrus in ea plantavit, sit usque in finem sæculi duratura. »

Condemnatio propositionum Petri de Osma, anno 1479. — Cum celebris illa condemnatio, in quæstione de Romani Pontificis infallibilitate, non tantum maximi momenti, sed et omnino peremptoria sit, operæ pretium duximus, quænam apud varios scriptores de eadem condemnatione occurrant documenta, et quid ex iis relate ad præfatam quæstionem concludendum veniat, sigillatim expendere.

1° *Quid de illa condemnatione scripserit Bartholomæus Carranza.* — Fuit Bartholomæus Carranza Toletanus Archiepiscopus, obiitque die 2 maii 1576, id est, uno ferme sæculo post-

quam Alphonsus Carillus, Toletanus item Præsul, dictam condemnationem pronuntiaverat. Nemo rem melius notam habere potuit, siquidem eam diœcesim rexit in qua factum contigerat, et in cujus archivio extabant instrumenta autographa. Sic porro enarrat in sua *Summa conciliorum* (t. III, p. 621 et seq., edit. Augustæ Vindelicorum, 1778) : « Sub hoc Pon-« tifice (Sixto IV), et ejus speciali commissione, anno Do-« mini 1479, facta est congregatio per Reverendissimum in « Christo Patrem Alphonsum Carillum Archiepiscopum Tole-« tanum Compluti multorum doctorum theologiæ et utriusque « juris, super libello confessionis edito per Petrum Oxomen-« sem, sacræ theologiæ professorem in universitate Salman-« tina Hispaniæ. Accepit autem prædictus Archiepiscopus « Toletanus authoritatem declarandi ac definiendi omnes « propositiones et conclusiones falsas, erroneas, hæreticas « aut male sonantes, quæ in præfato libello continerentur. « Conclusiones autem productæ ex libello dicti magistri Oxo-« mensis, discussæ et disputatæ, tandemque damnatæ sunt, « quæ sequuntur :

« *Prima conclusio :* Peccata mortalia, quantum ad culpam « et pœnam alterius sæculi, delentur per solam cordis con-« tritionem, sine ordine ad claves.

« *Secunda conclusio :* Quod confessio de peccatis in specie, « fuerit ex aliquo statuto universalis Ecclesiæ, non de jure « divino.

« *Tertia conclusio :* Quod pravæ cogitationes confiteri non « debent, sed sola displicentia delentur, sine ordine ad « claves.

« *Quarta conclusio :* Quod confessio debet esse secreta, id « est, de peccatis secretis, non de manifestis.

« *Quinta :* Quod non sunt absolvendi pœnitentes, nisi per-« acta prius pœnitentia eis injuncta.

« *Sexta :* Quod Papa non potest indulgere alicui vivo pœnam « purgatorii.

« *Septima : Quod Ecclesia urbis Romanæ errare potest.*

« *Octava :* Quod Papa non potest dispensare in statutis « universalis Ecclesiæ.

« *Nona conclusio :* Quod sacramentum pœnitentiæ, quan- « tum ad collationem gratiæ, sacramentum naturæ est, non « alicujus institutionis Veteris vel Novi Testamenti.

« Quibus conclusionibus sic propositis, ac per plures dies « sigillatim disputatis..., 24 maii præfatus Reverendissimus « Dominus, sedens pro tribunali, sententiam protulit, qua « *conclusiones prædictas* tanquam hæreticas, erroneas, ac scan- « dalosas et male sonantes, apostolica et primatiali autho- « ritate damnavit ac damnandas decrevit : librumque illum « comburendum judicavit, quem illico promotor fiscalis curæ « tradidit sæculari.

« *Abjuratio dicti magistri Petri Oxomensis, in forma cano-* « *num :*

« Quoniam ego magister Petrus Oxomensis, composueram « librum confessionis, continentem nonnullas propositiones, « quas tunc credebam veras, et determinationi sanctæ Matris « Ecclesiæ et communi opinioni doctorum consonas. Sed pri- « mum ex libro illo orta sunt maxima scandala in cordibus fide- « lium, maxime in partibus horum regnorum. Adeo quod Re- « verendissimus in Domino Pater ac Dominus Archiepiscopus « Toletanus, authoritate apostolica (accersitis quam plurimis « magistris et sacræ theologiæ doctoribus et aliis viris erudi- « tissimis) maturo consilio ac deliberatione pronuntiavit et « declaravit, dictum librum continere nonnullas propositiones « falsas, hæreticas, scandalosas, male sonantes et erroneas, « et ideo comburendum, prout in sententia latius continetur. « Quapropter ego præfatus magister, desiderans salutem « animæ meæ, ac proprium recognoscens errorem et culpam, « dico et confiteor, me graviter errasse in compositione dicti « libelli, utpote continentis propositiones falsas, erroneas, « scandalosas, hæreticas et male sonantes; quas ut tales con- « fiteor et declaro : submittoque me determinationi sanctæ « Matris Ecclesiæ, et determinationi et sententiæ præfatæ et

« prolatæ per dictum R. Dominum, cui ego ex nunc et spe-
« cialiter et expresse assentior. Et cognoscens veram fidem,
« anathematizo omnem hæresim, maxime eam de qua hacte-
« nus sum infamatus; *et consentio sanctæ Matri Ecclesiæ Ro-*
« *manæ et Sedi Apostolicæ;* et ore ac corde confiteor sacramenta
« Ecclesiæ, *et illam fidem tenere, quam Dominus Sixtus Papa*
« *modernus, authoritate apostolica et evangelica tenet.* Et per
« hæc sancta Dei Evangelia omnes qui contra hanc fidem ve-
« nerint, cum suis doctrinis dignos æterna damnatione pro-
« nuntio. »

« Celebrata est ea congregatio per quinquaginta duos viros
« doctos, magistros in theologia vel jure canonico, præsi-
« dente præfato Reverendissimo. Accessit ac hæc specialis
« confirmatio, eorum quæ acta sunt in prædicta congrega-
« tione, per Sixtum Papam IV. Exemplar autem bullæ, qua
« confirmantur prædicta, habetur in bibliotheca Ecclesiæ
« Toletanæ; et extat alterum exemplar in monasterio Sancti
« Vincentii, instituti beati Dominici in urbe Placentina. Quam
« confirmationem ego legi et vidi in legitimo exemplari : sed
« ne plus justo cresceret volumen hujus summæ, hic nolui
« illam subjicere. » Hactenus Carranza.

2° *Quid occurrat apud d'Aguirre, in ejus collectione Concilio-*
rum Hispaniæ. — « Conventus theologorum, apud Complu-
« tum, tempore Xisti IV Papæ habitus, præside D. Alphonso Ca-
« rillo Archiepiscopo Toletano, contra Petrum de Osma, anno
« Christi 1479. — Acta integra nondum habere licuit. Dabi-
« mus tamen frustatim quæ de eo conventu theologorum le-
« guntur apud varios scriptores » (*Concilia Hispaniæ*, tomo V,
pag. 551, edit. Romæ, 1755). Postea tamen unicus citatur a
d'Aguirre scriptor qui de præfato conventu meminerit, ni-
mirum Alphonsus de Castro, cujus verba mox referemus.
Inseruit autem d'Aguirre textum bullæ Sixti IV contra Petrum
de Osma (ibidem, pagina 555), usque ad phrasim *nulli ergo*
omnino hominum liceat.

Agit etiam d'Aguirre de Petro Oxomensi, in opere suo

Auctoritas cathedræ Petri, tractatu I, disp. xv, n. 45, citans Melchiorem Cano.

3° *Quid scripserit Alphonsus de Castro.* — Sic habet, libro IV contra hæreses, verbo *Confessio*, initio, n. 77 : « Primus ergo « de hac re error est, qui negat eam (confessionem) esse a « Deo institutam, sed dicit sola humana constitutione stabi- « litam. Hunc errorem docuit in Hispania quidam Petrus Os- « mensis, doctor theologiæ Salamantinus. Et hunc errorem « Dominus Alphonsus Carillo Archiepiscopus Toletanus et « Hispaniarum Primas, habito prius cum plurimis doctis « viris consilio, damnavit et hæreticam declaravit, authori- « tate Xisti IV, tunc Pontificis Maximi, ad hanc causam ipsi « specialiter delegata. Quam definitionem idem Xistus postea « confirmavit. »

4° *Quid occurrat apud d'Argentré, in ipsius opere* Collectio judiciorum *inscripto.* — Hac de re meminit d'Argentré, tomi primi parte secunda, pagina 298 (editionis Parisinæ, 1728). Transcribit ex Bartholomæo Carranza id ipsum quod supra citavimus. Item inserit textum retractationis Petri de Osma, prout illum excripsimus; et etiam textum bullæ Sixti IV, cum data, *anno millesimo quadringentesimo septuagesimo octavo, quinto idus Augusti.* In *Bullario Romanorum Pontificum*, editore Cocquelines (tomi tertii parte tertia, pagina 171), idem annus 1478 et idem dies exprimitur. Cum tamen Carranza et alii omnes quos viderim, judiciali sententiæ Toletani Præsulis assignent annum 1479 (24 maii), et bulla Sixti IV præfatam sententiam confirmet, necesse est irrepsisse errorem. Non enim potuit Sixtus IV anno 1478 confirmare quod anno 1479 peractum est. An dicendum sit, prolatam fuisse Toletani antistitis sententiam anno 1478, vel editam bullam anno 1479, eruditis enucleandum relinquo. De textu dictæ judicialis sententiæ sic habetur apud d'Argentré.

« Hoc monumentum in bibliotheca Toletanæ Ecclesiæ et in « monasterio S. Vincentii Ordinis fratrum prædicatorum in « urbe Placentina apud Italos extat, teste Bartholomeo Car-

« ranza[1] : nec adhuc in lucem editum est. Sed istam for-
« mulam expecto. Interim reliqua monumenta accipe quæ
« ex Hispania ad me perlata sunt » (loco citato, pag. 299).

Postea subjicit d'Argentré sequens testimonium, die 8 martii 1724, a Gabriele Colchero Flores exscriptum :

« Como secretario de los illustrissimos señores Dean y Ca-
« bildo de la santa Iglesia de Toledo, Primada de las Españas,
« certifico : que de su orden y acuerdo, los señores don Do-
« mingo de Bernedo, y Azpiros, Abad de San Vincente, y
« don Bernave Antonio de Salazar, canonigos de dicha santa
« Iglesia y sus archiveros, abrieron el archivo de ella, y bus-
« caron en el, y hallaron (en la alacena A, nicho 1) un rollo
« de 13 instrumentos, o pieças, en pergamino unos, y otros
« en papel, que tiene por titulo : *Legaxo segundo del senor*
« *don Alonso Carrillo Arcobispo de Toledo, en que ay diferentes*
« *causas de su tiempo, y su eleccion y testamento.* Y de la pieza
« del numero 1°.., hizieron copiar los dichos señores archi-
« veros la sentencia[2] que el dicho señor don Alonço Carrillo
« dió y pronunció, en el concilio provincial de Aranda[3] cele-
« brado el año de mil quatracientos y setenta y nueve, con-

(1) Id testatur Corranza de textu bullæ Sixti IV, non de textu dictæ judicialis sententiæ, ut videre est supra. Item non dicit *apud Italos.*

(2) Ibi dicitur transcriptam fuisse *sententiam;* quod intelligendum videtur de tenore ipso hujusce documenti. Eo vel magis quod in toto hoc negotio nihil majoris momenti sit quam hujusce judicialis sententiæ textus. Cum enim Sixtus IV hanc ipsam sententiam confirmet, et *hæreticas* declaret omnes et singulas propositiones quæ in ista sententia condemnantur, maximi interest tenorem ipsum sententiæ habere. Quapropter vix intelligitur a dictis secretario et archivistis non fuisse transmissum cum cæteris documentis sententiæ ipsius tenorem. Nihilominus edidit d'Argentré documenta alia, non autem dictæ sententiæ textum Et in citata adnotatione dicitur : *Istam formulam expecto : interim reliqua monumenta accipe quæ ex Hispania ad me perlata sunt.* An forte, quia hoc documento gallicanum systema aperte confodiebatur, noluit d'Argentré, aut non potuit (impediente regia censura) illud juris publici facere? Qui a d'Argentré hac de re edita legerit, profecto aliquid sublatere mysterii comperiet.

(3) Erravit secretarius Colcherus Flores, asserendo pronuntiatam fuisse sententiam *in concilio provinciali Arandensi.* Pronuntiata est Compluti, non synodaliter, sed in conventu theologorum ; celebrata quidem fuit Arandensis provincialis synodus mense decembri 1473, cujus acta edidit d'Aguirre (in *Conciliis Hispaniæ*); sed de alia synodo, quæ Arandæ habita sit anno 1479, non occurrit vestigium.

« tra Pedro Oxomense, maestro en Salamanca, y contra el « libro que escrivio; y la abjuracion de dicho Pedro Oxomense; « escrito todo por Pedro de Ponte secretario de dicho señor « Arcobispo, y de su mandado, lo qual es de el tenor si- « guente. »

Ibi edidit d'Argentré, non sententiæ ipsius textum, sed relationem authenticam de modo et ritu quo totum illud negotium expeditum est. Item subdit textum retractationis Petri de Osma, quem supra (ex Carranza) transcripsimus.

5° *Quid scripserit Rocaberti.* — In opere suo *de Romani Pontificis auctoritate* (tomo I, capite XI, numero 1116, pagina 107, edit. Valentiæ, 1691) sic adnotavit : « Ipse Pontifex Sixtus IV, « suprema sua auctoritate in rebus fidei infallibili utens, Pe- « tri Oxomensis errores (quibus præcipue in Romanæ Sedis « majestatem et pœnitentiæ sacramentum contumeliosus, « Romana responsa errori obnoxia esse affirmabat, etc.), « primum ejus jussu ab Alphonso Carillo archiepiscopo To- « letano examinatos et condemnatos, rursum examinatos « Romæ, sua constitutione damnavit, rata habita præfati Ar- « chiepiscopi sententia. »

Ibidem (capite XII, numero 1203, pagina 226) sic occurrit : « Probatur ex Complutensi synodo[1], quam Sixtus IV Pontifex « Maximus confirmavit. In illa enim Petrus Oxomensis ut « *hæreticus* damnatus est, quia *Ecclesiam Romanam errare* « *posse* affirmabat. Et hunc eumdem errorem idem Pontifex « Sixtus, in Extravaganti adversus Petrum Oxamensem edita, « sub eodem *hæreseos* nomine condemnavit; adeo ut præ- « dictus hæreticus compulsus fuerit orationem retexere ac « palinodiam hacce formula cantare : *Consentio sanctæ ma-* « *tri Ecclesiæ Romanæ et Sedi apostolicæ; et ore ac corde* « *confiteor illam me fidem tenere, quam dominus Sixtus Papa* « *auctoritate apostolica et evangelica tenet; et omnes qui contra* « *hanc fidem venerint, dignos æterna damnatione pronuntio.* »

(1) Minus stricte forsan hoc *synodi* verbo utitur Rocaberti; non fuit proprie dicta synodus, sed duntaxat quinquaginta duorum doctorum congregatio.

6° *Quid scripserit Melchior Cano.* — « Illud referam quod in « concilio Complutensi, confirmato a Sixto IV, condemnatus « est Petrus Oxomensis, nomine etiam *hæresis*, in eo quod « asseruit *Ecclesiam urbis Romæ errare posse.* Quem item er- « rorem, eodem quoque *hæresis* nomine, damnavit Sixtus « idem in Extravaganti adversum Petrum Oxomensem edita. « De qua quoniam in relectione de pœnitentia satis multa « diximus, eo lector revocandus erit. Coactus est igitur ille « sententiam recantare in hanc formam : *Consentio*, » etc. (*de Locis theologicis*, capite VII, col. 346 et 347, editionis Migne, tomo I *Cursus theologici*).

7° *In hoc expediendo negotio processit Toletanus Præsul Sixti IV jussu et auctoritate.* — Constat ex ipsa Sixti IV constitutione ; ubi, postquam enarravit Pontifex perlatum ad aures suas fuisse, in Hispaniis, ac præsertim in Universitate Salamantini studii spargi quasdam erroneas ac fidei catholicæ contrarias propositiones, ita subjungit : « Nos tunc venerabili « fratri nostro Alphonso Archiepiscopo Toletano, per alias « nostras litteras commisimus, ut assumptis secum aliquibus « in theologia magistris..., an quæ in propositionibus hujus- « modi continebantur, falsa et fidei præfatæ contraria, erro- « nea et male sonantia existerent, *auctoritate nostra* decide- « ret et declararet... Postmodum vero sicut accepimus, præ- « fatus Archiepiscopus ad executionem dictarum litterarum, « earum forma servata rite procedens..., declaravit illas pro- « positiones, per quas Petrus de Osma et ejus sequaces præ- « dicti pertinaciter affirmare non verebantur, confessionem « peccatorum in specie, ex universalis Ecclesiæ realiter sta- « tuto, non divino jure compertam fore ; et peccata mortalia « quoad culpam et pœnam alterius sæculi absque confessione, « sola cordis contritione, pravas vero cogitationes sola dis- « plicentia deleri ; et quod confessio secreta sit necessario « non exigi ; et non peracta pœnitentia confitentes absolvi non « debere ; et Romanum Pontificem purgatorii pœnam remit- « tere, et super his quæ universalis Ecclesia statuit, dispen-

« sare non posse : sacramentum quoque pœnitentiæ, quantum « ad collationem gratiæ, naturæ, non autem institutionis « Novi aut Veteris Testamenti existere; et alias, quas propter « earum enormitatem (ut illi qui de eis notitiam habent obli- « viscantur earum, et qui de eis notitiam non habent ex præ- « sentibus non instruantur in eis) silentio prætereundas du- « cimus ; falsas, sanctæ caholicæ fidei contrarias, erroneas « et scandalosas, ac a fidei veritate alienas, ac sanctorum Pa- « trum decretis et apostolicis constitutionibus contrarias fore, « manifestam hæresim continere, dictarum litterarum, et « per illas sibi concessæ facultatis vigore, declaravit. »

8° *Certum est propositionem Petri de Osma*, Ecclesiam urbis Romæ errare posse, *condemnatam fuisse tanquam hæreticam a Sixto IV*. — Ita prorsus tenendum est, si vera sint tria hæc : Primo, dictam propositionem tanquam hæreticam a Toletano Archipræsule damnatam fuisse ; secundo, hanc condemnationem fuisse a Sixto IV confirmatam ; tertio, eamdem insuper condemnationem directe a Sixto IV pronuntiatam fuisse. Porro tria hæc certissima sunt.

Primo, quod Toletanus Antistes Carillus dictam propositionem tanquam hæreticam damnaverit, ego quidem non possum probare ex ipso judicialis sententiæ textu, quem nondum mihi comparare potui. Sed rem plane certam faciunt testes fide digni. Sane testis est omni fide dignus Bartholomæus Carranza, qui et ipse Toletanus Archiepiscopus exstitit, et documenta autographa in Ecclesiæ suæ archivio habuit. Is porro enumerat novem Petri de Osma propositiones a Carillo damnatas ; ac sub numero septimo ponit illam ipsam de qua agimus, id est *Ecclesiam urbis Romæ errare posse*. Et post illam enumerationem, expressis verbis de Carillo Antistite dicit : *Conclusiones prædictas tanquam hæreticas, erroneas ac scandalosas et male sonantes damnavit*. Testes insuper habemus Cardinalem Rocaberti et Melchiorem Cano, ut ex citatis eorum verbis constat. Intelligendum autem est, ex modo quo rem narrat Carranza, omnes illas notas omnibus

et singulis dictis propositionibus inustas fuisse; ac proinde *hæreseos* nota confixam etiam fuisse propositionem, *Ecclesia urbis Romæ errare potest.* Et ita insuper expresse testantur Melchior Cano et Rocaberti. Ergo revera pro certo tenendum est dictam propositionem *hæreseos* nomine a Toletano præsule damnatam fuisse.

Secundo, nec minus certum est hocce judicium fuisse a Sixto IV confirmatum. Postquam enim enarravit Pontifex quomodo ejusmodi condemnatio a Præsule Toletano pronuntiata sit, ita subjungit : « Nos igitur... *declarationem et de-*
« *cretum* hujusmodi, et prout illa concernunt *omnia et sin-*
« *gula in scripturis prædictis* Archiepiscopi super præmissis
« confectis *contenta*, auctoritate apostolica tenore præsen-
« tium... laudamus, *confirmamus* et approbamus, ac præsentis
« scripti patrocinio communimus, supplentes omnes et singu-
« los defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem. » Ergo judicialis sententia Toletani Præsulis a Sixto IV, talis qualis pronuntiata fuerat confirmata fuit. Ergo ab illo Pontifice confirmata est *hæreseos* nota, inusta propositioni, *Ecclesia urbis Romæ errare potest.*

Objicies. — Sixti IV condemnatio non censenda est cadere nisi in illas propositiones quas ipse in sua bulla expressis terminis memorat : porro in hac Pontificis recensione non reperitur propositio, *Ecclesia urbis Romæ errare potest ;* ergo propositio ista non censenda est Sixti IV decreto condemnata.

Respondeo : Condemnatio Sixti IV cadit in omnes et singulas propositiones quas condemnaverat Toletanus præsul, si expressis ac clarissimis verbis declaret Sixtus IV, confirmari a se ipsissimum decretum dicti Archiepiscopi, et omnia in eo decreto contenta. Id porro apertissime declarat, ut patet citatis verbis, *declarationem et decretum hujusmodi et omnia et singula in scripturis prædictis Archiepiscopi contenta confirmamus.* Cum ergo dictam propositionem suo decreto ut hæreticam condemnaverit Toletanus Archiepiscopus, eam et eadem

hæreseos nota condemnavit Sixtus IV, hoc ipso quod sententiam præfati præsulis absque ulla exceptione aut mutatione confirmaverit. Equidem in ea parte bullæ, in qua Pontifex, antequam quidquam ipse decernat, exponit historice quid Carillus peregerit, plures enumerat Petri Oxomensis propositiones, et imperfectam enumerationem relinquens, subjungit, *et alias quas propter earum enormitatem... silentio prætereundas ducimus, ut ii qui de eis notitiam non habent non instruantur in eis.* Item verum est inter propositiones quas ibi memorat, non reperiri eam de qua disserimus. Sed hoc non impedit quin *omnes* propositiones Toletani Præsulis decreto confixas, ac proinde illas etiam, de quibus propter earum atrocitatem silet, ipse damnaverit; siquidem *omnia et singula* in eo decreto contenta confirmat.

Tertio, ejusmodi confirmationi addidit Sixtus IV directam condemnationem his verbis : « Et nihilominus, pro potioris « cautelæ suffragio, *omnes et singulas propositiones prædictas*, « falsas, sanctæ catholicæ fidei contrarias, erroneas et scan- « dalosas, et ab evangelica veritate penitus alienas, sancto- « rum quoque Patrum decretis et aliis apostolicis constitu- « tionibus contrarias fore, ac *manifestam hæresim continere*, « dicta auctoritate declaramus. » Dum dicit *omnes propositiones prædictas*, loquitur tum de illis quas expresse retulit, tum de illis quas dicit a se, propter earum enormitatem, silentio prætermissas. Has enim omnes respicit vox *prædictas*, si quidem de iis omnibus antea dixerat seu locutus erat. Absonum est vocem *prædictas* interpretari de *solis* propositionibus quas propriis terminis reproduxerat. Sub hac voce comprehenduntur omnes aliæ de quibus disseruerat, id est de omnibus quæ per Toletani Præsulis decretum confixæ fuerant.

Cum autem de *omnibus et singulis* illis propositionibus pronuntiet eas *manifestam hæresim continere*, planum est, directe a Sixto IV ut hæreticam confixam fuisse propositionem hanc, *Ecclesia urbis Romæ errare potest.*

8° Igitur erronea opinio, quam Gersonius et pauci alii, tempore Constantiensis concilii obtrudere conati erant, non tantum rejecta est communiter, sed anno 1479 hæreseos nomine fuit a Sede apostolica confixa.

Objicies. — Sequeretur esse *hæreticum* qui negat Romani Pontificis infallibilitatem, quod est intolerabile.

Respondeo : Sequitur quidem esse *hæreticum* qui negat dictam infallibilitatem sub hac formula, *Ecclesia urbis Romæ errare potest;* nam Pontificiæ infallibilitatis negationem, sub ista formula expressam, revera Sixtus IV tanquam *hæreticam* damnavit ; nec intolerabile videri debet esse hæreticum qui errorem propugnat *hæreseos* nomine a Sede apostolica damnatum. At non sequeretur hæreticum esse qui Romani Pontificis inerrantiam negat sub alia formula, verbi gratia, sub formula declarationis cleri Gallicani anni 1682. Nam *reprobata* quidem fuit illa declaratio a Sede apostolica, nondum tamen nota hæreseos confixa. Item evidentissima deductione sequitur falsam esse non posse propositionem, *Ecclesia urbis Romæ errare potest*, quin falsus item sit quartus articulus dictæ declarationis gallicanæ. At cum non iisdem terminis dictus articulus exprimatur, et fallibilitatem adscribat, non *Ecclesiæ urbis Romæ*, sed *Romano Pontifici*, remanet quatuor articulorum 1682 propugnatorem nondum fuisse a Sede apostolica hæreseos damnatum.

Doctrina Cardinalis Hieronymi Albani. — Edidit suum *de Potestate Papæ* tractatum, indicto jam, sed nondum incepto concilio Tridentino, id est circa annum 1543. Quem tractatum reperies in magna 25 voluminum compilatione, cui titulus *Tractactus universi juris in unum congesti* (parte prima tomi XIII, folio 66 et seq., edit. Venetiis, 1584). Nonnulla ipsius doctrinæ capita subjicimus.

1° *Romanum Pontificem a nemine in terris judicari posse.* — « Si quæritur quid de Pontifice judicando tenendum sit, res- « pondeo Romanum Pontificem supremum esse omnium in « terris judicem et caput Ecclesiæ militantis ; atque ideo eum

« a nemine in hoc sæculo, atque ita nec ab ipso quidem con-
« cilio judicari posse; cum non modo superiores ab inferiori-
« bus, verum etiam pares a paribus cogi non posse fuerit
« legibus constitutum » (partis I, n. 4, citati tomi, folio 67 verso). Id fuse probat laudatus auctor. Excipit tamen (n, 82) casum hæresis, de quo infra.

2° *Romani Pontifices nequeunt sese concilii judicio subjicere : qui id fecisse dicuntur vel nulliter fecerunt, vel potius, ex honestate quadam, non quod verum jus contra seipsos synodo conferre intenderint.* — « Pontificem maximum se concilio sponte etiam
« subjicere non posse, juris interpretes communiter affirma-
« runt, dicentes, eum amplitudini Pontificiæ potestatis, quæ
« a Deo est, quicquam detrahere non posse » (partis primæ, n. 104, citati tomi, folio 70).

« Verumtamen quia non adeo facile credendum est Ponti-
« fices illos quicquam quod de jure fieri non concederetur
« facere voluisse, idcirco sanctius esse arbitrarer si forte di-
« ceretur, eos id, in sua tamen celsitudine permanentes,
« egisse; scilicet, non ut se imperio concilii subjicerent, sed
« ut quadam honestate vitæ suæ rationem redderent; exem-
« plo Dei, quem quandoque facti sui rationem reddidisse di-
« vina monumenta commemorant » (ibidem, n. 115).

3° *Ex eo quod Papa factus hæreticus possit a concilio judicari, non sequitur Papam posse concilio subjici; quia factus hæreticus jam non est Papa.* — « Si quispiam objiciat, Papam saltem in
« casu hæresis judicari (per dictum caput *Si Papa*), dicimus
« hoc propositæ conclusioni non repugnare. Cum primum
« enim Pontifex hæreticus est, cum extra Ecclesiam sit, Pon-
« tifex esse desinit et Pontificiam potestatem amittit » (ibidem, n. 127).

« Quod autem de Pontifice propter hæresim judicando præ-
« diximus, ita demum verum esse arbitror, si ipse antequam
« sententia proferatur non resipisceret ac seipsum corrige-
« ret; contra Rosellum, qui (in tractatu *de Conciliis*, in tertia
« quæstione) scriptum reliquit, concilium eo etiam in casu

« se a ferenda sententia in Pontificem abstinere non posse; « quod nos a veritate abhorrere existimamus » (ibidem, n. 132).

« Nam vox ista *hæreticus*, vox est criminis et *pertinaciæ...*; « atque ita consequenter dicimus, eum tandiu judicari posse, « quandiu *hæreticus est et pertinax est*. Cæterum si ad fidem « correctus redeat..., cum amplius hæreticum appellari non « debere » (ibidem, n. 133).

4° *Papa factus hæreticus, si resipiscat ante sententiam declaratoriam, jus Pontificum ipso facto recuperat, absque nova Cardinalium electione aliave solemnitate.* — « Neque obstat si diceretur : si eo ipso quod Papa hæreticus est, a Pontificia dignitate cadit et extra Ecclesiam est, ut prædiximus, ergo is redire non potest, saltem ut iterum Pontifex sit : alioquin hujusmodi reditus novæ electionis vim haberet; et ita concilium Cardinalibus eligendi jus auferret, quod jure fieri non potest, secundum Rosellum (in dicto loco). Respondeo, in proposita re jus eligendi, interpretatione juris, ita demum ad Cardinales devolvi, si *sententia criminis declaratoria subsequatur :* quoniam pœnæ quæ pro hæresi ipso jure imponuntur, exequi non possunt, nisi hujusmodi præcedat sententia... Eam vero (*sententiam declaratoriam hæresis*) proferri oportere lege aliqua non probatur. Immo contrarium, quando Pontifex resipiscit, paulo ante demonstratum est. Quare cum istud jus ad Cardinales revocabiliter devolutum sit, hoc est, ut ita demum novus Pontifex eligatur, si is peracta pœnitentia non resipiscat..., eis nulla infertur injuria... Nec mirum est si absque alicujus solemnitatis interventu hujusmodi reintegratio fiat : nam quemadmodum ob delictum privatio dignitatis nudo juris mysterio fit, ita per pœnitentiam crimine extincto res ejusdem juris nudo mysterio ad primum statum redit » (ibidem, n. 137 et seq.).

5° *Quando dubium est an Papa sit hæreticus, potest quidem concilium de hoc dubio inquirere; sed hoc faciendo, nullam adhuc jurisdictionem supra Papam excercet.* — Hoc firmat auctor, parte I, n. 148 et sequentibus.

6° *Recapitulatio.* — « Ut quæcumque hactenus dicta sunt in breve compendium redigamus, illud in summa colligimus, nullam prorsus esse concilii potestatem in eum qui jure sit Pontifex. Et quamvis tria sint in quibus prima fronte aliud videri possit, primum ubi plures de Pontificali contendunt, alterum ubi Pontificis electio est irrita, tertium ubi fuerit hæreticus Pontifex, horum tamen nihil conclusioni nostræ obsistit. Nam et in eo quod primo diximus, ubi non apparet quis sit Pontifex, perinde est ac si non esset, nam non esse et non apparere paria esse judicantur. Quod autem secundo loco tractatum est, qui legitime non est electus, is neque Pontifex appellari meretur, nec Pontificia subnixus est auctoritate. Is denique qui in hæresim lapsus contumaciter in prava opinione perseverat, ne inter Pontifices quidem numeratur... In reliquis autem Papam, quanquam manifestissime peccantem, neque ab ullo mortalium judicari posse, neque potestatem suam Concilii censuræ jure posse submittere abunde probatum est » (parte I, n. 214).

7° *Ad Papam pertinet plenitudo potestatis ecclesiasticæ.* — Id probat Cardinalis Albanus, parte II, an. 1, usque ad 26.

8° *Ad Papam pertinet causas fidei decidere, ita ut absque Pontificis auctoritate a nemine alio decidi valeant.* — Id probat fuse parte II, n. 26 et seq. Sic habetur n. 47 :

« Quare rursus dicimus quæstionem fidei a Papa jure proprio posse decidi ; et sine ipsius auctoritate a nemine præterea quod plus est. Nam aut asserimus potestatem hanc Pontificia majorem esse, aut parem, aut inferiorem. Si majorem dicimus, hoc pacto sequeretur Papam, deficiente jurisdictione, constituto concilio, desinere esse caput Ecclesiæ, id quod esset absurdum, et ab omni ratione abhorrens ; quoniam sine aliqua sacrarum Litterarum auctoritate asserere, Papam tum demum sua jurisdictione carere cum concilium congregatur, est vel facile contemnendum... »

9° *Papa loquens, non ut persona privata, sed tanquam Summus Pontifex, errare nequit.* — « Rursus dico, loca in quibus

autores sentiunt Pontificem errare posse, intelligenda esse de judicio personali ipsius Pontificis; aliter autem ubi Pontifex Maximus, ut Christi Vicarius, sedens in solio suæ majestatis negotium fidei definiret; quia eo casu, cum ei Spiritus Sanctus assistat, ut paulo ante probavimus, credendum est eum errare non posse » (Cardinalis Albani, *de Potestate Papæ*, parte II, n. 171, tomi citati, folio 78 verso).

Doctrina Facultatis Lovaniensis, anno 1544. — Lovaniensis Facultas, anno 1544, jussu Caroli V Imperatoris duos et triginta articulos edidit adversus Lutheri errores. Sic autem habetur articulo 22 :

« Firma fide tenendum est, unam esse in terris veram atque catholicam Christi Ecclesiam, eamque visibilem, quæ ab Apostolis fundata in hanc usque nostram ætatem perdurans retinet et suscipit quidquid de fide et religione tradidit, tradit et traditura est cathedra Petri, supra quam ita a Christo sponso suo est ædificata, ut in his quæ fidei sunt et religionis errare non possit. »

Articulo autem 25 sic occurrit :

« Certa fide tenenda sunt, non solum quæ scripturis expresse sunt prodita, sed etiam quæ per traditionem Ecclesiæ catholicæ credenda accepimus, et quæ definita sunt super fidei et morum negotiis, per cathedram Petri, vel per concilia generalia legitime congregata. »

Hosce articulos postquam citavit Zaccaria (in *Antifebronio vindicato*, dissert. V, capite II, n. 3) ita adnotat : « Launoius, in epistola ad Joannem Franchevillam, Lovaniensem theologum, hæc Lovaniensis facultatis verba plane corrupit. Etenim particulæ *vel* substituit *atque*, ut celeberrimæ facultati contrariam plane sententiam affingeret, his verbis : *Hæc Petri cathedra generali copulanda est concilio*. O fidem Febronianorum heroum ! » Constantem eam fuisse Facultatis Lovaniensis doctrinam, vide infra capite XII.

Doctrina Cleri Gallicani, anno 1579. — Cleri Gallicani con-

ventus Melodunensis anni 1579, titulo I constitutionum, qui est de fidei professione sic decrevit :

« Operam dabunt ii quibus hæc cura demandata est, Episcopi scilicet et eorum vicarii, ut in omnibus synodis tam diœcesanis quam provincialibus, omnes et singuli, tum clerici tum laici, amplectantur et aperta professione eam fidem pronuntient, quam sancta Romana Ecclesia, magistra, columna et firmamentum veritatis profitetur et colit. Ad hanc enim, propter suam principalitatem, necesse est omnes convenire ecclesias. »

Notetur ibi non dari locum vanissimæ cavillationi, qua contenditur *Ecclesiæ Romanæ* denominatione intelligi posse universam Ecclesiam. Nam Gallicani antistites, citando sancti Irenæi verba *Ad hanc enim...*, hoc ipso Romanam Ecclesiam ab omnibus aliis contradistinguunt, quas pronuntiant cum illa Romana convenire debere. Igitur Gallicanus Clerus, anno 1579, Ecclesiam Romanam, quatenus *particularem Ecclesiam*, habebat pro *magistra*, *columna et firmamento veritatis*, cujus fidem *omnes et singuli* profiteri tenebantur. Proinde Romanæ Ecclesiæ, quatenus particulari seu ab aliis Ecclesiis distinctæ, inerrantiam quoad fidem firmissime adscribebat ; et nihili faciebat quæ Constantiensis concilii temporibus Petrus de Alliaco, Gerson, et alii nonnulli in contrarium effutiverant.

Doctrina Mauclerl. — Mauclerus, doctor Sorbonicus, in celebri opere suo *de Monarchia* (t. I, p. 513 et seq., edit. Parisiis, 1622) quod Ludovico XIII regnante edidit, ita docet : « Illud præ nobis in conscientia tanquam verum et catholicum ferre debemus et animo constanti vereque christiano firmiter asserendo testari : Romanum Pontificem aliquid in spectantibus ad fidem, quatenus supremus universalis Ecclesiæ doctor est, definire non posse quod errore sit aliquo commaculatum. Hoc nemo catholicorum inficiari præsumet, cum vertex scholasticorum theologorum (S. Thomas) tam clare perspicueque cum asseveratione dixerit, *auctoritatem res fidei definiendi principaliter in Summo Pontifice resi-*

dere (S. Thomas, IIª IIæ, q. xi, art. 2, ad 3)... Quem locum sua Cajetanus illustrans expositione scripsit : *Ecclesiæ universalis auctoritatem determinativam de fide principaliter in Summo Pontifice residere, in quantum Summus Pontifex est; quia sic, et non ut singularis persona est, a Deo gubernatur in his quæ sunt fidei, ita ut contra fidem determinare non possit...*

« Hanc divi Thomæ sententiam sanctus Antoninus (tertia parte, titulo XXII, cap. ix, § 18), Albertus Pighius..., Alphonsus a Castro..., Thomas Valdendis..., Ekius..., Melchior Cano (l. VI, c. iii), Bannes..., aliique recentis memoriæ gravissimi divinæ sapientiæ professores amplectuntur...

« Insanit profecto, quisquis ille sit, qui in Ecclesia Dei Christi Domini sanguine redempta, supremum illud ab omni errore liberum adesse tribunal non credit, qua synagoga non caruit, in qua judicium ac decretum magni sacerdotis pro lege celebrabatur, proque cœlesti oraculo dato divinitus habebatur. »

Doctrina Facultatis Coloniensis *anno* 1615. — In censura adversus libros Marci Antonii de Dominis, Romani Pontificis infallibilitatem strenue asseruit, ut testatur Zaccaria (in *Antifebronio vindicato*, diss. V, cap. ii, n. 3) his verbis : « A Lovaniensi facultate disjungenda non est Coloniensis, quæ non solum anno 1688, septima septembris, inerrantiam Romani Pontificis in doctrina de fide et moribus toti Ecclesiæ proponenda, ejusque eminentiam supra Episcoporum concilia se profiteri declaravit, ut aiunt in judicio academico contra Febronium ipsi Colonienses, sed etiam anno 1615, in censura adversus Marci Antonii de Dominis de republica libros, eamdem strenue proposuerat ac stabiliverat» (Zaccaria, *Antifebronius vindicatus*, dissert. v, cap. ii, n. 3).

Doctrina Bellarmini. — Obiit Cardinalis Bellarminus anno 1621. Quomodo statum quæstionis exponat (*de Romano Pontifice*, libro IV, capite ii), vidimus supra, sectione I, capite iii. Ibi porro de sententia quæ negat Romani Pontificis de fide

statuentis inerrantiam, dicit : « *Non est proprie hæretica;* nam adhuc videmus ab Ecclesia tolerari : *tamen videtur omnino erronea et hæresi proxima.* » Postea vero hunc locum ipsemet emendavit hoc modo : « Ubi dicimus : sententiam illorum qui docent infallibilitatem judicii non esse penes Papam, sed penes concilium generale, non esse *plane hæreticam*, *sed erroneam et hæresi proximam :* Rectius dicemus : *Nos non audere eam sententiam plane hæreticam judicare;* quoniam qui sententiam illam sequuntur, neque ab Ecclesia ipsi damnati, neque libri eorum prohibiti unquam fuerunt; videri tamen nobis ita manifeste erroneam, ut merito possit Ecclesiæ judicio hæretica declarari. »

Doctrina Suaresii. — Obiit Suarez anno 1617. In suo tractatu *de Fide*, quæstionem ponit hoc modo : « Utrum, si solus « definiat absque generali concilio, eamdem habeat infalli- « bilitatem et sit regula fidei, vel possit errare. » Et sic respondet : *Veritas catholica est, Pontificem definientem ex cathedra esse regulam fidei, quæ errare non potest, quando aliquid authentice proponit universæ Ecclesiæ, tanquam de fide divina credendum. Ita docent hoc tempore omnes catholici doctores; et censeo esse rem de fide certam* (tractatu *de Fide*, disputat. V, sect. VIII, n. 4).

In eadem sectione concludit, extendi hanc Romani Pontificis infallibilitatem ad mores, generalemque disciplinam, necnon ad canonizationem sanctorum et religiosorum ordinum approbationem.

Attendenda valde citata Suaresii dicta, quatenus communem sui ævi doctrinam testantur. Non enim declarat tantum quid ipse sentiat, id est, Romanum Pontificem ex cathedra definientem *esse regulam fidei quæ errare non potest*, idque esse *veritatem catholicam* et *rem de fide certam;* sed insuper testatur ita suo tempore docere *omnes* catholicos doctores. Hanc sui ævi doctorum *unanimem* doctrinam nisi plane compertam habuisset, haud sane eam vir prudens fidenter asseruisset Unde opinio contraria, quæ Constantiensis concilii

tempore exorta fuerat et a Gersonio paucisque aliis propugnata, jam penitus Suaresii tempore obsoleverat et ab omnibus ut aperte erronea rejiciebatur.

Doctrina sancti Francisci Salesii. — Obiit anno 1642. In opere *de Fidei controversiis*, capite x, sic habet : « L'Église a « toujours besoin d'un confirmateur infaillible auquel on « puisse s'adresser, d'un fondement que les portes de l'enfer « et principalement l'erreur ne puissent renverser, et que « son pasteur ne puisse conduire à l'erreur ses enfants. Les « successeurs donc de saint Pierre ont tous ces mêmes privi- « léges, qui ne suivent pas la personne, mais la dignité et la « charge publique. »

Doctrina cleri Gallicani anni 1625. — In dicti anni comitiis exarata sunt monita quædam, ad Galliæ antistites mittenda, et sic inscripta : *Avis de l'assemblée générale du clergé de France à Messieurs les Archevêques et Évêques du royaume.* Eorum textus habetur in collectione *Procès-verbaux des assemblées du clergé de France*, auctoritate comitiorum anni 1762 et 1765, Parisiis edita, anno 1768 (ad calcem tomi secundi, *Pièces justificatives*, pag. 70). Horum monitorum numero 137 aperte docetur Romani Pontificis infallibilitas. At suppressus est liber monita hæc continens. De quo sic adnotatur p. 586 tomi secundi citatæ collectionis *Procès-verbaux* : « Ayant été « remontré qu'il se glissait plusieurs dangereux abus en « l'ordre ecclésiastique, dont il fallait arrêter le cours, « Mgr l'Évêque de Chartres travailla par ordre de l'as- « semblée à un règlement qui consistait en 158 articles, et « qui fut présenté sous le titre d'*Avis de l'assemblée à Mes- « sieurs les Archevêques et Évêques de ce royaume.* Il fut de- « puis supprimé par l'assemblée. »

Ibidem, pagina 514 et 515, refertur quomodo ejusmodi monitorum jam typis mandata exemplaria a comitiis suppressa sint : « Ne voulant l'assemblée, pour bonnes considé- « rations, qu'ils soient imprimés; et en cas qu'ils soient dé- « bités, l'assemblée déclare n'être de sa part. »

De causa vero ob quam suppressio hæc decreta fuerit, nequaquam adhibenda fides est editori citatæ collectionis, qui (multis post annis) sic adnotavit : « Après que ces « avis, dressés par Mgr de Chartres, eurent été imprimés, « ils furent supprimés par l'ordre de l'assemblée. Une des « principales causes de la suppression *est l'infaillibilité du « Pape*, qui paraît établie dans l'article 137 » (ad calcem tomi secundi, *Pièces justificatives*, pag. 70, in nota). Multo magis credendum existimamus, cum Zaccaria, auctori operis, *Remarques d'un théologien... sur le traité de M. Maimbourg*, qui sic habet pagina 75 :

« Cet article 137 ne fut jamais improuvé du clergé de France; au contraire, la principale cause de la suppression fut qu'il y avait quelque endroit qui semblait déroger à l'autorité du Pape, en rendant le concile provincial unique juge de la cause des Évêques. C'est ce qui paraît en regardant dans ces avis les pages 11, 18 et 54, qui sont les endroits marqués et repris par le Cardinal de la Rochefoucauld » (confer Zaccariam, *Antifebronius vindicatus*, dissert. V, cap. II, n. 4.)

Si quis ejusmodi articulos pervolvat, reperiet quamplurima quæ juri communi et Sedis Apostolicæ auctoritati repugnant. In exemplum sit articulus 17 : « Seront principalement décidées dans les conciles provinciaux les plaintes que l'on fera contre les Évêques; lesquels comme étant établis et constitués de Dieu dans la *souveraine dignité* spirituelle, n'*ont personne que les conciles qui puissent censurer leurs actions en terre.* » Sane hæc et similia multa Sedes Apostolica reprobasset ac condemnasset. Et hanc ob causam autumo ego suppressos fuisse ejusmodi articulos, non autem ob assertam Papæ infallibilitatem. Potest ergo articulus 137 aliquatenus adduci ad testandam cleri Gallicani anni 1625 de Romani Pontificis infallibilitate persuasionem, cum nequaquam verisimile sit ob hunc articulum decretam fuisse suppressionem. Nos tamen eo documento non nitimur, sed ideo tantum

memoramus, ne quis ob dictam suppressionem existimet contrariam fuisse comitiorum anni 1625 sententiam, prout subdole persuadere nititur supra citati editoris nota. Cæterum in hoc articulo 137 sic habetur :

« C'est un des grands témoignages de l'amour qu'on porte à Dieu, quand on respecte et honore ceux qu'il a constitués en ce monde pour être son image et y tenir sa place, et en son lieu suppléer visiblement aux nécessités des hommes pour le salut de leurs âmes. Ce qui ayant été donné prérogativement aux Souverains Pontifes par-dessus tous les Évêques, il est bien raisonnable que, se reconnaissant ses inférieurs, ils leur portent tel honneur, respect et révérence, qu'à leur exemple tout le reste des hommes fasse la même chose. Les Évêques seront donc exhortés d'honorer le Saint-Siége Apostolique et l'Église Romaine, fondée dans la promesse infaillible de Dieu, dans le sang des apôtres et des martyrs, la mère des Églises; laquelle, pour parler avec saint Athanase, est comme la tête sacrée par laquelle les autres Églises qui ne sont que ses membres, se relèvent, maintiennent et conservent : ils respecteront aussi notre Saint-Père le Pape, chef visible de l'Église universelle, vicaire de Dieu en terre, Évêque des Évêques et Patriarche des Patriarches, en un mot successeur de saint Pierre, auquel l'apostolat et l'épiscopat ont eu commencement, et sur lequel Jésus-Christ a fondé son Église, en lui baillant les clefs du ciel AVEC L'INFAILLIBILITÉ DE LA FOI, que l'on a vue miraculeusement durer immuable dans ses successeurs jusqu'aujourd'hui : ce qui ayant obligé les fidèles orthodoxes à leur rendre toute sorte d'obéissance et de vivre en déférence à leurs saints décrets et ordonnances, les Évêques seront exhortés de faire continuer la même chose, et réprimer tant qu'il leur sera possible les esprits libertins, qui veulent révoquer en doute et mettre en compromis cette sainte et sacrée autorité, confirmée par tant de lois divines et positives; et, pour montrer le chemin aux autres, ils y déféreront les premiers. »

Doctrina Episcoporum Galliæ ab anno 1651 usque ad 1661, *ex gestis in causa Jansenismi*. —Exstat relatio de gestis ejusmodi, jussu comitiorum Cleri Gallicani anni 1655 scripta, quam reperies in collectione *Procès-verbaux des assemblées*, etc. (édition de Paris, 1770, autorisée par les assemblées de 1762 et 1765, tomo quarto, ad calcem, *Pièces justificatives*, pag. 29); ad quam relationem remittimus quoad infra citata documenta. Omnimodam autem præ se ferunt acta Episcoporum Galliæ, in præfata jansenistarum causa, de Romani Pontificis infallibilitate persuasionem. Quod ut pateat, gesta illa sigillatim recenseamus.

1° Sic exorditur epistola, anno 1651 ad Innocentium X missa, cui subscripserunt 85 Galliarum Episcopi, et qua postulabant a Sede apostolica *judicari* quinque jansenianas propositiones : « Majores causas ad Sedem Apostolicam referre solemnis « Ecclesiæ mos est, quem fides Petri *nunquam deficiens* per- « petuo retineri pro jure suo postulat. Æquissimæ huic legi « obsequentes de gravissimo circa religionem negotio sancti- « tati tuæ scribendum esse consuimus » (loco citato, pag. 39). Iis sane verbis profitentur Galliæ Episcopi suam de Romani Pontificis infallibilitate persuasionem. Cur enim in hac fidei causa Romanum adeunt Pontificem? Quia, inquiunt, jus habet Sedes apostolica ut majores causæ ad ipsam referantur. Cur vero jus istud habet Sedes apostolica? Quia *fides Petri nunquam deficiens* ita postulat. Voces ergo illas, *fides Petri nunquam deficiens*, intelligunt de fide quam tenent et docent Romani Pontifices.

Sub finem ejusdem epistolæ ita subjungunt : « Experta est « nuper Beatitudo tua, quantum Apostolicæ Sedis in gemini « Ecclesiæ capitis errore profligando valuerit auctoritas : con- « tinuo sedata est tempestas, atque ad Christi vocem et im- « perium venti et mare obedierunt. » Qui sic scribunt profecto existimant valere Romani Pontificis definitiones ad tollenda circa res fidei dubia. Id autem præstare non valerent Pontificia decreta, nisi infallibilia forent.

Et notetur ab Episcopis Galliæ non exprimi suum de quinque propositionibus judicium, sed tantum exposci decisionem Pontificiam. Confidunt nempe satis in tuto fore veritatem catholicam, statim ac Sedes apostolica pronuntiaverit. Hac ergo eorum epistola, si attente perpendatur, plenam de Romani Pontificis infallibilitate persuasionem exprimi comperietur.

2° Cum Innocentius X quinque jansenianas propositiones, constitutione sua *Cum occasione*, 9 junii 1653, condemnasset, iterum ad ipsum scripsere Galliæ Episcopi, die 15 julii 1653, in hunc modum :

« Optata pervenit ad nos tandem constitutio illa, qua vestræ « sanctitatis auctoritate, quid sentiendum sit de controversis « quinque propositionibus... perspicue decernitur. Excitatæ « in Belgio contentiones flagrabant etiam in Galliis, et latissi- « mum incendium per universas Ecclesiæ partes minabantur, « ni pesti grassanti et certissimam perniciem allaturæ obsti- « tisset Beatitudinis vestræ indefessum studium, et *ex alto* « *petita potestas*, *quæ sola* acerrimam illam animorum colli- « sionem *compescere poterat*. Agebatur de... Ilujus doctrinæ « lucem, recentioris illius auctoris (*Jansenii*) disputationibus « obscuratam, *pristino nitori restituit* (juxta veterem fidei re- « gulam, ex scripturis et antiqua Patrum traditione, in conci- « liis olim et nuper auctoribus summis Pontificibus constitu- « tam), *prolatum a sanctitate vestra*, postulantibus compluribus « Galliarum Episcopis, *decretum*. Quo in negotio illud obser- « vatione dignum accidit, ut quemadmodum ad Episcoporum « Africæ relationem, Innocentius primus Pelagianam hæresim « damnavit olim, sic ad Gallicanorum Episcoporum consulta- « tionem, hæresim ex adverso Pelagianæ oppositam Innocen- « tius decimus auctoritate sua proscripserit. Enimvero ve- « tustæ illius ætatis *Ecclesia catholica*, *sola cathedræ Petri* « *communione et auctoritate fulta*, quæ in decretali epistola « Innocentii ad Africanos data elucebat, quamque dein Zozymi « altera ad universos orbis Episcopos epistola subsecuta est, « *Pelagianæ hæresis damnationi absque cunctatione subscripsit.*

« Perspectum enim habebat, non solum ex Christi Domini nos-
« tri pollicitatione Petro facta, sed etiam ex actis priorum
« Pontificum, et ex anathematismis adversus Apollinarium et
« Macedonium, *nondum ab ulla synodo damnatos*, a Damaso
« paulo antea jactis, *judicia pro sancienda regula fidei a Summis*
« *Pontificibus lata*, super Episcoporum consultatione (sive
« suam in actis relationis sententiam ponant, sive omittant,
« prout illis collibuerit), *divina æque ac summa per universam*
« *Ecclesiam auctoritate niti; cui christiani omnes ex officio, ip-*
« *sius quoque mentis obsequium præstare teneantur*. Ea nos
« quoque sententia ac fide imbuti, » etc.

Ibi expresse profitentur Gallicani Episcopi, judiciis pro sancienda regula fidei a Romano Pontifice latis, inhærere *summam* ac *divinam* auctoritatem, cui omnes *tenentur obedire*, etiam *per obsequium mentis*, id est, vera esse illa judicia credendo. Et loquuntur de iis etiam judiciis quæ profert Romanus Pontifex absque prævia ullorum Episcoporum sententia. An, quæso, fortius et clarius profiteri poterant, infallibilem a se agnosci in fidei definitionibus Romanum Pontificem? Si erroneæ esse valerent ejusmodi definitiones, absonum æque ac impium foret *summam* eis ac *divinam* auctoritatem tribuere, et singulos christianos ad veras eas credendas, etiamsi falsæ sint, adstrictos velle.

Sed notandum vel maxime quod subjiciunt Gallicani Episcopi de pœnis in eos irrogandis, qui Pontificiæ illi constitutioni obsequi renuerent : « Neque vero, inquiunt, pœnæ deerunt
« adversus temerarios illius violatores quæ a jure *hæreticis* in-
« fliguntur; quibus (*pœnis in hæreticos a jure latis*) juxta con-
« stitutionis tenorem et Breve sanctitatis vestræ nobis direc-
« tum, contumaces omnes, nullo conditionum vel statuum
« discrimine facto, perstringemus. » Adeo habent Innocentii X definitiones pro infallibilibus, ac de fide tenendis, ut justum reputent pœnis in *hæreticos* a jure latis eos perstringere, qui obsequi renuent. Et ita tenent, non tantum quamvis nulla generalis synodus illas Innocentii X definitiones confir-

masset, sed etiam antequam ullam haberent ac habere possent de Ecclesiæ dispersæ consensu notitiam. Nam constitutionem suam ediderat Innocentius X die 9 junii 1653. Episcopi vero Gallicani eam notam habuerunt ac de ea in comitiis deliberarunt mense julio ejusdem anni... Cum ergo ipsorum ad Innocentium litteræ scriptæ sint die 15 julii 1653, planum est eos ne vel minimum Ecclesiæ dispersæ consensum expectasse. Unde cum adeo expresse declarant Innocentii X definitiones pro peremptoriis esse habendas, et oppugnatores tanquam *hæreticos* esse puniendos, ita sentiunt et declarant antequam resciverint et rescire potuerint an accederet necne Ecclesiæ dispersæ consensus. Ac proinde ex sola Romani Pontificis auctoritate ejusmodi definitionibus peremptoriam vim inesse profitentur. Nondum scilicet anno 1653 inductum fuerat Gallicanum systema de necessaria generalis synodi confirmatione, aut saltem tacita Ecclesiæ dispersæ consensione, ut dogmatica Romani Pontificis decreta infallibilis regulæ vim habeant.

5° Coadunati Parisiis Antistites hæc inter alia scripsere, die 15 julii 1653, ad reliquos Galliæ Archiepiscopos et Episcopos : « Chacun s'est rendu aux pieds de la chaire de saint Pierre, qui est le centre de l'unité catholique, où toutes les lignes doivent aboutir, si elles ne veulent, en s'en écartant, trouver leur ruine dans leur séparation » (loco citato, pag. 47). Separatio a Sede Apostolica fit potissimum recedendo a fide quam ipsa tenendam docet ac præcipit; ac proinde recedendo a dogmaticis ejus definitionibus. Et ruinam esse hanc separationem asserunt Gallicani Antistites. Non autem ruinam dicerent, si Pontificias illas definitiones errori obnoxias existimarent. Proinde sic loquendo æquivalenter Pontificiarum definitionum infallibilitatem profitentur.

4° Cum objecissent Jansenistæ, quinque propositiones nec esse Jansenii, nec damnatas in sensu Jansenii, Episcopi Galliæ ad Innocentium X, die 28 martii 1654, litteras iterum direxere, in quibus hæc de Jansenistarum artibus occurrunt : « *E vetere fidei deposito, cujus custodia cathedræ Petri a Christo*

« *concredita est, partem adimere tentant*, decreti Apostolici « majestatem ad fictas controversias dirimendas turpiter diji- « ciendo » (loco citato, pagina 49). Ergo existimabant Galliæ Episcopi, Sedi Apostolicæ ita concreditam fuisse fidei custodiam, ut nefas sit non tantum fidem dogmaticis ejus decretis expressam respuere, sed etiam fictos dicere et nullibi existentes errores, ad quos damnandos decreta hæc edita sunt.

5° In suis ad Alexandrum VII litteris, 2 septembris 1656, de supradicta Innocentii X constitutione mentem suam sic iterum declarant Gallicani Antistites : « Eadem sane mentis « alacritate illud (Breve) suscepimus, qua concilii Africani Pa- « tres ab ipsis expetitam Zozimi epistolam amplexi sunt, « quæ Pelagii atque Cœlestii errores, quos clanculum propa- « gabant, *peremptorio decreto* prostravit » (tomo citato, *Pièces justificatives*, pagina 58). Hæc ergo ipsorum mens : sicut Zozimi epistolam, ita Innocentii X constitutionem *peremptorium* fuisse *decretum*. Definitionem ergo Romani Pontificis, absque ulla generalis concilii confirmatione, et ante omnem Ecclesiæ dispersæ cognitum consensum, habuerunt tanquam *decretum peremptorium*, ad prostrandum errorem sufficiens. *Peremptorium* autem non est Pontificis decretum, nisi sit infallibile.

In iisdem litteris sic habetur : « Finita est causa rescriptis apostolicis; utinam finiatur et error, si licet verbis Augustini vota nostra concipere. » Igitur Episcopi Galliæ pro *finita* causam habuerunt, ob definitionem Romani Pontificis. Proinde hujusmodi definitionem pro infallibili fidei regula incunctanter habuerunt; alioquin dicendum foret eos adeo delirasse, ut existimaverint causas fidei definitione fallibili finiri posse.

6° Post præscriptam ab Alexandro VII subscribendam formulam, litteras ad eum direxerunt Galliæ Episcopi, anno 1660, in quibus hæc occurrunt : « At postquam supra montem illum « qui est in vertice montium ascendisti, ut evangelizares Sion, « vox Domini in manu forti : quippe dedit Deus voci suæ vo- « cem virtutis in tua beatitudine, quæ locuta est sicut potes- « tatem habens. Clamavit et quasi tuba exaltavit vocem suam

« ad retundendos omnes impetus Jansenianæ sectæ... Nullum « quippe novimus montem coagulatum quam Apostolicum, « ubi doctrina cœlestis, sicut lac parvulis, bene autem valen- « tibus tanquam solidus cibus ministratur. In hoc monte nos « ipsi pascimur (ut ait Augustinus ad populum suum), pasci- « mus vos, pascimur vobiscum. Et quia *in eo Dominus docet*, « statuimus ibi, secundum verba Tertulliani, finem quærendi, « stationem credendi, expunctionem inveniendi... In te au- « tem, velut in Petri successore, *nostrum omnium fortitudo fir- « mata est*[1]. » Qui hæc asseruere, vel Romani Pontificis ex cathedra loquentis infallibilitatem pro omnino certa habuerunt, vel egregie mentiti sunt.

7° In encyclicis litteris conventus cleri Gallicani 2 octobris 1663, sic legere est : « La lettre circulaire que l'assemblée générale du clergé de France écrivit à tous les Évêques de ce royaume le 15 juillet 1653, marque que la soumission que nous avons accoutumé de rendre au Saint-Père, est comme l'héritage des Évêques de France; lesquels dans un synode tenu sous Carloman et Pépin, firent une déclaration solennelle de vouloir garder l'unité avec l'Église Romaine, et être sujets à saint Pierre et à son vicaire jusqu'à la fin de leur vie. J'ajouterai qu'Alcuin, Avite, Évêque de Vienne... écrivant au Pape Hormisdas, l'assure que non-seulement l'Église de Vienne, mais aussi toutes celles de France, sont dans une parfaite volonté *de suivre tout ce qu'il ordonnerait touchant les matières de foi*. C'est le point solide de notre gloire, *qui rend notre foi invincible et notre autorité infaillible, lorsque nous tenons l'une et l'autre inséparablement attachées au centre de la religion, en nous liant au Siége de saint Pierre, pour la créance et pour la discipline*, dans l'unité de l'esprit de l'Église... Nous espérons plus que jamais une victoire achevée contre l'hérésie janséniennne, puisque le *soleil du Vatican a mêlé la plénitude de son jour* aux lumières de notre conduite.... Nous pouvons dire à ces aveugles volontaires ce que disait

(1) Procès-verbal de l'assemblée de 1660, page 591.

saint Augustin après que le Pape Innocent eut approuvé ce qui avait été délibéré dans les conciles d'Afrique, la *cause est finie.* » (Encyclicam illam reperies in opere *Recueil historique des bulles... concernant les erreurs de ces deux derniers siècles*, Mons, 1698, page 163.) Qui sic loquuntur, nisi mentiantur vel insaniant, pro infallibilibus habent Romani Pontificis definitiones dogmaticas. Quomodo enim infallibilis evadere posset fides et auctoritas Episcoporum Galliæ, *ex sua unione* cum *centro*, id est, *Sede Romana*, nisi hujus *centri* seu Romani Pontificis fides et auctoritas infallibilis sit? Item quomodo *finita* causa dici potest, ex eo quod Romanus Pontifex pronuntiaverit, si errare potuerit? Item quomodo *plena* dici potest lux *solis* istius, id est, Romani Pontificis, si valeat hæresim docere?

Doctrinam de infallibilitate Papæ in Gallia vigentem anno 1653, *testatur quoddam conciliabulum Jansenistarum, cui interfuit Thomassinus.* — Quid in eo conciliabulo gestum fuerit circa constitutionem Innocentii X (*Cum occasione*, 31 mai 1653), enarravit Hillerin, Ecclesiæ Rupellensis decanus, in epistola sua ad quemdam Andegavensem canonicum scripta die 7 martii, 1746 (quam epistolam editam reperies in opere *Conférences d'Angers* tomo XIV, pagina 640 editionis Bisuntinæ, 1830. — In veteribus editionibus habetur *Conférence sixième* sur *la Grâce*, question II). Sic habet dicta epistola :

« Monsieur, j'apprends avec une agréable surprise que vous souhaitez d'être informé exactement d'une aventure, dont me fit part, il y a soixante ans, le R. P. Thomassin, prêtre de l'Oratoire, dont l'érudition et la piété sont connues dans toute l'Église chrétienne. Quelle joie pour moi, si une conversation de deux heures, qu'un ami me procura avec un grand homme, pouvait aujourd'hui devenir utile à l'Église !... Je n'ai vu ce Père qu'une fois, car il ne voyait personne en ce temps-là : et on regarda comme une faveur singulière le temps qu'il eut la bonté de m'accorder. J'en

avais besoin pour m'éclaircir de quelques difficultés sur les matières de la grâce. Il me dit très-peu de chose sur cela, et pensa uniquement à m'affermir dans l'amour et l'obéissance qu'on doit à l'Église, et à m'empêcher de tomber dans certains piéges qu'on me tendait, et dont on l'avait instruit. Je demeurais alors au séminaire de Saint-Magloire.

« A cette occasion il me dit ce qui s'était passé il y avait longtemps, et que j'ai bien retenu, l'ayant raconté à plusieurs personnes, et l'ayant même donné une fois par écrit.

« Lorsque la bulle d'Innocent X eut été rendue publique et acceptée par les Évêques de France, il se tint dans le faubourg Saint-Jacques une assemblée des principaux messieurs de Port-Royal. Ils étaient trente-deux, et le P. Thomassin y avait été appelé. Il était alors dans le parti janséniste ; et quoique fort jeune théologien, il m'avoua qu'on avait pour lui beaucoup de considération. Il avait le cœur droit et l'esprit lumineux : cela paraît par ses ouvrages.

« Là on mit sur le tapis la bulle du Pape, et on demanda ce qu'il y avait à faire. Je l'interrompis : Eh ! mon Père, lui dis-je, il n'y avait qu'un parti à prendre. Vous le croyez, me répondit-il en souriant, et vous pensez bien. Je vous assure pourtant qu'aucun ne conclut pour l'obéissance. Celui qui en approcha le plus fut M. Pascal. Il réfuta avec sa droiture naturelle ceux qui avaient tergiversé sur le sens des propositions comme ils avaient fait à Rome. Il reconnut que c'était à eux que le Pape en voulait, et que leurs sentiments étaient condamnés. Partant, qu'il fallait se soumettre et reconnaître leur tort, ou attaquer le Pape même sur sa condamnation. Qu'il leur avait ouï dire que le Pape n'était point infaillible ; qu'il fallait donc appeler de son jugement à quelque autorité supérieure ; qu'il n'y avait au-dessus du Pape que le concile général. Toute l'assemblée parut applaudir à l'expédient proposé.

« Alors M. Arnauld voyant un murmure d'approbation, et

craignant que l'assemblée ne donnât dans ce moyen d'appel, demanda audience. Il s'y opposa fortement, et représenta que cette voie d'appel n'avait été proposée que par des hérétiques. Il cita les endroits de saint Augustin connus de tout le monde, et dit qu'on serait bien fondé à les traiter d'hérétiques ; que jamais on ne finirait aucune contestation dans l'Église, et autres raisons qu'on a tant fait valoir contre les appelants de nos jours, et dont le P. Thomassin me dit s'être servi dans une de ses dissertations sur les conciles. Que faire donc, dirent ces messieurs? Il aurait été aisé de répondre, me dit en souriant ce bon Père; mais la prévention était trop forte. Ce fut alors que M. Arnauld exposa ce nouveau dénoûment qui a causé tant de scandale dans l'Église de France, la distinction du fait et du droit, qui a ouvert la porte à tous les mensonges, les duplicités et les fourberies les plus insignes. J'y donnai alors les mains, me dit-il en levant les épaules. Quel tort on a fait à l'Église! M. Arnauld, ajouta-t-il en gémissant, craignait les foudres de Rome ; c'est ainsi qu'il les appelait. Sur qui en effet cette pierre est-elle tombée qui n'en ait été écrasé? Là finit notre conversation. »

In alia epistola ejusdem domini Hillerin, diei 24 mars 1748, ita subjungitur : « Ce fut en 1687 que le P. Thomassin me raconta le fait dont je vous ai fait part, et il ne trouvera point de contradicteurs. »

Ex hoc documento duo, ni fallor, colligenda veniunt : *primum*, tunc temporis aliquos saltem e cœtu janseniano extitisse qui Romano Pontifici infallibilitatem denegarent, cum ibi coadunatos Jansenistas alloquens Pascal asserat, se ab eis audivisse Papam non esse infallibilem. *Secundum*, solos Jansenistas clanculum aut paucos alios malæ famæ doctores opinionem hanc tunc professos esse, cum formidaverit Jansenista Arnauld ne, si ea niterentur et consequenter ad superius tribunal, generale scilicet concilium, appellarent, pro hæreticis haberentur. Unde ad systema confugiendum censuit *juris et facti*, juxta quod Romani Pontificis judicium peremp-

torium fatebantur, et negabant dumtaxat damnatas quinque propositiones apud Jansenium reperiri.

Doctrina adhuc in Gallia et in toto orbe catholico vigens anno 1662, *ex testimonino Petri de Marca.* — Anno 1661 Jesuitæ, Parisiis in Claromontano collegio, hanc thesim propugnandam susceperant : « Christum nos ita caput Ecclesiæ agnosci-« mus, ut illius regimen dum in cœlos abiit, primum Petro, « tum deinde successoribus commiserit, et eamdem quam « habebat ipse infallibilitatem concesserit, quoties ex cathe-« dra loquerentur. Datur ergo in Ecclesia Romana controver-« siarum fidei judex infallibilis, etiam extra concilium gene-« rale, tum in quæstionibus juris tum facti. »

Occasione hujus thesis, Petrus de Marca, anno 1662, commentariolum Baluzio dictavit, in quo sententiam de Romani Pontificis ex cathedra loquentis infallibilitate vocat « l'opi-« nion générale, reçue et approuvée par l'Église Romaine et « par les écoles de la chrétienté. » Atque ibidem sic testatur : « Cette opinion est la seule que l'on enseigne et que « l'on embrasse dans l'Italie, l'Espagne et autres provinces « de la chrétienté; en sorte que *celle qu'ils appellent des doc-« teurs de Paris*, est mise au rang des *tolérées* seulement. » Et in alio ejusdem opusculi loco : « Au reste ce serait ouvrir « la porte à un grand schisme que de vouloir rebuter ces « thèses, encore qu'elles soient entendues suivant l'opinion « commune : parce que non-seulement cette plainte tendrait « à ruiner ouvertement les constitutions faites contre Jan-« sénius, mais encore à disputer aux Papes publiquement « avec autorité le pouvoir d'être juges infaillibles parlant *e « cathedra* en matière de foi, qui leur est acquis par le con-« sentement *de toutes les universités*, excepté l'ancienne Sor-« bonne[1]. Le Pape aurait sujet de se plaindre que lorsqu'il « *souffre et tolère* l'opinion contraire, qui est *de peu de per-*

(1) Per verba hæc l'*ancienne Sorbonne* intelligebat Petrus de Marca doctores Sorbonicos Constantiensi concilio synchronos, id est, Gersonem, Almainum et nonnullos alios.

« *sonnes*, on ne puisse avoir la modération de souffrir et to-
« lérer celle qui appuie ouvertement ses droits. » Et in alio loco : « Mesme à présent on enseigne cette doctrine dans la « Sorbonne. Car le mesme jour douzième de ce mois de dé-
« cembre, lorsqu'on disputait au collége de Clermont sur les « thèses précédentes, on soustenait en Sorbonne la mesme « thèse en substance, qui est conceue aux termes suivans : « *Romanus Pontifex controversiarum ecclesiasticarum est con-*
« *stitutus judex a Christo, qui ejus definitionibus indeficientem* « *fidem promisit, Luc.* 22. La mesme doctrine est avancée « dans une autre thèse soustenue en Navarre le septième de « décembre de cette mesme année. »

Et tandem in eodem opusculo sic asseruit Petrus de Marca : « La plus grande partie des docteurs (loquitur de Gallis) non-
« seulement de théologie, mais encore de droit, suivent l'o-
« pinion commune, qui a des fondemens assez difficiles à ré-
« soudre, comme il a été déjà dit, et *se moquent de celle de* « *l'ancienne Sorbonne.* » (Hosce Petri de Marca textus citatos reperies apud Zaccaria, *Antifebronius vindicatus*, dissert. V, cap. II, n. 5. Ipse autem Zaccaria eos deprompsit ex Charlas, (*de la Puissance de l'Église*, pag. 90 et seq.) Quanam autem de causa Balusius, qui hanc dissertationem a dictante exce-perat, eam Petri de Marca operibus non inseruerit, adnotatur infra, ex Patre Rapin. Cæterum ipsemet Baluzius de hac dis-sertatione sic testatur :

« Composuit illa tempestate (anno 1661), gallica lingua, dissertationem de infallibilitate Papæ, quam ego ab ore dic-tantis excepi. Ea fuit postrema lucubrationum ejus » (Ba-luzius in *Vita Petri de Marca*, quam editioni ejus operum præmisit, pag. 40, in editione Francofurti, 1708).

Typis nunc mandatur huc usque ineditum opus *Mémoires du P. Rapin, de la Compagnie de Jésus ;* in quo quid senserit ac egerit Petrus de Marca, occasione præfatæ thesis de infal-libilitate Papæ, die 12 decembris 1661 in Jesuitarum collegio propugnatæ, in hunc modum exponitur : « C'était le senti-

« ment (nimirum Papam esse infallibilem) de Pierre de Marca,
« archevêque de Toulouse, le plus savant du clergé en ces
« matières-là. Ayant été consulté à l'occasion de cette thèse,
« il répondit, que de nier l'infaillibilité du Pape pour les
« choses spirituelles, *c'était se déclarer calviniste*. Et il fut
« trouver le roi pour lui ôter ces frayeurs qu'on avait voulu
« lui donner sur son État et sur le temporel de ses affaires
« par cette infaillibilité qui n'appartenait qu'aux matières de
« foi... Ce que ce prélat se crut obligé de faire pour ne pas
« renverser ce que ces deux Papes avaient fait par leurs
« bulles contre le livre de Jansénius, et qui avait été réglé
« par les deux dernières assemblées du clergé pour le For-
« mulaire, qui ne pouvait subsister si la thèse de Clermont
« était condamnée » (*Mémoires du P. Rapin*, livre XVI).

Ibidem, nonnullis interjectis paginis, sic prosequitur Pater Rapin : « Il est vrai qu'il régnait alors un méchant esprit,
« conçu par le jansénisme contre Rome, qui commençait à in-
« fecter la cour et le Parlement. On en voulait au Pape... Ce qui
« obligea Pierre de Marca nommé à l'archevêché de Paris qui
« avait prévu cet orage, lequel retomberait sans manquer sur
« lui dans le poste où il était nommé, d'écrire ses sentimens sur
« l'infaillibilité du Pape... Cet écrit est solide, judicieux, sans
« aucun esprit de partialité, propre à détromper ceux qui se
« faisaient un fantôme de cette question. Et comme ce fut pour
« les ministres et principalement pour Le Tellier (alors gou-
« verné par son fils l'abbé qu'il aimait uniquement et par son
« répétiteur Coquelin), il ne fut pas imprimé. Il s'en trouve des
« copies au séminaire de Saint-Sulpice[1], où l'on avait grand
« soin de recueillir tout ce qui pouvait servir à la défense
« de la religion. L'esprit de cet écrit était d'insinuer aux mi-
« nistres de ne pas toucher avec tant d'opiniâtreté à l'infailli-
« bilité, qu'on ne pouvait détruire entièrement sans établir

(1) An adhuc hodie penes congregationem sancti Sulpicii extet hocce Petri de Marca manuscriptum, ignoro. Quod si extet, dolendum profecto tanti momenti documentum a dicta congregatione nondum editum fuisse.

« la créance de la faillibilité, ce qui allait à la ruine de la « religion : car le Pape n'aurait bientôt pas plus d'autorité « qu'un ministre de Genève, si les fidèles étaient persuadés « qu'il n'eût pas plus d'assistance du Saint-Esprit qu'un doc- « teur particulier. Le Tellier commença à le sentir. »

Citatos Petri de Marca textus edidit latine Suardi (*de Suprema Romani Pontificis auctoritate*, ad calcem tomi primi, pag. 221, edit. Avenione, 1747), eisque hanc præfixit adnotationem : « Hoc Petri de Marca opusculum servatur manuscriptum in Bibliotheca regia, legiturque in secundo tomo in-folio manuscriptorum hujusce præsulis. »

Eos etiam citat Cardinalis Sfondratus (*Gallia vindicata*, dissert. IV, § 2, n. 12, pag. 785, edit. 1702), atque ita subjungit : « Vides doctissimum hunc virum fateri, sententiam de infallibilitate Pontificis esse omnium universitatum christianitatis, imo omnium fere doctorum universitatis Parisiensis, *excepta antiqua Sorbona ;* imo hujus opinionem a reliquis rideri. Ut vero intelligas quid nomine *antiquæ Sorbonæ* de Marca intelligat, sciendum est collegium Sorbonicum fuisse a quodam Roberto Sorbon (qui sancto Ludovico regi a sacris confessionibus et eleemosynis erat) anno 1253 fundatum ; quo tempore in Ecclesia Gallicana sententiam de Romani Pontificis infallibilitate viguisse jam supra monstratum est. Sequenti postea sæculo, hoc est anno 1373, inflammari cœpit diuturnum et obstinatum schisma, quo nihil funestius Ecclesiæ. Et quia nulla in Pontificibus spes erat illius extinguendi, imo istorum ambitione magis magisque accendebatur, cogitatum fuit de inducenda majori aliqua auctoritate, cui Pontifices obtemperare tenerentur. Ea vero a Gersone, Almaino, aliisque paucis in concilium collata est ; id enim opportunum credebant evertendis in futurum schismatibus... *Vetus* ergo *Sorbona* tempore Constantiensis et Basileensis conciliorum vigebat, constabatque, ut dixi, Gersone, Almaino, istorumque discipulis. Imo si quando inter Pontifices regesque Galliæ dissidium oriretur, mox in Parisiensi Universitate ab aliquo

doctorum hæc Gersonis machæra expromebatur terrendo Pontifici. Ita sub Sixto V, sub Julio II et Alexandro VII factum est. Hæc ergo est *vetus Sorbona*, quam a plerisque theologiæ et juris in Gallia doctoribus irrisam esse Marca testatur; nam alioquin Universitatem Parisiensem pro infallibili autoritate Pontificis stetisse paulo post ostendemus. »

Concluditur, post Constantiensis concilii tempora, universaliter viguisse in toto orbe catholico de Romani Pontificis infallibilitate persuasionem, usque ad annum 1663. — Id evincunt documenta quæ præcedenti paragrapho protulimus; pauca quidem ex immensa mole quæ exstrui potuisset, at quæ abunde sufficiant. Quis enim fidem denegabit Suaresio asserenti, *omnes* sui temporis doctores catholicos eam ipsam doctrinam tenere ac profiteri, quam ipse defendit? Huic sane Suaresii asserto cohærent cætera documenta. Deridebantur, ut ait Petrus de Marca, pauci illi veteres sorbonici qui contrarium, Constantiensis concilii tempore, opinati fuerant.

CAPUT VIII

INFALLIBILITATEM ROMANI PONTIFICIS ASSERUIT AC PROFESSA EST PARISIENSIS FACULTAS AB ANNO 1663 AD ANNUM 1682. IPSI NEQUAQUAM TRIBUENDI SUNT SEX ARTICULI ANNI 1663. QUOD AUTEM QUATUOR ARTICULOS ANNI 1682 APPROBAVERIT MERA CALUMNIA EST.

Id facile nunc evinci potest; ex documentis scilicet hucusque ineditis, quæ juris publici nuper facta sunt in publicatione periodica *Revue des sciences ecclésiastiques*, tomo octavo, paginis 97, 208, 413 et 483, sub hoc titulo : *La Vérité sur la Faculté de théologie de Paris, de* 1663 *à* 1682.

§ 1. — Quid contigerit occasione thesis, die 12 decembris 1661, Parisiis in collegio Patrum societatis Jesu, quod Claromontanum vocabant, propugnatæ.

Verba thesis hæc erant : « Christum nos ita caput Ecclesiæ « agnoscimus, ut illius regimen dum in cœlos abiit, primum « Petro, tum deinde successoribus commiserit, et *eamdem* « quam habebat ipse infallibilitatem concesserit, quoties ex « cathedra loquerentur. Datur ergo in Ecclesia Romana con- « troversiarum fidei judex infallibilis, etiam extra concilium « generale, tum in quæstionibus juris, tum facti. » Perperam sane apposita fuit æquivoca illa vox *eamdem*, nec a studiorum præfecto permitti debuisset; multiplici quippe sensu a Romani Pontificis infallibilitate diversa fuit Christi Domini infallibilitas. Ex ea porro Jesuitarum incuria ac imprudentia, immensum tumultum excitandi ansam jansenistæ arripuere. Quod sic enarratur in opere *Mémoires du P. Rapin de la Compagnie de Jésus*, libro XVI[1] :

« Bourseis (l'abbé) aimait la cour et s'y montrait de temps en temps sans y avoir d'affaires et sans raison, pour s'y fourrer... Le roi demanda à la reine-mère si l'abbé de Bourseis n'était pas janséniste. A quoi la reine répondit, qu'il l'était des plus déclarés. D'où vient donc, dit le roi, qu'on le produit ici? Le P. Annat le fit avertir de ce que le roi et la reine avaient dit. L'abbé vint le trouver pour savoir ce qu'il avait à faire sur cela, protestant n'avoir aucune attache à la doctrine. Il faut, dit le Père, signer le formulaire. Volontiers, répondit cet abbé. Ce qu'il fit peu après avec éclat. Cette action d'un vieux docteur de Sorbonne dans une réputation de savant, parut belle à ce ministre (*Colbert*)... Il crut la démarche de l'abbé sincère; mais il vécut depuis d'une manière qui en fit douter le public. L'occasion de se

(1) Adhuc ineditum illud opus, nunc primum typis mandatur Parisiis apud Gaume et socios bibliopolas. Nos e manuscripto citationes desumimus, et ideo paginam non signamus.

puissance, qui est plus qu'une pleine juridiction. Le P. Louvet, régent, dit que le mot qui choquait la cour était tiré du concile de Florence, qui donne au Pape une plénitude de juridiction. Le premier président leur remontra que, quoique la thèse eût été signée devant l'arrêt, ils ne seraient pas pour cela excusables, ayant pu retirer la thèse et ne la pas soutenir, l'arrêt étant intervenu. Après quoi, il fit un grand discours sur l'intégrité et l'excellence de l'épiscopat, qu'on cherchait à diminuer par la plénitude de cette juridiction qu'on donnait au Pape. Il leur expliqua la manière dont Gerson, saint Bernard et le concile de Florence, qu'ils avaient cités pour justifier leur proposition, devaient être entendus; disant que la cour voulait bien entrer en cette explication avec eux pour les détromper de ces opinions et pour les exciter à en soutenir de meilleures. L'avocat général Talon déclama avec sa vigueur ordinaire contre cette thèse, en expliqua la fausseté et le venin, montra qu'elle allait à détruire toute la hiérarchie de l'Église, que les Évêques ne seraient plus les successeurs des apôtres, mais de simples vicaires du Pape, destituables à discrétion; qu'enfin cette entreprise de donner au Pape ce plein pouvoir, tant dans le for extérieur qu'intérieur, était un crime punissable; qu'on ne prétendait par là que d'introduire cette chimère d'infaillibilité, monstre pernicieux à cet État, qu'il fallait reléguer au delà des monts, et qu'on ne pouvait apporter trop de sévérité pour arrêter le cours d'une si pernicieuse doctrine; que c'était un attentat et un mépris de l'autorité royale, qui résidait éminemment dans cette auguste Compagnie.

« Enfin, il fit tant de bruit par la véhémence de sa déclamation, et répéta qu'on ne pouvait réprimer ce mépris des lois que par un grand exemple de sévérité, et qu'on ne pouvait punir trop rigoureusement une contravention si récente après un arrêt si solennel. Ainsi, il conclut à l'interdit du syndic pendant six mois et du président de la thèse, et à l'exclusion du répondant de sa licence. Sur quoi, toute

la Faculté se remua pour empêcher l'interdit du syndic. »

Sedulo attendat lector ad illa syndici facultatis Grandin coram Parlamento prolata verba. *Qu'il fallait passer ces temps mauvais... jusqu'à ce que la liberté eût été rendue à la Faculté.* Luce meridiana clarius pandunt verba hæc, necnon alia citata documenta, non liberam, sed oppressam plane tunc fuisse Parisiensem facultatem. Nimirum quid in re theologica, sentire, probare ac docere deberet, ipsi a Parlamento et gubernio injungebatur ac præfiniebatur. Ac nisi obtemperaret, minis ac pœnis in ipsam animadvertebatur. Objicientibus autem ejusdem Facultatis doctoribus, penes Parlamentum non esse de dogmatibus decernere, reponebat primus præses Lamoignon : *Quand la cour ordonne quelque chose, tout sujet du roi doit s'y soumettre, sans l'examiner.* Infallibilitatem nempe, quæ Summo Pontifici denegabatur, sibi practice tribuebat Parlamentum ; licet simul prudenter protestaretur hanc minime sibi mentem esse, sed tantum ut Gallicanas libertates et jus regium tueretur.

Ponderet lector et aliam (in præsenti disceptatione valde attendendam) circumstantiam : inter Facultatis Parisiensis doctores, haud pauci Jansenisticæ factioni, alii quidem palam, clam alii, totis viribus adhærebant. Quæ quidem factio, nisi convelleretur aut saltem in dubium vocaretur de Romani Pontificis infallibilitate dogma, explosum omnino ac legitime damnatum suum systema fateri cogebatur. Valebatque factio apud regios ministros non parum, in Parisiensi autem Parlamento sibi adhærentium numero dominabatur. Imo, ex recens edito manuscripto libro *Mémoires de l'abbé Legendre*, constat cathedralis Parisiensis canonicos, tribus exceptis, ad Jansenismum declinasse.

Suspensus est a munere suo syndicus Grandin, decreto Parlamenti diei 14 aprilis 1663. Cujus decreti originalis significatio extat in Bibliotheca imperiali Parisiensi (*Ms. Colbert* Vc, volumine 155, pagina 97). Hasce violentias, ad flectendam et docilem reddendam Facultatem tunc adhibitas, sic com-

memorabat procurator generalis de Harlay, anno 1682, ad cancellarium Le Tellier scribens, et novas ei proponens contra Sorbonam eumdem in finem sub *reformationis* nomine vexationes :

« Toutes ces choses répandues engageront les docteurs à tâcher de les éviter par quelque démarche de leur part qui pût réparer leur faute auprès du roi, comme ils ont fait leurs articles en 1663, par les soins que vous en prîtes après l'interdiction du sieur Grandin » (Lettre du 16 juin 1682, *Ms. Saint-Germain* 165, Bibliothèque impériale).

§ 4. — Sex famosi articuli anni 1663, non fuerunt libera Facultatis declaratio. Immo nec Facultati, id est, majori doctorum numero adscribendi sunt. Præterea contra illos articulos facta est a doctoribus Facultatis protestatio, et ab ipso etiam syndico, qui eos articulos cum ministro Le Tellier concinnaverat.

Habentur isti articuli apud d'Argentré (*Collectio judiciorum*, tomi tertii parte prima, pagina 90) sub hoc titulo : *Declarationes sacræ Facultatis theologiæ Parisiensis factæ apud regem, super quibusdam propositionibus, quas nonnulli voluerunt adscribere eidem Facultati.* Tenor autem articulorum hic est :

I. Non esse doctrinam Facultatis quod Summus Pontifex aliquam in temporalia regis christianissimi auctoritatem habeat. Imo Facultatem semper obstitisse etiam iis qui indirectam tantummodo esse illam auctoritatem voluerunt.

II. Esse doctrinam Facultatis ejusdem, quod rex christianissimus nullum omnino agnoscit nec habet in temporalibus superiorem præter Deum, eamque suam esse antiquam doctrinam, a qua nunquam recessura est.

III. Doctrinam Facultatis esse, quod subditi fidem et obedientiam regi christianissimo ita debent, ut ab iis nullo prætextu dispensari possint.

IV. Doctrinam Facultatis esse, non probare nec unquam probasse propositiones ullas, regis christianissimi auctoritati, aut germanis Ecclesiæ Gallicanæ libertatibus et receptis in

regno canonibus contrarias, verbi gratia, quod Summus Pontifex possit deponere Episcopos adversus eosdem canones.

V. Doctrinam Facultatis non esse, quod Summus Pontifex sit supra concilium œcumenicum.

VI. Non esse doctrinam vel dogma Facultatis, quod Summus Pontifex, nullo accedente Ecclesiæ consensu, sit infallibilis.

Jam expendamus quomodo ii articuli editi sint, et num Facultati adscribendi, ac veram ejus doctrinam exprimere censendi sint.

I. *Totius rei enarratio a patre Rapin.* — Loquens de Facultatis syndico Grandin, quem a suo munere Parlamentum suspenderat, sic habet laudatus scriptor :

« On dit même que ses amis lui ménagèrent une conférence avec Le Tellier, secrétaire d'État, aux Chartreux, dans la chambre du Prieur ; où, après plusieurs discours par où le syndic tâchait à justifier ses sentiments sur le Pape, qu'il prétendait sains, ce ministre lui conseilla d'en faire un abrégé qu'il présenterait au roi ; et *ce fut dans cette conférence que se fit le premier projet de la déclaration dans les six propositions*, qui lui plut ; et le syndic fut très-content de lui, quoique ce ministre fût accompagné de l'évêque de Saint-Pons qui aigrissait les choses qui regardaient le Pape. Le syndic leur fit comprendre qu'ils gâteraient tout s'ils pensaient *à détruire tout à fait l'infaillibilité*[1]. Le Tellier en convint et crut que la religion serait en danger, de le croire *tout à fait faillible ;* ce qui lui fit dire que le syndic lui avait parlé de bon sens, mais que l'infaillibilité lui tenait au cœur. *L'archevêque de*

(1) C'est là probablement le mot de l'énigme pour la formule négative *non esse doctrinam Facultatis*. Grandin et les autres dupes, que le ministre Le Tellier menait habilement à ses fins, ne voulaient pas détruire *tout à fait* l'infaillibilité du Pape ; ils voulaient seulement la détruire *un peu*, sans doute par esprit de *conciliation*, et pour qu'on laissât enfin la Faculté tranquille. Ils se seront persuadé qu'en employant la forme négative, ils ne détruiraient pas *tout à fait* l'infaillibilité du Pape, ni sa supériorité sur les Conciles et son pouvoir indirect sur le temporel. Et les renards de la cour leur auront fait cette concession, en riant de leur bonhomie, et sachant bien ce qu'ils feraient.

Paris fit le reste pour la déclaration avec Le Tellier, qui en parla au roi, comme d'un avantage sur la Sorbonne pour la sûreté de ses affaires et comme d'un rempart contre la cour de Rome. Cependant les docteurs disaient tout haut que le syndic ne devait point être puni, n'étant nullement coupable ; ce qui fit prendre la résolution à la Faculté de députer au roi pour empêcher cet interdit, et de lui présenter cette déclaration de sa doctrine sur le Pape : on dit toutefois *que ce n'était pas une députation dans les formes, mais un nombre de docteurs des plus zélés pour l'honneur de leur corps*, présentés par l'évêque de Rodez, Hardouin de Péréfixe, nommé proviseur de Sorbonne. Mécontents qu'ils étaient du traitement rude du Parlement et surtout de l'avocat général Talon, qui les appela schismatiques, ennemis de l'État et perturbateurs du repos public, ils prirent le parti d'aller au roi, de lui présenter la déclaration de leur doctrine sur le Pape et sur le temporel des rois, pour lui faire connaître qu'on lui en faisait accroire sur cet article, et qu'ils étaient aussi bons serviteurs du roi que ceux qui les accusaient de ne l'être pas. Cette déclaration contenait six propositions. Ce fut l'éclaircissement que ces docteurs donnèrent de leurs sentiments sur ce sujet. Le roi leur répondit qu'il verrait son conseil ; mais en attendant la réponse de Sa Majesté, il se fit en Sorbonne une suspension de toutes les disputes, exercices et fonctions qui regardaient le syndicat par l'interdit du syndic.

« A l'occasion d'une autre thèse qui fut soutenue à Poitiers, au collége des Jésuites, par un théologien de leur Compagnie, qui attribuait au Pape une espèce d'infaillibilité quand il parlait *ex cathedra*, le procureur général eut avis que, pour remédier aux inconvénients de ces thèses favorables au Pape, il fallait renouveler l'observation des anciens règlements de la Faculté, qui ordonnent aux religieux mendiants, après qu'ils ont reçu le degré de docteur, de se retirer dans les couvents de leur profession, pour répandre dans tout le royaume les bonnes semences de la doctrine qu'ils ont apprise dans cette

école. *C'était un pur prétexte pour réduire le nombre de chaque ordre à deux religieux dans les assemblées de Sorbonne, de crainte que la multitude de ces réguliers, de leur fond attachés au Pape, ne l'emportât sur les docteurs.* Sur quoi Achille de Harlay, son substitut, requit à la chambre des vacations un arrêt pour régler ce nombre, ce qui se fit le 25 septembre, où les arrêts rendus sur ce sujet les années 1552, 1621 et 1648 furent confirmés. Mais l'opposition s'étant faite de la part de tous les Ordres religieux, le roi fut requis de le demander en son nom, parce qu'il s'agissait de la sûreté et de la fidélité de son service; ce qui se fit avec toute la solennité qui peut donner autorité à un ordre de cette nature. Deux conseillers députés, accompagnés du substitut du procureur général, allèrent en Sorbonne : le substitut loua la Faculté de sa déclaration qui fut portée sur la fin du parlement à la grand'chambre, et par ce moyen le syndic Grandin rétabli; dit aux docteurs assemblés que cette déclaration *avait donné bien de la joie à la cour;* que c'était un nouveau gage de la pureté de sa doctrine et de sa fidélité, et comme un établissement solide des anciennes vérités et la guide certaine de sa conduite. L'estime aussi que la cour a toujours eue pour cette compagnie lui a fait prendre beaucoup plus de part en cette satisfaction publique que tous les autres ordres du royaume; et pour marquer cette satisfaction par le rétablissement d'une doctrine si chrétienne et si française, elle l'a fait insérer dans ses registres et lui a bien voulu donner place entre ses arrêts les plus souverains; la déclaration aussi par laquelle le roi a voulu que ses articles fussent publiés dans toute l'étendue de ses États, pour y être la règle certaine des sentiments de tous ses sujets, comme ceux que nous dressa le dernier siècle le furent de la foi de tout ce royaume, est une approbation incontestable de son estime et de son affection. Ç'a été sans doute dans cette pensée qu'il vient d'ordonner par un arrêt l'exécution du règlement qui avait autrefois été fait pour régler le nombre des religieux dans les assemblées de la Faculté à deux seulement.

« Sur quoi un carme nommé Lombart voulut parler pour former opposition à ce règlement, prétendant, pour lui et pour tous les autres religieux, qu'ils ne devaient pas être de moindre condition que les autres docteurs, qui avaient droit d'assister aux assemblées dès qu'ils avaient pris le bonnet, sans limitation. On lui a remontré qu'il pourrait faire telle réquisition que bon lui semblerait, mais que, cependant, il fallait obéir à l'arrêt, et la chose en demeura là. C'était ainsi qu'on dépouillait le Pape de ses secours en le dépouillant de ses pouvoirs ; car les religieux sont d'ordinaire ceux qui sont les plus attachés au Saint-Siége, et, de tous les serviteurs du Pape, les plus fidèles, non pas en qualité d'émissaires et d'esclaves, comme disait l'avocat général Talon, mais parce que, dans le fond, ils ont plus de christianisme et de vraie piété, comme tout le monde sait, que tous les autres sujets du Pape. »

II. *Decretum Parlamenti et decretum regium, quibus sex articuli Facultatis firmantur et obligatorii in scholis decernuntur sub pœnis.* — « Arrêt de la cour du Parlement : Ce jour, les gens du roi, maître Denis Talon, avocat dudit seigneur, portant la parole, ont dit à la cour que le syndic de la Faculté, avec sept docteurs en la Faculté de théologie, mandés suivant l'arrêt du jour d'hier, étaient au parquet des huissiers. Eux entrés, le premier président leur a dit que la cour les avait mandés pour apporter la déclaration faite par la Faculté de théologie de ses sentiments touchant l'autorité du Pape. Le doyen de la Faculté a dit que, pour obéir aux ordres de la cour, ils avaient apporté ladite déclaration extraite des registres de ladite Faculté et signée par le bedeau d'icelle ; contenant : *Primo, non esse doctrinam Facultatis*, etc. Icelle déclaration lue..., les gens du roi, par la bouche du maître Denis Talon, ont dit : Personne n'ignore les efforts et les artifices pratiqués par les partisans de la cour de Rome depuis trente ans pour élever la puissance du Pape par de fausses prérogatives... La Faculté de théologie, occupée par une cabale puissante de moines et de quelques séculiers liés avec eux par intérêt ou

par faction, *a eu de la peine* à se démêler de ces liens injustes et à suivre les traces des Gerson et des autres personnages illustres qui ont été dans tous les siècles les principaux défenseurs de la vérité. Mais *enfin*, *par un généreux effort*, ayant fait réflexion sur ce qu'elle doit au roi, au public, à sa propre réputation, elle a expliqué ses sentiments... Et comme les six propositions qui viennent d'être lues et expliquées par l'organe du doyen contiennent non-seulement la condamnation de tout ce qui pouvait établir quelque supériorité du Pape sur le temporel, mais aussi de cette chimère d'infaillibilité et de cette dépendance imaginaire du concile au Pape, *il est inutile d'examiner si toutes ces propositions sont conçues en termes affirmatifs;* étant certain qu'il n'y a point de milieu entre deux propositions contradictoires, et que si la Faculté ne croit pas que le Pape soit infaillible, il faut, par une conséquence nécessaire, qu'elle juge qu'il peut tomber ou être induit en erreur et corrigé par une puissance supérieure qui ne peut être autre que celle du Concile et de l'Église universelle...

« Ladite cour a ordonné et ordonne que lesdits articles contenus en la déclaration de ladite Faculté de théologie seront enregistrés... A fait et fait inhibitions et défenses de soutenir aucune doctrine contraire auxdits articles. Ce faisant, a levé les suspensions portées par l'arrêt du 14 avril dernier... Fait à Paris le trentième jour de mai 1663 » (d'Argentré, *Collectio judiciorum*, t. III, part. I, p. 91).

Ludovicus XIV idem firmavit decreto suo diei 4 augusti 1663, quo simul prohibuit ne quid præfatæ Facultatis declarationi contrarium in scholis doceretur aut scriptis propugnaretur, *à peine d'être procédé contre eux extraordinairement* (habetur in extenso illud decretum apud d'Argentré, loco citato, pagina 93).

III. *Quid scripserit doctor Sorbonicus Valerianus de Flavigny.* — Occasione cujusdam thesis, in qua mentio fiebat de Inquisitionis contra Galilæum decreto, furibundam concionem habuit ac typis edidit præfatus de Flavigny, adversus Facultatis

syndicum Grandin, qui ejusmodi thesi non obstiterat. Quis fuerit iste Flavigny describit Pater Rapin his verbis : « Un « docteur de la Faculté, nommé de Flavigny, homme emporté « et turbulent, fit un discours contre la thèse, d'un air de fu- « rieux. C'était un janséniste outré qui, porté par la cabale, « dont il était un des émissaires des plus déterminés, fit tant « de bruit que, » etc. (*Mémoires du P. Rapin*, livre XVI).

In hac porro doctoris de Flavigny concione, sic legere est. « Scitis, Patres sapientissimi, Regem nostrum Christianissimum perquam moleste graviterque tulisse nonnullas theses a vestro syndico subsignatas, et ex quibus tale quidpiam deduci poterat et evinci ; ob idque etiam in sacram Facultatem tandiu fuisse commotum paulo vehementius, quandiu sacra Facultas mentem suam non aperiret. Scitis senatum augustissimum variis senatusconsultis, et quidem æquissimis, theses istas et doctrinam in eis contentam prohibuisse ; et consultissimos triumviros regios ista senatusconsulta *procurasse et impetrasse*. Scitis illustrissimum senatus principem suis doctissimis ac gravissimis adhortationibus ac monitis sacræ Facultati, studio plane paterno, commendasse, ut ab istis novis et nobis Gallis insolitis doctrinis suorum animos averteret ; ac tandem sacram Facultatem novas istas ac plane profanas doctrinas, et suo decreto sanctissimo, et publica eaque gravissima atque spontanea ad Regem christianissimum legatione proscripsisse, mentemque suam et doctrinæ suæ sinceritatem ita plane ac sincere exposuisse, *ut etiam Regis ira quieverit*, » etc. (apud d'Argentré, *Collectio judiciorum*, tomi tertii parte prima, pagina 95, edit. Parisiis, 1736).

IV. *Quomodo forma ista negativa*, non esse doctrinam Facultatis, etc., *displicuerit et æquivoca visa sit*. — Minister regius Colbert hac de re sententiam rogavarat advocatum Pinson (Pragmaticæ commentatorem et Operum domini Dumoulin editorem). Respondit is sequentibus *observationibus*, quæ habentur inter manuscripta Bibliothecæ imperialis (*Ms. Colbert* 155, pagina 103) :

« *Observations par M. Pinson, avocat au Parlement.* — En mai 1663. — Ces déclarations devaient être en termes affirmatifs et non point négatifs ; car autrement l'on n'en peut rien conclure de positif.

« 1. Cette première déclaration captieuse devait être générale et affirmative, savoir que le Pape n'a aucun pouvoir sur le temporel, non-seulement du roi, mais de qui que ce soit, comme sur le patronage laïque, sur les dîmes inféodées, sur le revenu des bénéfices et autres appartenant aux particuliers, et ils devaient s'expliquer de ceux qui ont voulu donner une autorité indirecte au Pape sur le temporel.

« 2. Le roi n'a pas besoin de l'aveu de la Faculté pour prouver qu'il ne connaît pas de supérieur dans le temporel, l'aveu en étant bien plus avantageux de la part des Papes mêmes qui le reconnaissent ainsi, comme le pape Innocent III, au chapitre *Per venerabilem*, dans les Décrétales.

« 3. Cette répétition tant de fois faite de *Roi très-chrétien* à des Français était inutile, et il eût été plus avantageux en parlant du roi de ne lui donner aucun autre titre. Mais elle ne peut être que suspecte en cet article, n'y ayant aucune différence à faire, pour l'obéissance et la soumission des sujets, de la véritable religion et autres ; les Papes n'ayant droit en nul cas de dispenser du serment de fidélité et de l'obéissance aux souverains, et les sujets étant obligés d'obéir à leurs princes, *etiam dyscolis*, et n'ayant que les vœux et les prières pour leur conversion.

« 4. Cette quatrième est équivoque et suspecte ; et l'affectation qu'a eue la Faculté, en parlant des libertés de l'Église gallicane, d'user du mot *Germanis* les pourrait faire passer pour Allemands, et non pour véritables Français ; les libertés de l'Église gallicane n'étant généralement autre chose que l'observation des anciens canons de l'Église ; et il ne fallait point spécifier ici un cas particulier de la déposition des évêques plutôt qu'un autre.

« 5. L'affectation de concevoir le 5ᵉ article en termes né-

gatifs ne peut être que suspecte : la Faculté ayant toujours tenu en termes affirmatifs que le concile était par-dessus le Pape, et qu'il était obligé de s'y soumettre et d'y obéir. Pour la preuve de cette doctrine positive et affirmative, il faut voir la note des compilations des *Preuves des libertés de l'Église gallicane*, vol. I, chap. XII, article dernier.

« 6. Le dernier article ne devait pas non plus être conçu en termes négatifs, mais affirmatifs ; savoir que le Pape n'est point infaillible de lui-même, sans le consentement de l'Église universelle. Et le terme de *nullo vel non accedente Ecclesiæ consensu* est trop équivoque en cet endroit. Car il faudrait savoir si c'est de l'Église universelle que la Faculté entend parler, ou du conseil ordinaire du Pape, savoir *de concilio fratrum*, y ayant bien de la différence à faire à cet égard. »

V. *Facta est protestatio a multis doctoribus Facultatis et a syndico Grandin, contra sex articulos.* — Jam supra (§ 2, n. 6) ex integro retulimus manuscriptum documentum (*Ms. Colbert* 155, Vc, pagina 105), ex quo prorsus constat de facta ejusmodi protestatione. Ibi quippe sic habetur : *Les mêmes docteurs ont fait de semblables protestations contre les articles naguère présentés au Roi par la Faculté; en quoi ledit sieur Grandin se montrerait extrêmement prévaricateur et extraordinairement dissimulé.* Et antea dictum fuerat : « On sait de bonne part qu'*il y a* 22 *docteurs de la Sorbonne* qui ont fait des protestations, qui ne peuvent être que criminelles et séditieuses, contre l'enregistrement du premier arrêt du Parlement, *au sujet de l'infaillibilité.* » Et iis qui sic protestati sunt adnumerantur : « MM. Chamillard frères, le curé de Saint-Sulpice, le sieur Blanger, les sieurs *Grandin*, Leblond, Joisel, Pignay, Lestre, Leblanc *et autres.* »

Alto silentio sepeliri protestationes illas diligenter procurarunt regii ministri et Parlamentum; nec permiserunt de iis vel minimam in scriptis publicis mentionem fieri.

VI. *De sex articulis numquam a Facultate deliberatum, nec ex mandato Facultatis eosdem articulos Regi a nonnullis docto-*

ribus traditos fuisse, asseritur in quodam manuscripto Bibliothecæ Parisiensis quæ vocatur de l'Arsenal. Inscribitur dictum manuscriptum *Assemblées de* 1680, 1681, 1682, n. 31 *bis*, in-4°. Tomo quarto, a pagina 2743 ad 2796, habetur relatio de peractis in Sorbona quoad declarationem quatuor articulorum anni 1682. Et ibi reperiuntur de sex articulis anni 1663 hæc valde attendenda verba : « Il est encore à propos de remarquer ici les principales difficultés que *la plupart* des docteurs trouvaient à l'enregistrement de l'édit du roi et de la déclaration du Clergé. Ils ne croyaient pas devoir souffrir, sans dire mot, qu'on leur attribuât la doctrine contenue dans les propositions qui avaient été données autrefois à Sa Majesté, et qu'*on les fît passer pour des propositions* DÉLIBÉRÉES *dans la Faculté, et remises* PAR ORDRE *de la même Faculté entre les mains de Messieurs du Clergé, comme l'édit de Sa Majesté l'insinuait.* Car ils savaient qu'*il n'y avait jamais eu de délibération* sur ces propositions et qu'elles contiennent même une doctrine qui n'est point formellement la doctrine de la Faculté. Il est vrai qu'en 1663, le roi ayant été mal informé des sentiments de la Faculté sur l'infaillibilité du Pape et sur son autorité tant sur le temporel des rois que sur le concile, l'on députa quelques docteurs pour informer la cour des véritables sentiments de la Faculté sur ces matières; que ces docteurs réduisirent à six propositions leurs sentiments, et qu'ils remirent ces six propositions entre les mains de MM. les ministres de Sa Majesté. *Mais il est vrai aussi qu'ils les donnèrent sans que la Faculté les eût examinées ni approuvées, et sans même qu'elles eussent été mises en délibération dans aucune assemblée.* On ne peut pas néanmoins désavouer qu'elles n'y aient été *rapportées et qu'on ne les y ait lues hautement.* Mais quoiqu'alors elles fissent peine à plusieurs qui croyaient qu'il fallait en expliquer quelques-unes, de peur que dans la suite on ne les portât, comme l'on fait aujourd'hui, au delà des sentiments de la Faculté; *pas un néanmoins n'en dit mot* de ce temps-là, parce qu'on ne crut pas devoir renouveler en cour l'ai-

greur que l'on y avait conçue contre la Faculté. De sorte que, si on ne se plaignit point alors de ces docteurs, ce n'est pas que l'on approuvât leur conduite, mais c'est que l'on avait sujet de craindre que le Roi ne crût que la Faculté désapprouvait le fond de la doctrine contenue dans ces propositions. Or voici comment ces six propositions étaient conçues..... Or ce qui est surprenant est, qu'après vingt années que ces propositions ont été données *sans aucune approbation de la Faculté*, on les ait rapportées dans l'assemblée de Messieurs du Clergé et on les fasse passer maintenant dans l'édit pour des propositions faites tout nouvellement par la Faculté, *délibérées dans l'assemblée des docteurs*, et remises, *de leur part*, entre les mains de Messieurs du Clergé. »

VII. *Concluditur infaustos articulos sex anni* 1663, *Facultati non esse adscribendos, eosque adduci non debere tanquam auctoritatem, sed tanquam probrum.* — Equidem, si Facultatis gesta fideliter retulisset d'Argentré, et gesta hæc prout sonant accipienda forent, haud negari posset *approbatos a Facultate* fuisse illos sex articulos. Ibi enim dicitur Facultatem, die 11 maii 1663, extraordinaria comitia habuisse, atque a Parisiensi[1] Archiepiscopo designato (is erat Harduin de Péréfixe) relatum fuisse, quomodo cum deputatis a Facultate doctoribus regem adierit, eique sex articulos legerit. Et dein ita subjungitur : « His ita relatis, prædicta omnia, ab illustrissimo Parisiensi Archiepiscopo designato, nomine Facultatis, apud regem christianissimum acta, *omnes et singuli magistri comprobarunt* » (*Collectio judiciorum*, tomi tertii parte prima, pagina 91). Nihilominus sex articulos Facultati non esse adscribendos, sic probatur :

1° Hac in re fidem mereri videtur citatum supra (numero VI) manuscriptum. Porro ibi pluries et variis formis asseritur

(1) In collectione *Revue des sciences ecclésiastiques*, ex inadvertentia erronee scripsi, tunc temporis Parisiensi diœcesi præfuisse lugendæ memoriæ scandalosum de Harlay. Archiepiscopus Parisiensis fuit Harduin de Péréfixe, usque ad annum 1670

nullam omnino intervenisse quoad sex istos articulos Facultatis *deliberationem*, *approbationem nullam*. Insuper nequaquam traditos istos articulos *ex mandato* Facultatis. Equidem lectos eosdem articulos coram Facultate, et neminem tunc contradixisse; at silentium istud non fuisse approbationem (si on ne se plaignit point alors de ces docteurs, ce n'est pas que l'on approuvât leur conduite), sed causam habuisse metum (parce qu'on ne crut pas devoir renouveler en cour l'aigreur que l'on y avait conçue contre la Faculté). Nimirum apprime sciebat unusquisque doctor, hosce articulos nunquam legitime adduci posse tanquam a Facultate approbatos, cum Facultas de ipsis non deliberasset, nec unusquisque sententiam dixisset. Et ideo licet plerique hosce articulos reprobarent, putarunt tamen se posse silere, dum legerentur coram Facultate, ad vitanda, si secus agerent, graviora detrimenta. Non enim valet adagium, *qui silet consentire videtur*, quando siletur ob metum. Nec inanes sane aut leves sic metuendi causæ. Pluries jam prohibuerat Parlamentum, ne quis infallibilitatis Pontificiæ dogma, aut Papæ supra concilium auctoritatem, aut *plenam* regendæ Ecclesiæ potestatem edoceret ac propugnaret; idque *sous peine d'être procédé extraordinairement contre eux*. Quid, quæso, iis expectandum, qui in iis comitiis contra propositos articulos sex, a ministro Le Tellier approbatos et postulatos, protestationem emittere ausi fuissent? Procul dubio ejusmodi protestationes ministro denuntiatæ fuissent tanquam *séditieuses* et *criminelles*. Nulla scilicet, prorsus nulla remanserat impune dissentiendi libertas. Id plene jam experta erat facultas quoad decreti a Parlamento editi insertionem.

2° Jam supra citavimus verba hæc Patris Rapin : *On dit toutefois que ce n'était pas une députation dans les formes, mais un nombre de docteurs des plus zélés pour l'honneur de leur corps*. Id dici et ad aures Patris Rapin deferri non contigisset, si Facultas post solitam deliberationem sex articulos approbasset, et regulariter doctores deputasset qui doctrinalem

illam formulam viris regiis deferrent. Nam tunc, pro rei gravitate, fuisset statim notorietatis publicæ ejusmodi Facultatis deliberatio, et sex articulorum approbatio, et aliquot suorum membrorum deputatio. Porro econtra dicebatur, totum id peractum, non a Facultate, sed *ab aliquibus* dumtaxat (par *un nombre de docteurs les plus zélés*).

3° Deliberatos fuisse dictos articulos cum ministro Le Tellier, cui eos proposuit syndicus Grandin, supra vidimus. Aliunde scimus contra illos articulos protestationem emisisse et ad nuntium direxisse doctores Sorbinicos 22, immo et ipsum syndicum Grandin, et parochum sancti Sulpitii, *et autres*. Et nihilominus in relatis apud d'Argentré Facultatis gestis, ne unus quidem memoratur dictis articulis contradixisse; sed in iis recipiendis unanimitas asseritur : *omnes et singuli magistri comprobarunt*. Igitur istud *omnes comprobarunt* verum esse non potest eo sensu quod singuli *expresse* dixerint a se approbari sex articulorum doctrinam. Item verum non est eo sensu quod *silendo* aprobaverint; cum in talibus circunstantiis approbatio nequaquam e silentio colligi valeat.

4° Si revera instituta fuisset a Facultate de sex istis articulis deliberatio, et singuli sententiam dixissent, et *plerique* declarassent se illorum articulorum doctrinæ adhærere, et *plerique* item expresse approbassent *mandari* a Facultate, ut dicti articuli tanquam doctrinam Facultatis exprimentes regi deferrentur, tota ejusmodi deliberatio in regestis per longum reperiretur. Imo eam viri regii publici juris fieri diligenter procurassent, præsertim cum, anno 1682, negaretur a multis dictos sex articulos Facultati esse adscribendos.

5° *Etiamsi a Facultate, in comitiis eam vere repræsentantibus, dicti articuli editi fuissent, non tamen allegari possent tanquam ipsius doctrinam exhibentes.* — Nam verum remaneret eam omni prorsus libertate caruisse. Porro quod non fit libere, nihil auctoritatis consequitur. Imo ipsum etiam concilium œcumenicum, si quidquam definiret sub talium ma-

chinationum oppressione ac tyrannide, nihil definivisse merito censeretur; adeo necessaria præprimis, ubi de doctrinali auctoritate agitur, opinandi libertas.

Igitur dictos articulos Facultati Parisiensi adscribere, gratuita erga illam Facultatem injuria est. Cæterum etiamsi probaretur ab ipsa editos revera articulos, non aliud colligendum quam lapsam eam misere, minis, machinationibus, terroribus. In utraque hypothesi, infaustos illos articulos tanquam auctoritatem allegare probrum est.

Cæterum jam tunc non pauci, qui rectæ ac sanæ doctrinæ prius adhæserant, ad erroneam, sed gubernio gratam, sive metu sive ut ad honores et temporalia lucra viam sibi sternerent, transfugiebant. De quo, ut unum aut alterum exemplum subjiciamus, nemo nescit quam putidas regalismi ac Gallicanismi feces ediderit Maimbourg. Is porro aliquando Romani Pontificis infallibilitatem aperte propugnaverat. Quod sic adnotat Cardinalis Sfondratus : « Anno 1671, editi sunt in lu« cem gallico idiomate Maimburgi sermones; in quorum uno, « secunda quadragesimæ hebdomada, die martis, pro hac « ipsa infallibilitate ita loquitur : *Obligamur sub pœna æternæ « damnationis nos submittere decisionibus cathedræ sancti Pe« tri; tuncque naufragium fidei patimur, cum doctrinas am« plectimur ab hac cathedra damnatas rejectasque. Frustra vero « qui hanc submissionem non habet, protestatur se cathedram « Petri pro prima præcipuaque habere, ac fidei ab Ecclesia, a « Patribus conciliisque traditæ adhærere.* Ignorabat enim tunc « temporis quid Ecclesia Gallicana sentiret; non Patres, non « concilia, non Scripturas legerat, quæ modo contra Ponti« ficem tam clara esse contendit. Ergo cum e cathedra dice« ret, licet tot annos in societate (Jesu) studiisque exegisset, « rudis tamen erat, indoctusque, ac recens ex ovo lapsus; et « tunc modo aliquid sapere et theologus esse cœpit, cum « Pontifici irascebatur, cum aulam regemque captabat, ac « præmia ostendebantur adulationi parata » (Sfondratus, *Gallia vindicata*, pag. 786, edit. S. Galli, 1702).

Ibidem, de altero inter Gallicanismi Coryphæos præcipuo, Natali Alexandro, sic enarrat Cardinalis Sfondratus : « Anno « 1650 prodiit historia ecclesiastica in tertium sæculum « Alexandri Natalis (alias infensissimi Romanæ Sedi) in theo- « logica Facultate Parisiensi doctoris, cum approbatione ejus- « dem facultatis. Hic in dissertatione XII, a. IV, ita loquitur « circa finem : *Denique si res fidei visa esset* (anabaptismus « Cypriani) *non fuisset necessarium universæ Ecclesiæ concilium*, « *ut inexcusabiles essent Africani qui hæreticos rebaptizabant :* « *siquidem non excusantur qui errorem circa fidem a Sede Apos-* « *tolica damnatum pertinaciter propugnant, etiam ante concilii* « *œcumenici celebrationem, ut in causa Pelagianorum visum* « *est, quibus spem concilii generalis adimit Augustinus.* Ita lo- « quebatur cum sanus esset, postea cum morbo mutavit « vocem. »

Morbus is, cum quo et ex quo Gallicana Ecclesia vocem mutavit, Galliæ clerum regnante Ludovico XIV potissimum invasit; eo scilicet sæculo et sub eo episcopatu, de quibus ad satietatem recantari solet formula, *le grand Épiscopat du grand siècle.*

§ 5. — Quod anno 1664 contra Romani Pontificis infallibilitatem censuit Facultas Parisiensis, tanquam auctoritas adduci nequit. Immo nec Facultati tribui debet.

I. *Qualis fuerit Parisiensis Facultatis censura, diei* 24 *maii,* 1664, *in librum Jacobi de Vernant.*

Ad confutandos quibus Pontificia auctoritas impetebatur, errores contemporaneos, librum suum anno 1658 ediderat, sub nomine Jacobi Vernant, Bonaventura de Hæredis, ordinis carmelitarum, qui in religione Bonaventura de sancta Anna nuncupabatur, quique obiit Nanneti (à Nantes) die 2 aprilis 1667. Libro titulus erat : *Défense de l'autorité de notre saint Père le Pape, de nos seigneurs les Cardinaux, les Archevêques et Évêques et de l'emploi des religieux, contre les erreurs de ce temps. Par Jacques de Vernant à Metz,* 1658. Ex quo libro Parisiensis facultas multas censura perstrinxit proposi-

tiones; e quibus ad scopum nostrum sat erit sequentes transcripsisse :

Propositiones Jacobi Vernant. — « En second lieu, il faut « remarquer que tout le concile reconnaît encore que le Pon- « tife Romain est souverain juge, auquel il appartient de dé- « terminer en dernier ressort les causes majeures; et que les « affaires les plus importantes de l'Église sont soumises à son « jugement, duquel il n'y a point d'appel.

« C'est une chose inouïe dans les conciles généraux d'exa- « miner les jugements du Souverain Pontife.

« Après cela, il faut être aveugle ou malicieux pour nier « la souveraine autorité que Notre-Seigneur a donnée à saint « Pierre et au Pape son successeur, pour juger et pour ter- « miner en dernier ressort les questions de la foi.

« De ces paroles vous devez apprendre trois vérités : la pre- « mière, etc.; la seconde, etc.; enfin, qu'un concile général « ne peut rétablir un évêque dans son siége, mais que cette « puissance appartient seulement au Souverain Pontife. »

Censura Facultatis Parisiensis. — « Hæ quatuor propositiones « falsæ sunt : et quatenus quædam asserunt, et aliæ innuunt, « *in nullo casu a Summo Pontifice appellari posse*, sacræ conci- « liorum autoritati detrahunt, ac germanis Ecclesiæ Galli- « canæ libertatibus sunt contrariæ. »

Propositio Jacobi Vernant. — « Pourquoi l'auraient-ils prié « d'employer l'autorité de son siége pour maintenir la foi, et « les orthodoxes, s'ils n'avaient su qu'il ne peut errer, et qu'il « est la véritable règle de la foi? »

Censura Facultatis Parisiensis. — « Hæc propositio, qua « parte asserit, *Summum Pontificem esse veram regulam fidei*, « temeraria est, et in errorem inducens » (apud d'Argentré, *Collectio judiciorum*, tomi tertii parte prima, pagina 102 et 103, edit. Parisiis, 1736).

Ex duabus illis censuris patet Facultatem Parisiensem ulterius anno 1664 progressam esse, quam declaratio anni 1663. Etenim hujus declarationis auctores non ausi fuerant

doctrinam de Papæ infallibilitate directe proscribere; sed timide dixerant, *non esse doctrinam Facultatis, quod Summus Pontifex nullo accedente Ecclesiæ consensu sit infallibilis.* Ast hic, *temerariæ* ac *in errorem inducentis* nota perstringitur propositio hæc, *Summus Pontifex est vera fidei regula;* quæ idem omnino sonat ac ista, *Summus Pontifex est infallibilis.*

Præterea hic non tantum aperte propugnat Facultas schismaticam de licita a Summo Pontifice appellatione opinionem; sed contrariam, quæ sola catholica est, doctrinam, audet proscribere. Cæterum longa illa Facultatis in librum Jacobi Vernant censura, fere ubique sanæ doctrinæ adversatur, erroneæ favet ac schismaticæ.

Hanc subsecuta est, die 3 februarii 1665, alia censura in librum *Amedæi Guimenei;* quod quidem opus non pauca reprehensione digna continebat, fuitque postea in Indice recensitum et ab Innocentio XI reprobatum. At vero multo magis reprehendenda censura quam edidit Parisiensis Facultas. Hinc Alexander VII utramque Facultatis censuram condemnavit ac revocari jussit, prout videre est sequenti numero.

II. *Quomodo prædictas Parisiensis Facultatis censuras Alexander VII condemnaverit.*

Sic adnotatur in collectione *Procès-verbaux des assemblées du clergé* (ad calcem tomi IV, *Pièces justificatives*, pagina 194) : « Au mois de mai, 1664, la Faculté de théologie censura deux « propositions, tirées de cet auteur (Jacques Vernant), dans « lesquelles il entreprend d'établir l'infaillibilité du Pape, sa « supériorité sur les conciles généraux, sa puissance absolue « sur toute l'Église... La Faculté y joignit en même temps « la censure d'un autre livre, intitulé : *Amedæi Guimenei... « opusculum...* Ce livre, approuvé par le P. Lachiana jésuite, « est attribué au P. Moya, jésuite...

« Au mois de juillet 1665, le Pape Alexandre VII donna un « décret pour la suppression de ces deux censures, et il « adressa en même temps un bref au roi, pour demander à « Sa Majesté de ne pas permettre que lesdites censures eus-

« sent cours dans son royaume; Sa Sainteté se réservant de « prononcer sur les livres censurés. » Ibidem in extenso reperies, Alexandri VII decretum, ac ipsius Breve ad regem Ludovicum XIV. Quod utrumque documentum ex parte hic subjicimus :

Decretum Alexandri vii. — « Cum ad aures nostras perve- « nerit, duos prodiisse libros, quorum alteri titulus est : *Cen-* « *sura sacræ Facultatis theologiæ Parisiensis, in librum cui ti-* « *tulus est, La Défense de notre Saint-Père le Pape... par* « *Jacques Vernant...* Alteri vero titulus est : *Censura sacræ* « *Facultatis theologiæ Parisiensis, in librum cui titulus est,* « *Amedæi Guimenei...* in quibus libris[1] censura presump- « tuosa notantur aliquæ propositiones, eæque præsertim quæ « ad Romani Pontificis et Sanctæ Sedis apostolicæ auctorita- « tem, Episcoporum jurisdictionem, parochorum munus, pri- « vilegia a Sancta Sede concessa, dispensationes apostolicas, « actionumque moralium regulam pertinent... et cum fieri « non possit sine publico catholicæ religionis detrimento ut « prædictæ censuræ in commemoratis libris sine debita Ec- « clesiæ animadversione et damnatione remaneant. Nos..., « ut gravissimo scandalo quod inde catholicis accidere posset « occurramus... motu proprio et ex certa scientia nostra de- « que apostolicæ potestatis plenitudine, præfatas censuras uti « præsumptuosas, temerarias atque scandalosas auctoritate « apostolica damnamus et pro damnatis habere volumus. » Postea prohibet Pontifex ne quis dictas censuras approbet aut defendat, sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, et Sedi Apostolicæ reservatæ.

Breve Alexandri vii ad Ludovicum xiv. — « Charissime in « Christo fili noster... venerabilis frater Archiepiscopus Tar- « sensis et Nuntius apostolicus nomine nostro referet Majes- « tati tuæ, quam gravi sensu doloris ex censuris theologo- « rum Sorbonæ Pontificius animus afficiatur, omnique studio

(1) Intellige libros *duplicem censuram facultatis* continentes, non autem libros quos facultas perstrinxerat.

« quammaxime poterit a te petet, ut auctoritate regia præsto « esse velis, quo illæ omnino revocentur. Quod profecto spe- « ramus de singulari pietate tua; quæ propositiones Aposto- « licæ Sedi tam adversas et injuriosas, in regno et Academia « tua tolerare non poterit. Cum, quæ præsertim in repri- « menda Jansenistarum hæresi tam enituerit, nolet eam om- « nem gloriam et labores tantos irritos cadere; et vel ipso « tempore quo pestiferi errores confodiuntur, gladii eorum « jugulo instantis aciem adeo importune retundi... Datum... « die 6 aprilis, anno Domini 1665. »

III. *Pontificio decreto, Parisiensis Facultatis censuras damnanti, obsequi scandalose renuunt, tum ipsa Parisina Facultas, tum Ludovicus XIV, tum Parlamentum, atque ipsi etiam Episcopi comitiorum anni* 1665.

Documentum 1. — « Avis de messieurs les gens du roi du Par- « lement de Paris, sur le Bref de notre Saint-Père le Pape, « contre les censures de la Sorbonne. » — Longam et schismaticam illam declamationem in extenso reperies apud d'Argentré (*Collectio judiciorum*, tomi tertii parte prima, p. 115, edit. Parisiis, 1736). Sint in specimen, virorum illorum laicorum, qui de Sedis Apostolicæ in re dogmatica judicio incunctanter judicabant, hæc pauca verba : « Qui ne s'étonnera donc « d'apprendre que le Pape ne se plaint de ces censures, que « parce qu'elles donnent des bornes à son autorité, qu'elles « lui arrachent cette infaillibilité que ces nouveaux auteurs « lui ont si libéralement donnée, et qu'en déclarant son pou- « voir soumis à celui de l'Église universelle, elles établissent « en même temps la liberté des appels au concile? » (Loco citato, pagina 116.)

Ipsorum autem conclusio tenoris fuit hujuscemodi : « Notre « avis est que le roi ne peut sans blesser les droits de sa « couronne et faire brèche à son autorité, accorder au Pape « la satisfaction qu'il demande; et que les sentiments de la « Faculté de théologie étant les mêmes que ceux des Pères, « et des conciles, du Saint-Siége, de tous les Parlements et de

« toutes les Universités du royaume, bien loin qu'on doive « les condamner, elle doit être puissamment excitée d'y per- « sévérer » (loco citato, pagina 124).

Documentum II. — *Parlamenti arrestum seu decretum.* — « L'an « 1663, le 29e jour de juillet, les gens du roi sont entrés dans « la grand'chambre ; et maître Denys Talon, avocat général, « portant la parole a dit : La bulle que nous apportons à la « cour est injuste et insoutenable en ce qu'elle condamne « deux censures de la Faculté de théologie, faites contre des « livres qui sont remplis de maximes très-pernicieuses, sans « néanmoins porter aucun jugement de ces mêmes livres, le « Pape se contentant de réserver à lui et audit Siége d'y pour- « voir en temps et lieu... Cette bulle va directement à établir « l'infaillibilité du Pape et sa supériorité prétendue au-dessus « du concile comme un article de foi, puisque c'est particu- « lièrement ce point dont la cour de Rome n'a pu souffrir la « censure... La doctrine de l'infaillibilité ruine absolument « les libertés de l'Église gallicane, et établit par une suite né- « cessaire la puissance absolue du Pape, même sur la tempo- « ralité des rois...

« Les gens du roi retirés... la cour a donné acte au procu- « reur général de l'appel comme d'abus par lui interjeté de « ladite bulle... a fait inhibitions et défenses à tous sujets du « roi de retenir ladite bulle, la lire, publier et débiter... or- « donne que les censures de ladite Faculté des livres de *Ver- « nant* et d'*Amedæus Guimeneus*, seront registrées au greffe « de la cour. Fait défenses à toutes personnes de soutenir « et enseigner les propositions censurées, soit dans les livres « qu'ils composeront, ou dans leurs chaires ou prédications, « à peine d'être procédé *extraordinairement* contre eux... Fait « en Parlement le 29 juillet 1665. » (Documentum integrum reperies apud d'Argentré, *Collectio judiciorum*, tomi terti parte prima, pagina 125, edit. Parisiis, 1736.)

A Parlamento deputati sunt duo viri, (de Brillac Parlamenti consiliarius, et de Harlay procuratoris generalis filius ac sub-

stitutus) qui theologiæ Facultatem adirent hortarenturque ut sibi constans fortiter permaneret.

Documentum III. *Quid egerit conventus cleri Gallicani anni* 1665. — Hoc ipso tempore quo Parlamentum decreto suo proscribebat Alexandri VII judicium in re dogmatica emissum, Sorbonamque hortabatur ne dicto judicio se submitteret, Parisiis sua solita comitia habebat clerus Gallicanus. Et ab eo quidem hac de re deliberatum fuisse reperio in collectione *Procès-verbaux;* sed quis fuerit deliberationis exitus, aut etiam an ad aliquam devenerit conclusionem, frustra quæsivi. Pauca tamen quæ de bulla Alexandri VII in iis comitiis dicta referuntur, satis innuunt hujus etiam conventus Episcopos Pontificio illi decreto obedientiam denegasse.

